

NAZIONALE
R. BIBLIOTECA
CENTRALE V. E. II
8
44 B
11
ROMA

LIBER EXERCITIORVM SPIRITVALIVM TRIPLICIS VIAE:


PVRGATIVÆ, ſcilicet, ILLVMINATIVAE, ET VNITIVAE.



Authore R. P. F. IOANNE MICHAELE Conſtantienſi, Priore Cartuſiæ maioris, & Miniſtro generali totius ordinis Cartuſienſis.

Indicibus copioſiſſimis tùm Capitulorum, tùm materiarum, tùm etiam ſententiarum illuſtratus, atque locupletatus.





68

LVGDVNI,

Sumptibus IOANNIS BAPTISTAE BVYSSON.

M. D. XCVIII.

Cum Priuilegio Regis.


C. M

NOS Fr. *Antonius à sancto Paulo Prior domus sanctæ Crucis in Iaresio Cōuisitator prouinciæ Aquitaniæ: & Fr. Thomas Coquebart Prior domus sancti Spiritus in ciuitate Lugdunensi, deputati per Reuerendum patrem Priorem Maioris Cartusiæ, ac totius ordinis nostri Cartusiensis Generalem ministrum, vidimus & examinauimus librum* Exercitiorū Spiritualium, *per ipsum editum, in quo nihil reperimus quod Catholicæ fidei repugnet, sed quod mentem diuino amore inflammet: & idcircò eum, vt verè pium, censemus esse imprimendū & in lucem emittendum, ad Dei laudem, piorum consolationem, & omnium salutem. In quorum fidem hîc subscripsimus. Lugduni 14. Octobris, 1597.*

Fr. Ant. à sancto Paulo Prior sanctæ Crucis Cōuisitator Aquitaniæ.

Fr. Thomas Coquebart Prior S. Spiritus.



EGO Fr.Io.Comes in Academia Parisina Doctor Theologus & Lugdunensis monasterij ord. Eremit. S. Augustini Prior præsentem librũ *Spiritualium exercitiorum* summo studio artificióque à Reuerendo admodũ in Christo Patre ac Domino, Fr.Ioanne Michaële Cõstantiensi Cartusiæ maioris Priore vigilantissimo, ac totius ordinis Cartusiensis Generali ministro, elaboratum, methodoque optima & admirabili dispositum, Reuerendissimi D.Lugd. Archiepiscopi mãdato perlegi: eundémque orthodoxæ, Apostolicæ & Romanæ fidei ac doctrinæ congruentissimum, adque humanam mentem purgandam, illuminandam & Deo Opt. Max. nexu stabili ac firmó vniẽdam plurimum valere, eámque ob rem in communem Christianæ Ecclesię vsum, promotionem & fructum, luce dignissimum existimaui. Lugduni apud S. Augustinum, pridie Idus Octobris; anni 1597.

Fr.Ioannes Comes.

SPIRI-

SPIRITVALIVM EXERCITIORVM LIBER *à R.P.F. Ioanne Michaële totius sacri ordinis Cartusiensis Generali ministro cõpositus, sana salutarique doctrina refertus, ac pene infinitis veræ pietatis igniculis perillustris, nostro iudicio dignissimus est qui in lucem emittatur. Lugd. Idib. Octob. 1597.*

Chalom Offic. Lugdun.

SPIRITVALIA EXERCITIA R.P.F. Ioannis Michaëlis Constantiensis maioris Cartusiæ Prioris, grauium doctorúmque hominum iudicio approbata, in lucem edendi facultatem concedimus. Lugdun. Idib. Octob. 1597.

P. Depinac Archiepiscopus Lugdunensis.

Extraict du Priuilege du Roy.

PAr lettres patentes du Roy, donnees à Paris le dernier de Nouembre, mil cinq cens nonante & sept. Est permis à Iean Baptiste Buysson marchant Libraire de la ville de Lyon, imprimer, ou faire imprimer, vn liure intitulé Exercitiorum Spiritualiũ triplicis viæ, &c. *cõposé par Reuerẽd. pere en* DIEV *Iean Michel, Prieur de la grand Chartrousse, & General dudit Ordre, ledict liure* Exercitiorũ Spirit. *estant propre & necessaire à toutes personnes Chrestiennes & Catholiques. Et ce pour le temps & terme de dix ans, à compter du iour & datte que ledit liure sera acheué d'imprimer, sans que pendant ledit temps il soit loisible à aucuns marchans Libraires, Imprimeurs, ny autres personnes quelconques d'imprimer, ou faire imprimer ledict liure* Exercitiorũ Spiritualiũ, *n'en vendre ny debiter autres que ceux que ledit Buysson aura faict imprimer, sur peine aux contreuenans d'amende arbitraire, confiscation desdits liures, & de tous despens, dommages & interests enuers ledit Buysson, comme plus à plain appert par lesdictes patentes, seellees du grand seau, & signees par le Roy en son Conseil, Dechampin, les ans & iour que dessus.*

LIBER



LIBER EXERCITIORVM SPIRITVALIVM TRIPLICIS VIAE, PVRGATIVÆ, scilicet, Illuminatiuæ, & Vnitiuæ.



Authoris ad Deum Oratio & huius libelli oblatio & dedicatio.

DEVS à quo bona cuncta procedunt, tibi cum gratiarum actione accepta fero & nomini tuo dedico sequentia spiritualis viæ exercitia: quæ te inspirante & donante in meos particulares vsus primùm collegi & descripsi: & nunc multorum non contemnendæ pietatis & conditionis virorũ (qui ea pluribus profutura iudicarunt) crebris monitis & suasionibus inuitatus & impulsus: soláque tui honoris & anima-

rum ſalutis intentione & deſiderio illa in commune profero,& propono omnibus quidē deuotis: ſed maximè nouis noſtri Cartuſienſis ordinis tyronibus, & alijs religioſis in via Dei incipientibus & proficere deſiderantibus, qui conuenientiora ad hoc exercitia non habent. Obſecrans te, vt quicquid in eis imperfectum aut emendandum fuerit, tu per temetipſum & tuos (quorum & Eccleſiæ tuæ correctioni me & omnia mea plenè ſubiicio) ſupplere & corrigere digneris: & omnes qui pia deuotione illa legerint aut exercuerint, ad clariorem tui tuæq; voluntatis notitiam, feruentiorem amorem & promptiorem obedientiam excitare & promouere: ſic vt inde tui nominis gloria, & animarum ſalus (quam ſolam hîc & vbique pro ſupremo fine intendimus & quærimus) reſultet & copioſè proueniat, te donante & operante, per Ieſum Chriſtum dilectiſsimum filium tuum: cum quo in vnitate Spiritus ſancti viuis & regnas Deus in ſecula benedictus, Amen.

Contenta in hoc libro triplicis viæ in tres tractatus diuisa.



PRÆFATIO COMMVNIS IN TRES SEQVENTES Tractatus.

QVI vult venire post me, abneget semetipsum & tollat crucem suam quotidie, & sequatur me. Luce 9.

1. *Deus beatissimus nos ad hoc sibi similes creauit, vt sue beatitudinis nos faceret participes.*

Deus æternus vnus in essentia, & trinus in personis, sibi ipsi semper sufficientissimus: in seipso, atque à seipso opulentissimus, sapientissimus & perfectissimus, suique æterna, continua & plenissima intuitione, contemplatione & fruitione semper beatissimus: cùm bonorum nostrorum non egeret, nihilq; sibi nostro bono addi, vel malo demi posset, ex naturali sua bonitate & benignitate, gratuitáque prorsus charitate, ab æterno nos præsciuit, amauit, & suæ beatitudinis nos tandem esse participes (si obicem non poneremus) voluit & prædestinauit. Atque vt huius beatitudinis capaces esse possemus, tempore sibi placito ad imaginem & similitudinem suam nos creauit: dans nobis animam simplicem, incorpoream, immortalem & rationalem: memoria, intellectu, & voluntate (in quibus suæ supersanctissimæ Trinitatis imago præcipuè reluceret) insignitam: quatenus, sicut ipse semetipsum perfectissimè & continuè cogitando, intuendo,

2. *In quo beatitudo nostra consistit.*

amand

amando, & cùm pleniſſima laude, gloria, fruitione, lætitia & ſatietate poſſidendo, beatiſſimus eſt: ſic nos ipſum per memoriam recolendo & præſentem ſentiendo: per intellectum cognoſcendo & contemplando: & per voluntatem amando, deſiderando, & fruitiuè poſſidendo, ſuæ beatitudinis participes eſſemus.

Finis ergo propter quem creati ſumus, & ſcopus ad quē omnia noſtra ſtudia & exercitia finaliter dirigere & ordinare debemus: in quo etiam tota noſtra perfectio, & omnis noſtræ conſummationis finis conſiſtit, eſt vt ipſum vnitrinum Deum, & mediatorem Dei & hominum, Dominum noſtrum IESVM CHRISTVM, per memoriam nobis datam iugiter quantùm poſſumus, recolamus, præſentem ſentiamus, & adoremus: per intellectum cognoſcamus, contemplemur, glorificemus & admiremur: per voluntatē amemus, deſideremus, grato obſequio colamus, eiusq; delectatione, gaudio & ſecura tranquillâque fruitione repleamur, ſatiemur, & in ipſum transformemur, inſeparabiliq; vnione, tandē ipſi coniūcti, in pace in idipſum dormiamus & requieſcamus. Cæterùm vt ad hoc perueniamus, idem ipſe Deus, qui nos ad id prędeſtinauit, & creauit, veram & compendioſam viam in Euangelio demonſtrauit, per eundē IESVM CHRISTVM Saluatorem & doctorē noſtrum nos omnes his verbis conueniēs & inuitans: *Qui vult venire poſt me, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam quotidie, & ſequatur me.* In quibus verbis, amor Dei, & deſiderium beatitudinis ad quā nos creauit

3. Quis ſit finis & ſcopus ad quē omnia noſtra ſtudia referre debemus.

4. Quæ via ſit compēdioſior ad finem noſtrum.

exprimuntur, in eo quod dicitur (*Qui vult venire post me*, hoc est, qui ex amore desiderat & quærit ad me, gloriámque meam pertingere. Via autem & media, quibus ad hanc beatitudinem perueniamus, ostenduntur in tribus sequentibus, videlicet in abnegatione sui, in crucis quotidiana baiulatione, & in CHRISTI sequela, quæ per virtutum eius imitationem, & diuinitatis eius contemplationem, qua propriùs ei accedimus, & quodãmodo vnimur, perficitur. Ergò vt ad finem nostrum & veram beatitudinẽ perueniamus, exerceri debemus in amore & desiderio Dei, in abnegatione & odio nostri, in amplexu & baiulatione crucis, & in imitatione virtutum Domini nostri IESV CHRISTI, sicq; ad eius diuinitatis & superaltissimæ Trinitatis contemplationem & fruitionem (in qua essentialis nostra beatitudo consistit) aspirare & tandem peruenire.

5. *Amor Dei omniũ exercitiorum principiũ, medium & finis.*

Porrò amor Dei horum omnium exercitiorum debet esse principium, mediũ & finis. Vnde Apostolus iubet, vt omnia nostra in charitate fiãt. Neq; enim efficacius instrumẽtum inueniri potest, siue ad vitiorum purgationem & mortificationem passionum, siue ad crucis amplexũ & virtutũ acquisitionem, siue ad gustandũm & contemplandũ Deum, quàm Dei amor. Qui tamen aliter est exercendus ab incipiẽtibus, aliter à perficiẽtibus, & aliter à perfectioribus, iuxtà triplicẽ viam, Purgatiuam scilicet, Illuminatiuam, & Vnitiuam.

Amor Dei in triplici via variè exercetur.

Nam in via purgatiua, incipientes catenùs exerceri debent in amore Dei, quatenùs ex eo cõcipiant veram contritionẽ & odium

peccati, desideriúmque seipsos abnegandi & crucem ferendi. In via illuminatiua, proficientes ad hoc exercent se in amore Dei, vt passionibus & virtutibus CHRISTI conformentur efficaciùs. In via autem vnitiua, perfectiores ad hoc exercitia amoris referũt, vt perueniãt ad Dei contemplationem, amorosam vnionem, & mysticam transformationem, ad quam temerarium esset statim aspirare & totaliter insistere, ante exercitia viæ purgatiuæ & illuminatiuæ. Igitur iuxtà triplicem hunc finem, peculiaria amoris exercitia in singulis tribus sequentibus tractatibus traduntur: in quibus etiam exercitia contritionis, abnegationis, baiulationis crucis, passionis, & imitationis virtutum CHRISTI, atque contemplationis altissimæ Trinitatis, ordinatè proponuntur, iuxtà præfatam viam, purgatiuam, illuminatiuam, & vnitiuam.

Ad quorum exercitiorum intelligentiam & praxim vtiliorem, pauca duximus in hac præfatione præmittenda. 6. Quàm vtilia sit exercitia spiritualia seu oratio mentalis.

Atque in primis, (vt aliquid de necessitate & vtilitate horum vel similium exercitiorum spiritualium breuiter attingamus) certum est nulla re magis iuuari profectum vitæ spiritualis, siue pro purgatione vitiorum, siue pro mortificatione passionum, siue pro adeptione solidarum virtutum & maximæ diuinæ charitatis, siue pro gustu contemplationis, quàm frequentatione deuota & studiosa exercitij spiritualis, seu orationis mentalis, quod idem est. Vtroque enim nomine idem hîc intelligimus, nimirùm deuotam mentis occupationem & exercitationẽ circà aliquid

quod ad ſpiritualem profectum iuuat & refertur. Hæc enim diſtractionem ſecum non patitur, quàm vocalis oratio frequentẽ habet. Quia orans mente, aut attendit his quæ meditatur, aut ſi non attendit, ab oratione mentali deficit & ceſſat. Multò etiam faciliu s eſt in oratione mentali mentis cogitationem, & affectum ſtabilire, quàm in oratione quæ vocis ſono profertur & curſoriè perſoluitur. Sed & mens multò plura citiùs concipit, quàm poſſit ore proferre, & ea magis guſtat tacendo, niſi quando ex abundãtia cordis os loquitur. Ad hæc in oratione mentali, mens à Deo magis illuminatur & afficitur, dum ſtabiliùs & immediatiùs ei adhæret, & ipſum alloquitur & audit. Denique ex oratione mentali addiſcitur & acquiritur habitus eleuãdi mẽtem ad Deũ per deuotas laudes & gratiarũ actiones, obſecrationes, & congratulationes, quo adepto, facilè etiam in ipſa oratione vocali & canonica, mens eleuatur, & iſta exercet.

7. *Vocalib. orationibus non inſiſtendum niſi debens.*

Vocales orationes canonicæ & delitæ ſunt omni ſtudio perſoluendæ.

Propter hæc & alios quamplures fructus orationis mentalis, conſultiſſimum eſt vnicuique proficere in ſpiritu volenti, vt vocalibus orationibus non ſe occupet, niſi quãtùm indiget ad excitandum aliquando mẽtis torporem, aut quantùm ex debito ſui ſtatus & profeſſionis, vel aliàs tenetũr. Ea autẽ quæ tenetur vocaliter perſoluere, non parui pendat, nec tanquam minus vtilia faſtidiat, aut perfunctoriè perſoluat: ſed ſciens ingratum eſſe Spiritui ſancto, quidquid ei offertur, neglecto eo ad quod quis tenetur, ſolicitus ſit in primis debita illa tempore, loco, & modo congruis deuotè & attentè reddere, abſque

præci

præcipitatione, & etiam sine nimia tarditate & mora, quæ sæpiùs tædium & indeuotionem adducit. Distinctè ergo & integrè, sed rotundè & alacriter ac deuotè, debita vocalia in primis reddantur. Quæ etsi ex suo genere sint inferiora exercitijs mentalibus, tamen ex obedientia, propter quam fiunt, meritò illis præferuntur: & quando in canonico officio publicè cum alijs in Ecclesia recitantur, maius habent meritũ & fructum, tùm ex intentione Ecclesiæ, in cuius persona & nomine fiunt, tùm ex loci sacri, in quo fiunt deuotione, tùm etiam ex eorum qui simul psallunt mutua cõmunicatione, per quam fit, vt vnius distractio vel negligentia non voluntaria nec affectata, suppleatur & excusetur aliorum attentione & deuotione.

Cæterùm mentalis oratio duplici modo potest fieri. 8.

Mentalis oratio duplici modo exercetur.

Primò, cùm quis proposita sibi aliqua materia, ex seipso format & elicit circa eã mentales orationes, aut ex propriis vel alienis miserijs & indigentijs deuotos affectus producit, vel ex abundantia cordis & pinguedine spiritus spontè erumpit in aspirationes varias. Secundò, cùm quis orationes iam formatas & dispositas à se, vel ab alijs, non quidem ore profert, sed attenta mente legit aut memoriter recolit & meditatur. Hic autem posterior modus magis congruit, & vtilior est nouis tyronibus nondum in oratione mentali exercitatis. Hi enim difficiliùs possent ex proposita sibi materia conuenientes, & ordinatas aspirationes elicere: atque in illis excogitandis & disponendis 9.

Nouis tyronibus magis expedit formatas orationes meditari.

diutiùs intellectum occuparent, affectu interim ieiuno & arido remanente. Si autem iam formatas & ordinatè diſpoſitas orationes attenta mente legant vel recolant, liberati à labore excogitandi & diſponendi meditanda, facilè poſſunt ſtatim abſque nimia intellectus occupatione, in affectum trahere iam diſpoſita, & in illis voluntatem ſuam conformare, atque ex illis addiſcere ſimilia ex ſeipſis ordinatiùs poſteà facere. Propterea exercitia ſequentia (quæ in gratiam nouorum præſertim tyronum ſcribimus) non continent ſolam & nudam materiam meditandi & orandi, ſed proponunt orationes mentales ex integro formatas, & in praxim reductas, quatenùs noui tyrones non habeant neceſſe occupari pro inuenienda forma orandi: ſed ad hoc tantum laborent, vt apprehenſa & concepta per intellectum propoſita & præſcripta oratione, voluntatem ſuam illi conforment, & ſtudeant exercere & elicere volendi actus materiæ conuenientes, ex quibus potiſſimùm percipitur fructus orationis & exercitij ſpiritualis. Cuius finis eſſe debet

10. *...x acti- ...s volũ- ...tis po- ...ſsimum ...rcipitur ...uctus ...ationis ...enta- ...*

affectus inflammatio, potiùs quam intellectus illuminatio. Propterea vitandi ſunt diſcurſus ſuperflui intellectuales, & operatio intellectus ſic moderanda & comprimenda, vt ea ſola quæ ad excitandam voluntatem magis conducunt concipiat, & guſtanda voluntati proponat. In actibus enim voluntatis conſiſtit omnis ratio meriti & demeriti, virtutis & vitij. Qui propterea intenſiùs & crebriùs ſunt exercendi, quàm actus intellectus. Porrò dupliciter actum volendi voluntas producit.

Primò absolutè & simpiciter aliquid volendo, aut nolendo. Secundò id à Deo per orationem petendo. Et hic posterior modus, est etiam nouis tyronibus conuenientior & vtilior, quia necdum facilè possunt absolutum volendi actum in omnibus (præsertim in arduis & sibi inusitatis) producere, sed dum orantes aliquid petunt, ad hoc iam voluntatem inclinant, quia illud desiderant. Et insuper gratiam impetrant, qua eorum desiderium perfici possit, propterea iuxta hunc modum orationis, sequentia exercitia magna ex parte disposuimus. Quod si quis voluerit priori modo exerceri & volendi actus absolutos producere, id multò faciliùs & efficaciùs facere poterit, præmissa, quæ in hoc posteriori modo habentur, oratione & postulatione.

Vt autem sequentium & similium exercitiorum spiritualium vim & fructum agnoscere & gustare perfectiùs possit, deuotus & studiosus exercitator, legat iterum atque iterum attentiùs libellum verè aureum Alphōsi Madrileensis, de vera methodo seruiendi Deo, in quo traditur ars & ratio exercendi actus intellectus & voluntatis in omni exercitio spirituali. Cuius artis praxim copiosè & dilucidè in sequentibus exercitijs dispositam & præparatam inueniens, ea deuotiùs amplectetur & studiosiùs exercebit. Ad illius igitur libelli lectionem studiosum exercitatorem remittentes, omittimus hìc plura de arte & methodo in his exercitijs seruanda scribere, contenti pauca quæ sequūtur monita dicto exercitatori proponere, vt nouerit 12.

Lectio Alphonsi de methodo seruiendi Deo est vtilissima ad sequentia exercitia.

quo

quo ordine & modo poſſit abſque grauamine ſequentia exercitia, licèt prolixiora videantur, exercere, & fructum ex illis deſideratum percipere.

13. *Certum tēpus aſſignandū meditationi.* Ad quod curet in primis eligere & ſibi præſcribere certum tempus, in quo expeditus ab alijs debitis, vel neceſſarijs occupationibus, poſſit ſingulis diebus (nullo occurrente impedimento legitimo) ſtabiliter, & libera mente his exercitijs vacare, ſaltem per integram aut dimidiam horam vel ampliùs, iuxta ſui ſtatus & conditionis otium & capacitatem.

14. *Modus ſeruādus in praxi ſequentiū exercitiorum.* Deinde, hora ſibi ſcilicet aſſignata, certo ordine, ne fluctuet, ſequentia exercitia ſeu vnum ex iſtis aſſumat. Et omnibus alijs non neceſſarijs intermiſſis atque à mente excluſis, exercitium propoſitum non quidem vocaliter proferat, ſed nec curſim & perfunctoriè legendo percurrat, quin potiùs mente recollecta & affectione deuota, illud conſideret, & voluntatis ſuæ motus & actus illi conformet, ſingulos eius articulos cum interno ſapore, quantùm Dominus dederit, guſtando. Quòd ſi in aliquo articulo ſenſerit maiorem deuotionem, & affectus inflammationem ſeu dilatationem, non ſit ſolicitus ad ſequentem articulum tranſire, ſed in præcedentis conſideratione tandiu permaneat, quandiu illa deuotio durauerit, qua ceſſante, ſuum exercitium placidè & amorosè proſequatur. Si verò nihil tale ſenſerit, contentus ſit ſingulos articulos propoſiti exercitij mente & affectione, prout hîc habentur, concipere &

prosequi absque præcipitatione, & etiam absque nimia mora, seu curiosa dilatatione articulorum per intellectuales discursus, qui sæpè plus impediunt affectus inflammationem, quàm iuuent.

15. *Qualiter in ariditate cordis hæc exercitia sunt continuanda.*

Quòd si nullum saporem & gustum in his perceperit, non tamen omittat prosequi exercitium, licèt arido & duro corde. Nec conetur per violentas seu vehementes & cum multo labore extortas aspirationes se ad deuotionem excitare, sed humili, patienti, & resignato affectu, placidè & liberè suspiret pro recuperanda deuotione, nec deiiciatur animo vel nimiùm tristetur, neque cesset ab exercitio, etiam si nihil deuotionis receperit vel senserit, sed vt dixi, cœptum prosequatur exercitium, contentus rationali, & si non sensibili deuotione & attenta consideratione articulorum. Tunc enim non minus gratum Deo & sibi salutare erit eius exercitium, quàm si multa sensibili deuotione repleretur: nam in ariditate mentis patienter tolerata, est maior naturæ ac propriæ quæsitionis mortificatio, & amor Dei purior & fortior, licèt minùs suauis, in ea inuenitur.

16. *Qualiter tractus Dei sit sequendus nouo tyroni.*

Si insuper deuotus exercitator, dum susceptum exercitium prosequitur, apertè senserit se ad aliud à Deo trahi, sequatur diuinum tractum, quo cessante, ad propositum sibi exercitium reuertatur. Verùmtamen caueat ne à dæmonio meridiano decipiatur, & prætextu cuiusdam saporis transeuntis & incerti,

proposita sibi exercitia derelinquat & fastidiat, sicque instabilis fiat, & absque certo exercitio remanens, fluctuet, & aridus relinquatur. A quibus periculis vt præseruetur, quandiu non habet exercitatos sensus ad discretionem spirituum, sequatur potiùs præscripta sibi à suo directore (si quem habere possit) vel à semetipso, cum matura deliberatione & oratione suscepta, exercitia, quàm incertos sapores & tractus insolitos.

17. *Nouus tyro eget directore in his exercitiis.* Et vt in his, & similibus exercitijs non fallatur, sed ab omni periculo sit immunis, ab initio, donec assuetus illis fuerit, submittat se humiliter & simpliciter alicui Patri spirituali, seu viro in his exercitato aut saltem probatæ vitæ & Deum timenti, cuius consilio sua exercitia moderetur, & in omnibus prudénter & ordinatè dirigat, ipsum, imò potiùs Deum in ipso, consulens de omnibus & audiens, eidémque obediens fideliter, simpliciter ac perseueranter.

18. *Carens directore qualiter Deũ consulere debeat.* Quod si talem virum non inueniat, confidenter ad Deum per deuotam orationem recurrat, petens ab eo dirigi, & matura cum eo, & coram eo, deliberatione, præscribat sibi certa exercitia, certo ordine, tempore & modo prosequenda, eadémque tanquam à Deo sibi consulta fideliter, confidenter, & stabiliter prosequatur, ex amore Dei & propter obedientiæ meritum, quo non minùs gaudebit, obedienter implens quæ à Deo sic intùs audiuit, quàm si ab aliquo suo superiore, aut Patre spirituali illa accepta, perficeret, maximè si paratus sit & desideret alteri se submittere, si quem haberet. Tunc enim eius

volun

voluntas, cùm ſit efficax, à Deo, obedientiæ duplicis fructum recipiet.

Qui verò negligeret in principio, directorem aliquem quærere, vel inuentum & oblatum ſequi & conſulere ac audire, præſumens ſe ſibi ipſi ſufficere, nec alterius conſilio indigere, is pro ſua præſumptione indignum ſe redderet diuina gratia (quæ non niſi humilibus datur, & ſine qua nullus profectus ſpiritualis ſperandus eſt) vnde facilè talis à dæmonio, in angelum lucis ſe transfigurante, deciperetur. Igitur deuotus exercitator certum tempus ab alijs occupationibus liberum ac mentali orationi aptum, ſibi quotidiè præſcribat, ſeu à ſuo directore recipiat, in quo certa exercitia ordinatè modo prædicto proſequatur. 19. *Negligẽs aſſumere directorẽ facilè decipitur.*

Quòd ſi hora ad meditandum aſſignata non potuerit vnum exercitium perficere, non tamen propterea feſtinet vt illud abſoluat, nec vltrà horam præſcriptam meditationem continuet, ſed ſequenti hora meditationis proſequatur intermiſſum exercitium, ab eo loco vbi illud finierat, ſeu in quo remanſerat, præmiſſa ſolita præparatione, & breui recapitulatione articulorum iam meditatorum, ſi voluerit. Similiter ſi ante finitam horam meditationis, vnum exercitium abſoluerit, incipiat aliud ſequens, & proſequatur donec hora prætererierit. Et ſic ſemper, ſequenti hora ad meditandum ſibi aſſignata, exercitium ſuum incipiat ab eo loco ſeu articulo, in quo præcedenti hora remanſit, donec omnia exercitia ſibi præſcripta ordinatè proſecutus fuerit. 20. *Nõ feſtinandum ad hoc vt vna hora vnũ exercitiũ fiat.*

Quibus

21. *Vnum & idẽ exercitiũ sæpius repetendũ à nouo tyrone.*

Quibus absolutis & in affectum atque vsum tractis, alia poterit assumere. Porrò cùm vtilissimum & consultissimum sit (nouo præsertim tyroni) certo aliquo tempore peculiariùs insistere praxi alicuius exercitij spiritualis, donec illius sensum & gustum ac vsum imbiberit, ideò noster exercitator postquam vnum ex sequentibus exercitium semel meditatus fuerit, non semper statim ad aliud sequens meditandum accedet, sed illud primum toties repetet, quoties expedire videbitur ad hoc, vt fructum illius gustet & finem intentum obtineat, quo assecuto ad sequens exercitium transibit. Quod conuenit maximè fieri in exercitijs primi tractatus, quæ incipientibus & viam purgatiuam exercentibus proponuntur. Vnde nouus tyro primum eiusdẽ libri exercitiũ toties repetet, quoties opus habebit ad hoc, vt in se sentiat desideriũ amoris Dei & emendationis vitæ, quod est illius exercitij finis. Secundum exercitium pro contritione obtinenda, repetet, donec sentiat odium & detestationem peccati, & firmum propositum dignos pœnitentiæ fructus faciendi. Similiter alia exercitia toties repetet, antequam ad sequentia transeat, donec eorum sensum & finem gustauerit & consecutus fuerit.

22. *Secundi & tertii tractatus exercitia vt sunt exercenda.*

Exercitia autem secundi tractatus (quæ proponuntur proficientibus & iam in meditatione exercitatis) non erunt tam frequenter repetenda, sed sufficiet primum exercitium semel attentè & deuotè prosequi, & posteà secundum assumere, deinde tertium, & sic consequenter decem illius libri exerci-

ia complere. Quibus completis poterit de-
otus exercitator iterũ atque iterũ illa ordi-
atè resumere. Verumtamen toties licebit ei
num & idem exercitium repetere, quoties
entiet ex eius repetitione maiorem deuo-
ionis fructum, & maximè frequentiùs ob-
ecrationes pro virtutibus illis, in quibus se
gnoscit magis deficere. Similiter exercitia
ertij tractatus (quæ ad supersanctissimæ Tri-
itatis contemplationem & gustationem
pectant) poterunt alia post alia exerceri, vel
tiam singula aliquoties repeti pro exerci-
antis deuotione & conditione. Qui autem
n exercitijs vtriusque tractatus ritè fuerit
am vsitatus, poterit fructuosè post absolutam
rimam meditationẽ secundi tractatus, exer-
ere primam tertij tractatus: post secundam,
ecundam: & sic post singulas meditationes
ecundi tractatus, singulas tertij subiungere.
Qui præfato ordine, modo & tẽpore sequen-
ia exercitia prosecutus fuerit, non reperiet
a prolixiora, quia non proponuntur exercẽ-
la vno die, vel vno mense, sed paulatim &
uxtà exercitantis otium, capacitatem, & stu-
lium, citiùs vel tardiùs sunt absoluenda, hoc
emper obseruato, vt certum tempus ad me-
litandum sibi præfixum exercitator integrè
x stabiliter (nisi legitimè impediatur) occu-
et meditationi, & sequenti hora meditatio-
is, inde suum exercitium incipiat, vbi hora
ræcedenti finiuit.

23. *Propter difficultatem & paruum profectũ non hæc exercitia intermittenda.*

Cæterùm si fortè studiosus exercitator
ifficultatem in his exercitijs patiatur: &
ost longam exercitationem sibi videatur
arum proficere & affici, non propterea

turbetur neque nimiùm contristetur, sed neque desperans aut fastidiens, desistat studium & conatum in his adhibere, quin potiùs ea, licet arido corde, & absque sensibili deuotione, cum rationali & voluntaria attentione & affectu, stabiliter prosequi studeat & conetur, certò confidens in Dei bonitate & liberalitate, quòd suus labor nō erit inanis & infructuosus: sed quò plus laboris & difficultatis inuenerit in suis exercitijs, & patienter pro Dei amore tulerit, eò gratius Deo, & sibi salutarius obsequium exhibebit, & quando Deus viderit expedire, absque dubio deuotionis gustum cum fœnore illi retribuet, sic vt quæ priùs cum magno labore & ariditate mentis exercebat, faciat cum magna facilitate & suauitate. Quod si tardiùs id experiatur, credat sibi id nondum vtile, & ad huius sensibilis deuotionis & alacritatis carentiā sese humiliter resignet, eamque patienter & longanimiter, quandiu Deo placuerit ferat, faciens quod in se est, exercitia præscripta, sicut potuerit, attentiùs prosequendo, & Deus pro certo illa acceptabit, supplebit, & abundè remunerabit. Accedat igitur deuotus exercitator ad sequentia exercitia cum spirituali esurie & siti, tanquam ad verissimum & suauissimum animæ suæ cibum & potum: imò tamquā ad medicinam, aduersùs omnem spiritualem languorem efficassimam, & pro impetranda Dei gratia & amore vtilissimam. Sic tamen his immoretur, vt ea, ad quæ tenetur, vel ex debito sui status, vel ex superioris mandato seu consilio, non negligentiùs persoluat. Verùm si

modo tempore & ordine supra scriptis, isti exercitia prosecutus fuerit, per hæc non impedietur à debitis: sed potiùs alacrior, deuotior & feruentior ad ea reddetur.

Ad faciliorem autem vsum & meditationem horum & similium exercitiorum, iuuabit ea extra tempus meditationis, per modum simplicis lectionis, iterum atque iterum percurrere: vt clariùs intelligantur & sciat lector quæ & quanta sibi supersint exercenda, atque per hoc feruentior reddatur, sic vt cum spirituali esurie ad meditationem posteà accedat. 24


Prodest hæc exercitia per modum lectionis legere.

Cæterùm multa ad idem ferè pertinentia in his exercitijs, sub diuersis nominibus ponuntur, vt & fastidium ex eiusdem vocabuli repetitione vitetur, & mens eandem rem diuersis nominibus concipiens, in eius gustu & affectu diutiùs exerceatur. Vnusquisque tamen ex hac multitudine & varietate nominum, ea seligere & sæpiùs frequentare poterit, quibus se deuotiùs affici senserit. Multa insuper diuersis in locis ferè eadem repetuntur, quia diuersis exercitijs congruunt, & faciliùs exercitium in affectum & praxim trahitur, quando integrum proponitur, sic vt nihil sit alibi requirendum. Vsurpantur etiam hîc nomina minus à literatis vsitata, eo quòd magis significantia & materiæ conuenientia sunt. 25

Cur eadem sæpiùs repetantur.

Quisquis ergò hæc exercitia legerit, non aliquam verborum politiem & ornatum expectet: sed eorum quæ proponuntur sensum & vtilitatem attendat & gustare conetur. Deus enim non dictionis ornatum: sed so- 26

Cur hic vsurpentur vocabula quædam minus Latina seu elegantia.



lam affectus puritatem requirit, & licèt minùs eleganter, aut etiam barbarè precemur, eadémque frequentiùs repetamus; non propterea minùs illi placent nostræ orationes: imò citiùs ab eo exaudiuntur, quo amantiùs suauiúsque subinde eadem repetuntur.



INDEX PRÆCIPVARVM SENTENTIARVM CONtentarum in præfatione prædicta: quæ sententiæ sunt distinctæ per numeros hîc & in margine eiusdem præfationis annotatos.

1 Deus beatissimus ad hoc nos creauit sibi similes, vt suæ beatitudinis faceret participes.

2 In quo hæc beatitudo consistat.

3 Quis sit finis & scopus, ad quem omnia nostra exercitia dirigere debemus.

4 Quæ sit via compendiosior ad hunc finem perueniendi.

5 Amor Dei omnium exercitiorum debet esse principium, medium & finis: sed aliter est exercendus ab incipientibus, aliter à proficientibus, & aliter à perfectioribus.

6 Quàm vtilia & necessaria sunt ad omnem profectum spiritualem, exercitia spiritualia, seu mentalis oratio.

7 Quod vocalibus orationibus non sit insistendum, nisi quantum quilibet obligatur. Canonicæ autem & debitæ orationes, non sola mente, sed etiam ore sunt persoluendæ, & voluntarijs præferendæ.

8 Mentalis oratio dupliciter exerceri potest.

9 Nouis tyronibus magis expedit iam formatas & in praxim redactas meditationes mente deuota legere aut recolere, quàm ex seipsis eas formare.

cupetur in exercitio spirituali, & sequentis horæ meditatio inde incipiat, vbi præcedens est terminata.

21 Singula exercitia primi tractatus incipientibus proposita, sunt sigillatim & ordinatè priùs sæpè repetenda, antequam ad sequentia fiat transitus.

22 Exercitia secundi & tertij tractatus, qualiter sint frequentanda.

23 Ista & similia exercitia non sunt intermittenda, etiam si non percipiatur ex his sensibilis deuotio & apertus profectus.

24 Prodest hæc exercitia extra meditationis tempus legere, per modum studij & lectionis.

25 Cur in his exercitijs eadem ferè diuersis nominibus significentur, & sæpiùs in diuersis locis eadem repetantur.

26 Cur vsurpentur aliquando vocabula minus Latina, seu à literatis vsitata, nec elegantiori stylo hæc exercitia sint disposita.

INDEX CAPITVLORVM
trium tractatuum huius libri.
Capitula primi tractatus.

CAPI

CAPITVLA SECVNDI TRACTATVS.

TER

TERTII TRACTATVS.

Tabula Ternariorum nominum ſuperſanctiſs. Trinitatis, in decem claſſes diſtinctorum, ſingulis decem ſequentibus meditationibus applicandorum.

PRÆFATIO SPECIALIS in primũ Tractatum, qui ad viam purgatiuam pertinet.

1 *TRactatus iste in primis excitat ad inchoandam vitam nouam & Deo placentem, eos qui nec dum à vanitate seculi & carnalibus desideriis sunt abstracti: proponens illis exercitium meditationis quo per varias considerationes ad Dei timorem & amorem, vitaq; emendatioris studium accendantur.*

2 Deinde sic excitatis, offertur exercitium quo inducantur ad veram præteritorum peccatorum contritionẽ, confessionem & satisfactionem, sine quibus frustra & temerè quis nouam vitam inchoare & spiritualibus exercitiis vacare conaretur.

3 Purgata autem per contritionẽ & pœnitentiam conscientia, si quis nondum elegerit & amplexus fuerit certũ vitæ genus à Deo placens, debet illud eligere, vt conuenientiùs iuxta illud sua studia & exercitia disponat. Propterea hîc tertio loco proponitur exercitium pro facienda electione vitæ & status homini secundùm Deum magis conuenientis.

4 Quarto loco ponitur exercitiũ pro

ſuſcipiendo ſimplicis obedientiæ iugo ſub directione alicuius patris ſpiritualis, quod his qui vitam nouam inchoare & ſpiritualibus exercitiis intendere volunt, eſt vtiliſſimum, & (ſi talem directorem habere potuerint) ſummè neceſſarium.

5 *His verò qui non inueniunt patrem ſpiritualem à quo dirigantur, proponitur exercitium, quo petant à Deo dirigi, & firmiter proponant ſub eius interna directione & obedientia viuere.*

6 *Poſt hæc docetur nouus tyro, per varia exercitia intentionem ſuam purè propter Deum in omnibus & ante omnia dirigere & formare, quod proficere volenti eſt omninò neceſſariũ, maximè cùm ex puritate & bonitate intentionis, actuũ omnium bonitas, & meritum præcipuè dependeat. Et quoniam intentionis radix eſt amor, ſubſequuntur exercitia, quæ ad inflammandum cor ad Dei amorem pertinent, vt ſic promptiùs omnia propter Deum agat, ſeipsúmque abneget, & crucem ſuam eius amore tollat.*

7 *Poſtremò traduntur varia exercitia, quibus homo ſeſe exerceat in ſui abnegatione, rerumq; delectabiliũ ſuperfluarũ abrenũtiatione, & neceſſariarũ recto vſu.*

8 *Atque in amplexu & tolerantia cuiuslibet crucis. Quæ sunt vera fundamenta vitæ spiritualis, vtilißima ad omnium vitiorum mortificationem, & solidarum virtutum acquisitionem. Et sic finitur hic primus tractatus ad incipientes, & in via purgatiua sese exercentes peculiariùs conueniens.*

INDEX MATERIARVM & præcipuarum sententiarum quæ inueniuntur in singulis Capitulis primi Tractatus, notatæ ad marginem sub numero qui hîc eis proponitur.

In primo capitulo primi tractatus hæc continentur.

CAPITVLVM TERTIVM de Exercitio Contritionis ſicut valdè prolixum eſt, ſic multas ſententias & articulos, habet, vt hic exprimitur.

CAPITVLVM SEPTIMVM hæc continet.

CAPITVLVM OCTAVVM continet Exercitium ſeu orationem, qua is qui non habet patrem à quo dirigatur, ſe tradit in æternæ ſapientiæ directionem & obedientiam, petens ab ea di-

CAPITVLVM DECIMVM continet Exercitium pro intentione recta in omnibus habenda, vbi sequentia declarantur.

CAPITVLVM SEPTIMVM decimũ cõtinet peculiaria exercitia pro acceptanda & toleranda qualibet cruce, in quo hæc habentur.

sione

Sic finitur primus Tractatus huius libelli.



EXERCITIVM QVO ANIMA EXCITATVR AD DEI AMOREM, honorem, desiderium ac studium emendatioris vitæ.

Cap. I.

¶ Oratio præparatoria complectens breuiter decem obiecta ad hæc vtilia: cum obsecratione pro impetranda gratia dignè & fructuosè ea considerandi.



O Svperamandissime et supercolendissime Iesv Christe, Domine Deus meus, & omnia & super omnia: Multa sunt quæ me vehementer excitare possunt & debent, ad te amandum tibíque in omni sanctitate & iustitia seruiendum, & ex amore obsequendum omnibus diebus vitæ meæ: Nimirùm

1 Tua suprema & immensa maiestas, dignitas, sapientia, bonitas, & omnimoda perfectio superamandissima. — *I. Decem media excitatia ad Dei amorem & feruorem*

2 Tua nimia & inæstimabilis erga nos

 cha-

charitas, benignitas, misericordia, fidelitas & munificentia.

3 Virtutis honestas, pulchritudo & summa vtilitas.

4 Gloriæ æternæ diligentibus te, & virtutem sectantibus repromissæ immensitas.

5 Peccati infinita grauitas, turpitudo & malitia; damnáque & nocumenta innumera.

6 Gehennæ æternæ peccantibus nec pœnitentibus præparatæ intolerabilis & incomprehensibilis cruciatus.

7 Iudicij tui summa æquitas, districtio, & propinquitas.

8 Mortis vbique imminentis hora incertissima.

9 Vitæ huius, in qua sola licet meritoriè operari, breuitas.

10 Hostium & laqueorum multitudo, improbitas, & pericula.

Quæ omnia & singula vtinam dones mihi nunc & sæpiùs coram te & tecum, sic attentè & deuotè recogitare, vt per hæc verè & efficaciter exciter & accendar ad tui amorem, & omnem sanctitatem & iustitiam tui amore sectandam. Ad hoc (quæso) per suauissimum spiritum tuum, & Angelicum ministerium me excita, conforta, & stabili, meámque memoriam moue & reple: meum intellectum illumina & dirige; meam voluntatem affice & succende: omnésque vires animæ & corporis dispone & conforta, vt verè propter te, secundùm te, per te, & tecum, istud exercitium aggrediar, prosequar & perficiam: in vnione tuarum meditationum & exercitiorum: ad tuam & sanctorum om-

nium laudem & gloriam: meámque & omnium pro quibus tu vis, aut ego teneor, vel intendo, omnimodam ſalutem: verámque & ſtabilem Eccleſiæ tuæ reformationem & pacem, Amen.

EXERCITIVM.

Conſideratio Diuinæ maieſtatis & perfectionis per adorationem, laudem, & amoroſam congratulationem.

O Præſentiſſime, intentiſſime, & promptiſſime: ô ſuper reuerendiſſime, ſuperamãdiſſime, & ſupercolẽdiſſime amator & benefactor, Domine IESV CHRISTE, Deus meus, & omnia, & ſuper omnia: Quia vis, & ſicut vis, ex affectu pijſſimæ matris tuæ, BB. Angelorum, ſanctorum omnium & animarum purgandarum, ex mea, tuorúmque & meorum ſpecialium & omnium viuentium parte, te cum Patre & Spiritu ſancto Trinum in perſonis, & vnum in eſſentia Deum, per ſuauiſſimum cor & ſpiritum tuum, adoro & reuereor, laudo & glorifico: Amans tibi congratulor, gratúſque me totum tibi offero, pro omni bono quod es, quod habes, & quod operaris; & pro omnibus miſericordijs & beneficijs tuis erga nos & omnes creaturas exhibitis & exhibendis. Specialiter autem amans congratulor tibi, pro tua ſuprema & immenſa maieſtate, potentia, ſapientia, bonitate, & perfectione. Congratulor tibi, quia tu Deus es à te ipſo, & in te ipſo beatiſſimus,

opulentissimus, potentissimus, sapientissimus, optimus, perfectissimus, & tibi ipsi sufficientissimus.

Poterit lector deuotus, singulis sequentibus clausulis & sententijs hoc verbum (Amans tibi congratulor, quia tu) *premittere, aut certè semper subintelligere: & similiter in sequenti consideratione bonitatis Diuinæ.*

Tu plenissimè te ipsum ab æterno inuariabiliter intuendo, contemplando, amando, & fruitiuè possidendo, cum æterna securitate: semper fuisti, es, & eris beatissimus. Magnitudinis tuæ, sapientiæ tuæ, dignitatis & gloriæ tuæ, nullus est finis. Tu es summè potens, summè pulcher, summè suauis, summè sanctus & bonus. Tu es vnicum summum bonum, increatum, inuariabile, perfectum & infinitum; à quo & in quo est omne bonum: extra quod & sine quo nihil est bonum & amandũ, & quod infinitè excedit omne bonum. In te est bonorum, pulchrorum & desiderabilium omnium plenitudo immensa. Tu solus vniuersis ac singulis creaturis ineffabiliter & incomparabiliter es melior, speciosior, nobilior, dulcior, ditior, munificentior, perfectior, & amabilior. Quicquid enim bonitatis, pulchritudinis, suauitatis, opulentiæ & perfectionis inuenitur in vniuersis creaturis sparsim & imperfectè: hoc totum in te est vnitum, & cum excellentia & perfectione prorsus infinita. In ditione tua cuncta sunt posita. Tu es Dominus vniuersorum. Tu fecisti cœlum & terram & omnia quæ in eis sunt: & non est qui resistere possit voluntati tuæ. Omnia tibi seruiunt & obe-

diunt; & quæcumque vis facere præuales. Tu omnia perfectè intueris: nec vllus potest te decipere, aut à te abscondi. Tu omnia quæ fecisti diligis: & omnibus iuxta propriam virtutem, ex tua bonitate te communicas. Quantum ergo te in omnibus, & super omnia magnifacere, laudare, adorare, amare, appetere & quærere debemus: tibíque semper & vbique & in omnibus, ex amore seruire, obedire, & gratissimum obsequium præstare, ad tuam gloriam sempiternam?

¶ *Contemplatio Diuinæ charitatis & munificentiæ erga omnes homines.*

EYa rursus amans congratulor tibi; & gratias ago pro tua erga nos inæstimabili charitate, dilectione, benignitate, & infinita munificentia. Tu enim es amator nostri, nostérque amicus super omnes amantissimus, beneuolentissimus, fidelissimus & munificentissimus. *Hic enumerantur decem generalia beneficia quæ postea fusius explicantur.* Tu es noster, 1. Prædestinator, 2. Creator, 3. Conseruator & Gubernator. Tu es noster, 4. Regenerator & Redemptor, 5. Illuminator, & 6. Nutritor. Tu es noster, 7. Vocator, 8. Iustificator, 9. Singularis Benefactor, & 10. Glorificator. 3.

Beneficium primum.

Tu enim cum bonorum nostrorum non egeres: ex gratuita prorsus charitate, ab æterno nos amasti: & tuæ beatitudinis nos tandem esse participes, si obicem non poneremus, voluisti & prædestinasti.

2. Atque vt huius beatitudinis capaces esse possemus, tempore tibi placito ad imaginem

& ſimilitudinem tuam nobiliſſimè nos creaſti: dans nobis animam ſimplicem, incorpoream, immortalem & rationalem: memoria, intellectu, & voluntate (in quibus ſanctiſſimæ Trinitatis imago relucet) inſignitam, & per iuſtitiam originalem tibi ſimilem, quatenus ſicut tu temetipſum perfectiſſimè & indeſinenter contemplando, amando, & cum ſecuriſſima fruitione infinitáque complacentia & iubilatione poſſidendo es beatiſſimus: ſic nos per memoriam te ſtabiliter recolendo, per intellectum contemplando, & per voluntatem amando & fruitiuè poſſidendo, beati eſſe poſſemus. Tu corpus integrum, & ad functiones animæ aptum dediſti. Tu cælum & terram atque omnia quæ cœli & terræ ambitu continentur propter nos creaſti, & ad noſtrum vſum ordinaſti. Ipſos etiam Angelicos ſpiritus, in noſtræ ſalutis miniſterium deputaſti.

3 Tu nos & omnia propter nos potentiſſimè conſeruas, ſapientiſſimè gubernas, & moderaris, atque ſine labore regis.

4 Tu nos per primi parentis noſtri Adæ inobedientiam iræ & damnationis æternæ filios & reos effectos, non damnaſti, ſicut iuſtè poteras: ſed vt nos ab æterna ira & damnatione redimeres, & ad tuam gratiam & æternam gloriam rurſus reparares: tu perfectus Deus manens, ex nimia prorſus charitate, voluiſti homo verus fieri, & in aſſumpta humanitate triginta tribus annis in ſumma humilitate, paupertate, & afflictione mentis & corporis viuere, virtutum exempla perfectiſſima exhibere, tandémque generaliſsima,

ignominiosissima,& acerbissima passione & crucis morte consummari: & postmodum tertia die gloriosus resurgere, in cœlū ascendere, Spiritum sanctum mittere, Ecclesiamq; tuam septem sacramentis fundare, munire,& sanctificare; atque in ea beatissimam matrem tuam cæterósque sanctos tuos vocare, iustificare, magnificare, & glorificare: eosdémque nobis in patronos, doctores, adiutores, & cooperatores nostræ salutis dare dignatus es. Et vt huius tuæ incarnationis, vitæ,& passionis, perfectæque redemptionis participes nos efficeres, per baptismi sacramentum nos regenerasti, & ex filijs iræ filios gratiæ & adoptionis, tuæque gloriæ hæredes,& tecum cohæredes, benignissimè fecisti.

5 Tu per donum fidei & intellectus: per tuæ vitæ exemplar perfectissimum: per sacras scripturas & doctrinas: per internas inspirationes, piorúmque hominum exempla & monita nos illuminasti: & de credendis, de agendis vel fugiendis, ac de sperandis salubriter instruxisti, & indesinenter doces & instruis.

6 Tu nos nutris, & omnia ad corporis & animæ sustentationem & in tuo seruitio confortationem necessaria nobis conuenienter & sufficienter prouides & donas.

7 Tu nos quotidie peccantes téque offendentes & prouocantes, non statim condemnas, sed multipliciter reuocas, illuminas, terres, compungis,& per pœnitentiæ sacramentum iustificas.

8 Tu singulos nostrûm, si te deuotè consulere & audire voluerimus, ad conuenien-

..orem nostræ saluti statum vocas & perducis.

9 Tu singularia vnicuique nostrûm dona, gratias, & prærogatiuas confers: & in nobis conseruas.

10. Tu denique æternam & immensam gloriam & beatitudinem (quam nec oculus vidit, nec aūris audiuit, nec in cor hominis ascendit) nobis præparasti:&,si in tuo amore & obsequio fideles & constántes vsque in finem perseuerauerimus, certissimè daturus es.

¶ *Prædicta beneficia quæ quatenus generaliter omnibus collata sunt commemorasti, nunc vt singulariter tibi data recole & repete: quatenus sic vehementiùs ad amorem tam singularis benefactoris inflammeris.*

4. *Beneficiorum mediatâ specialiter impensorum consideratio.* Singulariter autem tu Deus meus mihi semper fidelissimus & beneficentissimus fuisti. Tu enim ab æterno me purissimè dilexisti: gratuita tua pietate me fecisti creaturam rationalem, insigniens animam meam nobilissima & elegantissima imagine tua. Voluisti à Christianis & honestis parentibus, in Ecclesia tua sancta, tempore gratiæ, me nasci: corporísque & membrorum omnium ac sensuum integritatem, & bonam habitudinem mihi contulisti: & huc vsque conseruasti. Nobilissimo Angelo tuo mei custodiam commendasti:& per Angelicum ministerium ab innumeris periculis aut liberasti

aut præſeruaſti:& ad innumera bona excitaſti,direxiſti, & confortaſti: atque ad maiora me direxiſſes, niſi obicem ego poſuiſſem. O ſtupenda,ô amoroſa, & amorosè recolenda tua erga me miſeratio. Tu excelſus ille Deus,indicibili dulcore charitatis penetratus ac victus,naturam meam ſuſcepiſti,& homo verus factus es.Tu Deus meus & pater,factus es frater & ſocius meus, ne ego exors tuæ beatitudinis remanerem,& in æternum perirem. Tu triginta tribus annis in terra laborans ſalutem meam ſtudioſiſsimè peregiſti. Mei cauſa contemptum,opprobria,penurias, pœnalitates, triſtitias, iniurias, cruciatus, & ignominioſiſsimam crucis paſsionē & mortem patienter, libentérque ſuſtinuiſti: prætioſiſsimúmque ſanguinem tuum vſque ad extremam guttam fudiſti. Tam ſingulariter pro me illa omnia feciſti ac paſſus es,ac ſi ſolus redimi debuiſſem. Sic igitur, ſic amabilis tu Deus meus, me redemiſti: ſic fœlicitatem & beatitudinem æternam quam perdideram mihi recuperaſti: & vt huius tuæ redemptionis participem me facerēs, voluiſti me ſtatim poſtquam natus fui, per baptiſmum regenerare, adoptare, ſignaculóque fidei Chriſtianæ & gratia tua inſignire & donare. Tu ad agnitionem tui nominis, tuæque legis ab infantia me peruenire donaſti, per veram fidem,& ſcientiam ſalutarem:quam etiam augere in me non deſinis per illuminationem gratiæ tuæ, & per inſtitutionem ſanctæ matris Eccleſiæ,ſcriptáque & exempla ac exhortationes & doctrinas ſanctorum & piorum hominum.Tu ab ipſo vitæ meæ exordio me

ſemper nutriuiſti; & omnia ad huius vitæ commoditatem neceſſaria abundè mihi abſque nimia ſolicitudine prouidiſti & contuliſti. Tu à puero me multipliciter peccantem patienter toleraſti, expectaſti, & à damnatione perpetua & gehenna quam merebar præſeruaſti. Nam ſi mecum ſicut commerueram agere voluiſſes, iam olim anima mea infinitis peccatis onerata periјſſet. Tu etiam me à te auerſum, tibíque rebellem ſæpiùs reuocaſti, immútaſti, iuſtificaſti: & vt pœnitentiæ & Euchariſtiæ ſacramenta frequentarem donaſti. Tu tandem me à periculoſo ſecularium conſortio & peccandi occaſionibus ſegregatum, ad hunc ſalutiferum & meæ ſaluti ac conditioni conuenientiſsimum ordinem & ſtatum vocaſti, & fidelibus ſeruis tuis adiunxiſti: oportunitatémque tibi liberiùs ſeruiendi mihi contuliſti. Tu ad vitam ſpiritualem me licet tepidum & negligentem, ſemper excitaſti & direxiſti: patréſque ſpirituales, libros, locum, & tempus ad hoc oportuna mihi donaſti. Tu à graui ſcandalo actiuo & paſsiuo hactenus me præſeruaſti: & ab innumeris inſidijs, tentationibus, tribulationibus, & periculis animæ & corporis liberaſti. Ad multa etiam bona me excitaſti, direxiſti & adiuuiſti: & ad multo plura & maiora me excitaſſes & confortaſſes, niſi gratiæ tuæ obicem ego poſuiſſem. Tu adhuc quotidie me ſæpiùs cadentem, miſericorditer ſuſcipis, erigis: & ad te reuertentem, culpámque agnoſcentem benigniſsimè in gratiam tuam recipis, ignoſcis, iuſtificas, ac ſanas. Tu inceſſanter me doces, dirigis, adiuuas; & ſicut pu-

pillam

pillam oculi tenerrimè custodis. Ita curam mei geris, ac si solus essem in toto orbe terrarum. Tu æstuantissimo meæ salutis desiderio teneris, & tam aduersa quam prospera omnia mihi in bonum conuertere cupis & niteris. Nihil obliuisceris eorum quæ piè ad honorem tuum, te adiuuante ago, loquor, audio, lego, meditor, oro, desidero, vel patior: & ne minimam quidem cogitationem bonam ex bona voluntate prodeuntem perire sinis, sed omnia illa mihi studiosissimè asseruas apud te, licèt ea nimis imperfectè & tepidè à me fiant. Tu innumera prorsus beneficia mihi præstitisti, & adhuc singulis præstas momentis, ineffabilémque beneuolentiam & amorem ostendis. Denique tu dulcissimum, amœnissimum, gloriosissimúmque regnum tuum æternum mihi promisisti, in quo vis me tui secura possessione, clara visione & laude, plenáque fruitione perenniter gaudere, si tibi seruire atque in amore tuo perseuerare voluero. Verè nulla vnquam mater tam tenerè dilexit vnicum filium suum, quàm tenerè me diligis. Amor tuus erga me dulcissimus, sapientissimus, ardentissimus, fidelissimus, constantissimus, immensus, ac planè excessiuus est. Sed ego (heu) mala pro bonis peruersè reddens, infidelis & ingratus tibi semper fui, & adhuc sum. Nam & gratiam tuam multis modis in me impedio: & dona tua destruo, aut abscondo. O quanta est tua erga me charitas, fidelitas & beneficentia: & quanta est mea erga te ingratitudo, infidelitas & iniustitia? Verè dignum est, æquum & salutare, vt ego posthac tibi Deo meo, ama-

tori meo, tali ac tanto benefactori meo, humillimè me subiiciam, & ingentem reuerentiam ac venerationem tibi exhibeam: téque toto corde, tota mente, tota anima, & virtute diligam, amem, desiderem: & omni grato obsequio colam. Meipsum verò ingratissimum & infidelissimum peccatorem odio habeam, abnegem, mortificem, castigem, & funditus tibi resignem. Iustum est vt coram te tali ac tanto mihi semper præsentissimo intentissimo, & promptissimo reuerenter, humiliter, maturè, pudicè, innocenter, & honestè viuam, stem, & ambulem, atque ex sincero amore tuo cuncta propter te agam, dimittam, & patiar iuxta supremum tuum beneplacitum, ad tuam gloriam & omnium salutem, Ecclesiæque veram reformationem & pacem.

¶ *Sequuntur aliæ considerationes ad Dei amorem & feruens obsequium excitantes.*

AD quod sola quidem tua bonitas, maiestas, charitas, & beneficentia immensa sufficienter me deberent accendere: maximè cùm propter temetipsum solum (etiam si nihil inde commodi nobis accederet) sis super omnia reuerendus, glorificandus, amandus, & omni grato obsequio colendus. Sed vt mea tarditas efficaciùs ad hoc excitetur, inflammetur & iuuetur: volo alia etiam, te iuuante, attentiùs nunc commemorare & considerare quæ ad idem me possunt accendere.

¶ *Consideratio virtutis quam pulchra sit & optanda.*

ATque in primis ipſa virtutis pulchritudo, honeſtas & vtilitas, ad ipſam ſectandam & exercendam merito me debet excitare. Virtus enim tantæ pulchritudinis, honeſtatis, & amabilitatis eſt: vt etiam ſi nullus ex ea fructus ſequeretur, propter ſe tamen eſſet appetenda & ſectanda: ſicut ipſi etiam gentiles philoſophi agnouerunt, licet veram virtutis eſſentiam & perfectionem (quæ in gratia & charitate tua tanquã in radice fundatur) nõ intellexerunt: cuius gratiæ & charitatis merito & perfectione virtus Chriſtiana verè dicitur & eſt lumen, decor, & claritas animarum vera opulentia & nobilitas earum. Bonitas à qua habent vt veraciter bonę dicantur. Virtus eſt via ſalutis, ſtabilimentum & robur mentis, victoria mundi, conculcatio dæmonum, ianua vitæ, porta beatitudinis. Virtus liberat & præſeruat à peccato, & eius damnis, vulneribus ac pœnis: excitat, conſeruat, roborat, & ſtabilit in bono: armat & expeditum facit hominem ad pugnandum contra hoſtes, ad reſiſtendum omnibus tentationibus, ad tolerandum quælibet aduerſa. Virtus facit hominem paradiſum Dei, ſacris meditationibus virentem, ſanctis deſiderijs florentem, bonis actibus fructuoſum, bonæ famæ odore reſperſum, & delitioſam Dei manſionem. Virtus facit hominem tuum (ô IESV CHRISTE DEVS) filiũ, membrum, ſeruum, diſcipulum, familiarem, amicum, ſecretarium, militem, thronum,

5.

emplum & regnum. Virtus denique facit nos Angelorum consortes, regni cœlestis hæredes, tuæque beatitudinis æternæ participes. Quæ beatitudo sola sufficienter nos deberet ad amorem virtutis, & ad obsequium tuum accendere.

¶ *Gloriæ æternæ immensitas hic breuiter tangitur quæ fusiùs ex alijs libris poterit intelligi.*

6. IN hac enim beatitudine quam diligentibus te & obtemperantibus tibi præparasti & promisisti, est gloria & honor sine confusione, opulentia sine egestate, sufficientia sine defectu, securitas sine timore, sanitas sine languore, vita sine morte, potentia sine infirmitate, sapientia sine errore, libertas sine seruitute, gaudium sine mœrore, esuries sine labore, satietas sine fastidio, claritas absque tenebris, societas nobilissima, amantissima, iucundissima, & summè pacifica. In qua denique est tuæ Diuinæ essentiæ & perfectionis secura & perpetua possessio, clara cum iugi laude visio, suauissima fruitio, & amorosa tecum vnio numquam finienda, securáque in te obdormitio, requies, & pax quæ exuperat omnem sensum & intelligentiam, omniumque bonorum & desiderabilium cumulus, abque vlla miseria.

¶ *Peccati deformitas & damna innumera, propter quæ meritò detestandum est omne peccatum.*

7. QVod si nec tua maiestas, bonitas, ac beneficentia, nec virtutis excellentia &

vtili-

vtilitas,nec beatitudinis repromissæ immensitas me ad tui amorem & obsequium excitent: saltem à peccato & offensa tua me deterreant ipsius peccati turpitudo, enormitas, detestabilitas, & pœnæ infinitæ reatus. Peccatum enim est voluntaria auersio à te summo bono Deo, & conuersio ad vilissimam creaturam. *Quæ hîc de grauitate & damnis peccati breuiter commemorantur, habentur in sequenti exercitio contritionis fusiùs explicata, vbi etiam sunt profundiùs meditanda, hîc enim sufficit hæc considerare ad concipiendum generale odium peccati.*

1 Tuæ imperialis maiestatis offensa.

2 Diuinæ tuæ præsentiç & sapientiæ summa inhonoratio & irreuerentia.

3 Vilipensio tuæ bonitatis & perfectionis infinitæ.

4 Contemptus tuæ erga nos charitatis excessiuæ.

5 Conculcatio tui sanguinis effusi tuæque passionis renouatio.

6 Neglectus tui erga nostram salutem zeli & studij feruentissimi.

7 Ingratitudo erga tuam in nos beneficentiam liberalissimam.

8 Infidelitas erga fidelitatem tuam certissimam.

9 Iniuria & impietas contra te omni affinitatis & officij genere nobis coniunctissimum.

10 Inobedientia contra supremæ tuæ authoritatis leges & iussa.

11 Dissimilitudo & deformitas, pulchritudini tuarum virtutum contraria.

12 Irritatio & prouocatio tuæ ſanctitatis, ſapientiæ,& æquitatis immenſæ.

1 INSVPER per peccatū,te vnicum,ſupremum,& infinitum bonum (extra quod nihil eſt bonum) amittimus,& à te ſeparamur.

2 Tua gratia & amicitia ac familiaritate priuamur.

3 A tuæ paternæ prouidentiæ ſpeciali cura abiicimur.

4 Donis gratijs, & fructibus ſpiritus tui, veríſque virtutibus ſpoliamur.

5 Operum bonorum per nos priùs factorum æterna mercede fruſtramur.

6 Meritò & fructu ac participatione tuæ vitæ & paſsionis priuamur.

7 Sanctorúmque tuorum efficacis communionis,exortes efficimur.

8 Odium & indignationem Dei patris, tuámque & omnium ſanctorum incurrimus.

9 Captiui & ſerui diaboli, crudeliſsimi Domini,conſtituimur.

10 Eiúſque corpori incorporamur, ac malitiæ & miſeriæ ipſius participes & conſortes reddimur.

1 PRAETEREA per peccatum incurrimus miſerabilem prorſus ſeruitutē & conſuetudinem ipſius peccati,quā veluti quibuſdam funibus captiui conſtringimur.

2 Malitiam & affectum ac delectationem peccandi.

3 Concupiſcentiam immoderatam terrenorum.

4 Cæcitatem, ignorantiam, & inconſiderationem ſalutarium.

5 Cordis duritiam & inſenſibilitatem.

6 Impotentiam agendi aliquid vitæ æternæ meritorium.

7 Pronitatem & inclinationem ad alia vitia grauiora.

8 Infirmitatem resistendi tentationibus mundi, carnis & Diaboli.

9 Tolerandi ignominiosa & aduersa.

10. Inchoandi, prosequendi & perficiendi ardua virtutum opera.

1 TE quoque Creatorem omnium per peccatum offendendo Creaturas omnes offendimus.

2 Earum ministerio & vsu indignos nos facimus.

3 Et vt omnes aduersum nos consurgant ad vindicandam sui conditoris iniuriam & offensam meremur.

4 Pacem & gaudium serenæ conscientiæ amittimus.

5 Stultitiam & insipientiam summam incurrimus.

6 Omnísque gratia & consolatione indignos nos facimus.

7 Ac meremur in æternum priuari tuæ Diuinæ essentiæ secura & æterna possessione & adoratione.

8 Clara visione, gloria & laude.

9 Beatifica fruitione, transformatione, & vnione.

10. Denique per peccatum meremur æternis gehennæ ignibus, & infinitis cruciatibus, cum Diabolo & reprobis omnibus sine vlla spe liberationis, aut mitigationis deputari.

¶ Gehennæ æternæ breuis consideratio quæ ex alijs libris dilatari poterit.

8. CVius gehennæ æternæ profunda & frequens consideratio, facilè potest & debet nos à delectatione peccati abstrahere & reuocare. In ea enim est perpetua, purissima & incomprehensibilis confusio, penuria, labor & afflictio, seruitus, luctus, esuries & sitis, frigus, ignis, tenebræ, captiuitas, fœtor, vermis, conscientiæ, desperatio, clamor, blasphemia, stridor dentium, maledictio, visus & societas dæmonum turpissimorum & crudelissimorum: pœnæque innumeræ, generalissimæ, continuæ & perpetuæ absque vllo refrigerio.

¶ Consideratio tremendi iudicis.

9. CÆterum nisi pœnitentiam hîc de peccatis nostris egerimus, & tuis mandatis obediuerimus, pœnas prædictas certissimè incurremus.

1 Tu enim es iudex generalissimus, ante cuius tribunal omnes nos cōparere oportet.

2 Supremus, à quò appellare non licet.

3 Vbique præsentissimus, à quo fugere nullus potest.

4 Æquissimus & inflexibilis, qui nullum prorsus peccatum relinquis impunitum, nec vllius personam accipis.

5 Sapientissimus, qui non solum actionum, sed etiam cogitationum, intentionum, & intimarum affectionū nostrarum peccata & delicta perfectissimè intueris & ponderas.

6 Poten

6 Potentiſsimus, cuius voluntati nullus poteſt reſiſtere.

7 Patientiſsimus, qui peccata noſtra diſsimulas & ad pœnitentiam longanimiter nos expectas.

8 Erga pœnitentes miſericordiſsimus & benigniſsimus, culpam & pœnam illis remittens, gratiámque & gloriam reſtituens.

9 Erga ſuperbos & pœnitere negligentes diſtrictiſsimus & ſeueriſsimus, vſque ad nouiſsimum quadrantem & minimum peccatum vltionem ex eis requirens, ac pœnam æternam & inæſtimabilem illis irrogans.

10. Terribiliſsimus & ſummè metuendus, ad cuius aduentum cœli & terra mouebuntur, & in cuius manus incidere eſt ſummè horrendum.

¶ *Conſideratio mortis incertæ & vbique imminentis.*

NEc eſt quod blandiamur nobis, & ad redéddam tibi in ſupremo tuo iudicio 10. rationem ſegniùs nos præparemus, propter tui aduentus & iudicij dilationem. Pro certò enim venies, & qua hora nòn putamus venies: atque in eo ſtatu in quo nos inueneris æterna ſententia numquam reuocanda iudicabis, & deputabis nos ſecundùm opera & merita noſtra ad perpetuam pœnam vel gloriam. Huius enim iudicij hora æquè nobis eſt incertas ſicut noſtræ mortis tempus. Nam in ipſa noſtræ mortis hora ante tuum tribunal præſentabimur, & iudicium particulare de nobis fiet, in quo anima no-

ſtra ad pœnam vel gloriam deputabitur. In reſurrectione autem futura & in iudicio generali (cuius diem & horam tu ſolus noſti) anima ſimul cum corpore æternam gloriam vel damnationem & pœnam pro ſuis demeritis recipiet. Cęterùm ſingulis momẽtis mors nobis eſt in ianuis vel in inſidijs : & tu qui pœnitentibus veniam polliceris, pœnitere negligentibus aut differentibus craſtinum diem non promittis. Vnde quanto ſumus incertiores de noſtræ mortis hora : tãto inſtantiùs vigilare debemus & orare, fidelitérque tibi ſeruire; vt cùm tu veneris & pulſaueris ianuam, confeſtim tibi aperiamus: & cum pia confidentia te venientem excipiamus.

¶ *Conſideratio breuitatis huius vitæ.*

II. AD hanc vigilantiam & ſolicitudinem mouere nos etiam debet & inducere breuitas huius vitæ, in qua ſola licet meritoriè operari. Poſt mortem enim nullus merendi locus remanet: ſed ſola bene vel malè geſtorũ merces aut pœna relinquitur. Vnde dum tempus habemus, operari bonum debemus: omniq́ue ſolicitudine præcauere ne in hoc acceptabili tempore & ſalutis die, gratiam tuam in vacuum recipiamus : ſed potius noſmetipſos tanquam fideles tuos miniſtros commendemus in multa patientia, in vigilijs, in orationibus, in tribulationibus & anguſtijs, in laboribus & ærumnis, in caſtitate, in ſcientia, in longanimitate, in ſuauitate, in Spiritu ſancto, in charitate non ficta, in verbo veritatis, in virtute Dei.

Hostium multitudinis consideratio.

AD hanc insuper vigilantiam & sollicitudinem seruiendi tibi in omni sanctitate & iustitia omnibus diebus vitæ nostræ, meritò nos excitare debet aduersarius noster Diabolus, fortissimus, versutissimus, & crudelissimus: qui non dormit neque dormitat, sed semper vigilat circuiens & quærens vt nos deuoret, & mille tentationum laqueis ad æternam damnationem secum nos pertrahat. Cui accedit caro nostra & sensualitas, aduersus spiritum concupiscens, disciplinæ impatiens, & animam aggrauans, suisque plurimis necessitatibus & infirmitatibus à Spirituali exercitio reuocans & impediens. Accedit & mũdus, varia sensuum obiecta & vana oblectamenta offerens, impiorúmque hominum peruersis exemplis, adulationibus, suasionibus, fauoribus, vel etiam irrisionibus, minis, persecutionibus varijs, & deceptionibus ad peccata nos alliciens & inducẽs. Quibus omnibus resistere non possumus absque tua speciali & continua gratia & protectione, quam non soles conferre pigris, dormiẽtibus & negligentibus, sed vigilantibus, laborantibus, tibi per charitatem adhærentibus, & in te spem omnem reponentibus. 12.

Epilogus prædictorum continens obsecrationem & excitationem ad Dei amorem & feruentem vitæ emendationem ex prædictis omnibus.

EYa, ergo quia vis, & sicut potes, scis & vis: Da & fac vt te summæ maiestatis, 13.

bonitatis,& omnimodæ perfectionis Dominum Deum , creatorem & conseruatorem omnium,semper & vbique nobis præsentissimum , intentissimum , & promptissimum credamus,recogitemus, adoremus , reuereamur,glorificemus,super omnia amemus, appetamus , & ex amore tibi seruiamus iuxta supremum beneplacitum tuum.

Fac vt te amatorem & benefactorem nostrum,super omnes beneuolentissimum, beneficentissimum,fidelissimum,& omni affinitatis & officij genere nobis coniunctissimum,toto corde, tota mente,tota anima,& ex omnibus viribus redamemus,honoremus & grato atque amoroso colamus obsequio.

Fac vt virtutis pulchritudinem , honestatem,& vtilitates summas agnoscentes , eam amemus,appetamus,totísque viribus & cõtinuis exercitationibus ad eam,per tui amorem assequendam & exercendam aspiremus & contendamus.

Fac vt gloriæ & beatitudinis æternæ, quam fidelibus tuis seruis & amicis præparasti & perseuerantibus in te certissimè redditurus es immensitatem,suauitatem ac plenitudinem sæpiùs recogitemus , speremus, & ardentissimis desiderijs, continuisque bonorum operum studijs ad eam properemus.

Fac vt peccati enormitatem,turpitudinem, damna,& incommoda infinita, agnoscentes & attentè considerantes , peccatum omne perfecto odio prosequamur , sollicitè fugiamus : & si in illud inciderimus , statim per veram contritionem, puram confessionem, & dignam satisfactionem resurgere, & illud

delere

delere & emendare ſtudeamus.

Fac vt æternæ damnationis & gehennæ pœnas infinitas & immenſas horreamus, timeamus, & dignis pœnitentiæ fructibus ab eis iberari & præſeruari ſatagamus.

Fac vt te Iudicem generaliſſimum, ſupremum, æquiſſimum, ſapientiſſimum, potentiſſimum, patientiſſimum, benigniſſimum, ſeueriſſimum, & ſummè terribilem credamus, ſæpiùs recogitemus, téque vel in modico offendere & irritare ſummè timeamus & ſolicitè præcaueamus. Nos metipſos coram tę continuè dijudicemus, caſtigemus, & dignis pœnitentiæ lamentis faciem tuam pręuenire & placare curemus.

Denique fac vt mortis noſtræ & diſtricti tui iudicij horam prorſus incertam ſcientes, breuitatémque huius vitæ (in qua ſola mereri licet) attendentes: nec ignorantes Dæmonis, mundi, & carnis infinitos laqueos & tentationes ac perſecutiones, ſolicitè ſemper vigilemus, ſtrenuè & legitimè pugnemus: quæ tibi placita ſunt iugiter propter te, ex amore tuo operemur, & quæ tibi diſplicent fugiamus: ac quæcumque volueris aduerſa pro tui nominis honore non ſolùm patienter, ſed etiam libenter toleremus. Ad tuam & ſanctorum laudem & gloriam, noſtrámque & omnium ſalutem, verámque Eccleſiæ reformationem & pacem.

PRÆFATIO IN EXERCITIVM CONTRITIONIS. CAP. II.

1. *Necessarium est omnibus pœnitentiam agere.*



DEVS & Dominus noster IESVS CHRISTVS, legifer & magister vnicus & præcipuus: qui nobis cōpendiosiorem viam ad æternam beatitudinem sua vita sanctissima, & Euangelica doctrina sufficientissimè demonstrauit: suam prædicationem his verbis est exorsus. Pœnitentiam agite: Appropinquat enim Regnum cœlorum. Cuius etiam pœnitentiæ necessitatem insinuans, alio loco dixit. Nisi pœnitentiam egeritis: simul omnes peribitis. Nobis igitur omnibus ante omnia perquam necessarium est, si vnquam saluari volumus, vt pœnitentiam agamus: & à pœnitentiæ actibus numquam in hac vita prorsus recedamus: quippe qui nec sine peccato viuimus, & in multis offendimus omnes. Maximè autem temerarium est & infructuosum contemplationi sese tradere & ad gustum diuini amoris & amplexum cœlestis sp̄ōsi aspirare, nisi prius per pœnitentiæ studium, anima probè purgata fuerit, non solùm à vitiorum culpis, sed etiam ab eorum reliquijs & prauis inclinationibus.

2. *Defectus contritionis causa est cur pauci ea bestia gustent.*

Vnde vna ex præcipuis causis cur paucissimi etiam in religione constituti proficiunt & pertingunt ad verum gustum Diuini amoris & cōtemplationis est: quia ob prioris vitæ peccata dignam non egerunt pœnitentiam: Nam licet peccata sua confessi sint,

& aliquam de eis contritionem habuerint, atque per professionem solemnem diuinis obsequijs sese mancipando peccatorum suorum remissionem obtinuerint. Quia tamen ab initio non studuerunt reliquias & prauas inclinationes vitiorum (quæ culpa dimissa, adhuc ex habitu vitioso & natura corrupta remanent) per contritionis studium expurgare & corrigere; ideò steriles, aridi, indeuoti, & absque vero spiritualium gustu remanent.

3. *Contritionis exercitium est necessariũ proficere volenti, & maxime monachis propriũ.*

Quisquis ergo ad Deum verè conuerti cupit, sibique & mundo mori, ac in spiritu proficere: priùs contritionis studium frequentet. Quoties etiam de minori gratia ad maiorem & excellentiorem aliquam gratiam quis transire desiderat: ad hoc se disponat per contritionis studium & exercitationem. Quanto enim quis profundiùs conteritur & dolet, tanto maiori gratia à Deo perfunditur: iuxta illud Psalmistæ: secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuæ lætificauerunt animam meam. Hinc est quod sancti patres, potissimum in studio pœnitentiæ sese exercitarunt: & potior illis fuit cura plangendi errata commissa, quàm alta contemplandi. Hoc enim tutiùs & omnibus Christianis magis est necessarium: maximè autem monachis, quorum propriè officium est sua & cæterorum peccata plangere & deflere. Vnde quilibet religiosus, etiam si non recordetur grauiora se admisisse peccata: debet tamen exercitium contritionis frequentare, in quo defleat tum suas quotidianas negligentias, tum etiam om-

nium qui in mundo ſunt, maximè eorum pro quibus tenetur, peccata: quæ cum innumera quôtidie committantur, inueniet ſemper in illis copioſam contritionis ſeu pij luctus materiam.

4. *Confeſſio generalis eſt inchoaturo nouã vitam neceſſaria & vtiliſſima.*

Cæterùm inchoaturo vitam ſpiritualem, vel de ſtatu ſecularis vitæ, ad emendatiorem vitam, aut aliquam religionem approbatam tranſituro, multum expedit facere generalem confeſsionem de totius vitæ ſuæ anteactæ peccatis: ſi nondum alias eam fecerit: aut ſi talem iam fecerit: de his quæ ab vltima illa generali confeſsione commiſit: etiam ſi in particularibus cõfeſsionibus de his ipſe fuiſſet confeſſus. Per hanc enim generalem confeſsionem renouabitur dolor, & pudor de ſingulis peccatis: atque charitas erga Deũ magis magis in homine excitabitur: dũ omnia ſimul peccata ſua inſpiciens admirabitur diuinam bonitatem & patientiam, quæ tot & tantas abominationes non puniuit, ſed patienter tolerauit, & ad pœnitentiam cor hominis expectauit & conuertit. Plus enim mouent peccata omnia ſimul inſpecta, quàm ſeparatim diuerſis temporibus conſiderata. Inſuper homo conſiderans quod tot & tanta peccata commiſerit, & quam pauca & parua bona egerit, excitabitur ad bona opera agenda, ne peccatorum numerus, bonorum operum multitudinem vincat: memor illius ſententiæ D. Chryſoſtomi, niſi tot fuerint bona, vt excedant crimina, & ex relictis aliquid nobis in iuſtitiam reputetur, nemo noſtrûm à ſupplicijs liberabitur. Præterea per hanc confeſsionem generalem pœna quæ peccatis

iam ritè confeſsis adhuc ſæpiùs remanet, tollitur, aut certè minuitur, virtute abſolutionis ſacramentalis &. humilitatis ac pudoris ipſius pœnitentis.

Hinc eſt quod nonnulli ſingulis annis confeſsionem annuam peccatorum ſuorum faciunt, tum ob cauſas prædictas, tum vt inſpiciant quos illo anno progreſſus in virtutibus fecerint, quæ vitia depoſuerint, quas imperfectiones reliquerint: & quantum fieri poteſt hunc annum cum præcedenti conferentes ſi quid ſpiritualis lucri obſeruauerint, Deo gratias agant: & ad anteriora confidentiùs ſe extendant. Si verò detrimentum ſua negligentia paſsi fuerint: ex animo doleant, ſtimulóſque ſibi ad fortiùs currendum & proficiendum addant: quod certè conſultiſsimum eſt & vtiliſsimum. 5. Vtiliter fit ſingulis annis annua confeſſio.

Qui autem volet generalem de tota vita ſua confeſsionem facere: Primò diſtinguat totam vitam ſuam per certas ſocietates & habitationes, in quibus & cum quibus vixit. Et in ſingulis conſideret quomodo in quolibet ex decem præceptis aut capitalibus vitijs offenderit, cogitatione, locutione, opere, vel omiſsione & alieno peccato. Deinde in peccatis grauioribus hoc eſt mortalibus addat neceſſarias circunſtantias; eas ſcilicet quæ ſpeciem peccati mutant; vel multiplicant peccatum, aut notabiliter aggrauant. Maximè autem curet exprimere numerum certum ſi illum ſciat, ſin minùs, ponat incertum pro certo. Quod ſic commodè faciet, ſi cogitet quamdiù hoc peccatum committere aſſuetus fuerit, & quoties ſingulis ſeptimanis vel 6. Modus faciendi confeſſionem generalem.

menſibus aut diebus illud committere potuerit. Expedit autem vt ſuper qualibet peccati ſpecie examen fiat per ſingulas anteactæ vitę ætates & habitationes, antequam ad aliam peccati ſpeciem fiat tranſitus & examen: vt ſic faciliùs in ſingulis peccatis numerus & circunſtantiæ aggrauantes reducantur in memoriam. Examen verò conſciẽtiæ ſufficienter quidem poterit fieri conſiderando ſola Decalogi præcepta, ad quæ cætera peccata poſſunt reduci: verumtamen vt clariùs & exactiùs fiat, bonum erit conſiderare etiam ſeptem capitalia peccata: & ex libellis qui breuiter ſingulas peccatorum ſpecies enumerant eas priùs legere quam procedatur ad examen internum propriæ vitæ. Vtile etiam erit diligenter notare nouem modos peccati alieni, antequã accedatur ad conſiderationem peccatorum contra Decalogum: vt in ſingulis peccatis videatur, an præter peccatum proprium, alienum etiam fuerit commiſſum, Porro qui vellet pleniùs videre quæ ſibi deſunt ad perfectionem, poſſet examinare ſemetipſum an habuerit & exercuerit virtutes Theologas & cardinales, Dona Spiritus, Beatitudines viæ, fructus Spiritus ſancti: Et ſi monachus fuerit, an vota & exercitia ſuæ religionis fideliter ſeruauerit.

7. *De venialibus peccatis vtiliter fit confeſſio.*

Cæterùm licèt non ſit neceſſarium ſacramentaliter confiteri de peccatis venialibus, quæ, nec mortalia ſunt, nec dubitatur an ſint mortalia: vtiliter tamen fit de illis ſaltem grauioribus confeſſio ſpecialis, & de leuioribus generalis.

Qui enim ſtudent puritati,& ad perfectionem aſpirant,non ſolùm de peccatis mortalibus (à quibus per gratiam Dei ferè abſtinent) ſed etiam de venialibus euitandis, & affectionibus reformandis, ac de imperfectionibus quantùm poſſunt minuẽdis debent eſſe ſolliciti: & teneram ac delicatam conſcientiam,nõ tamen ſcrupuloſam & anxiam habere; vt vel minimos in ſe defectus obſeruent & perſequantur: quotidie diſcutientes quæ contra Deum,ſeipſos, & proximos, cogitatione, locutione, & opere commiſerint aut omiſerint. Quamuis enim omnia venialia peccata vitare abſque gratiæ ſingularis priuilegio non poſſumus, ita tamen nos ipſos ex gratia Dei (quam facientibus quod in ſe eſt numquam denegat Deus) & poſſumus & debemus ſolicitè cuſtodire;vt rarò ex improuiſo, ex propoſito verò & deliberata volũtate numquam, venialia committamus, etiam pro conſeruatione vitæ propriæ aut alienæ; imò nec vt proximũ à peccato mortali retrahamus. Non enim facienda ſunt mala, vt bona eueniant: & minimum peccatum maius eſt ac magis fugiendum quocunque malo pœnæ & ſupplicio.Idcirco pro nulla aduerſitate,tribulatione,aut morte vitanda; pro nulla etiam proſperitate aut commoditate adipiſcenda, debemus culpam quamlibet minimam committere: præſertim cùm teneamur Deum (qui per quamlibet culpam aliquo modo offenditur) in infinitum magis diligere,quàm nos,quàm totum mundum, & quodcumque bonum creatum.

8. *Quam ſollicite ſint vitãda peccata venialia.*

9. *Pro quacunque bono non eſt committẽdũ veniale peccatũ.*

10. *Duodecim nocumenta ex venialibus peccatis prouenientia.* Ad hoc etiam nos debet inducere consideratio nocumentorum quæ ex peccatis venialibus proueniunt: maximè, quando ea ex proposito, vel praua consuetudine, nō autem ex surreptione, ignorantia, passione, aut fragilitate humana(]) committuntur: aut etiam quæ ex negligentia vel ignorantia aut tepiditate nimia fiunt. Hæc enim.

1 Mentis oculum obscurant, ne Deum & spiritualia videat.

2 Charitatis feruorem extingunt, aut minuunt.

3 A gustu spiritualis dulcedinis, & interna Dei familiaritate & consolatione impediunt.

4 Orationes nostras difficiliùs exaudiri faciunt.

5 Animam maculant & deturpant, spiritúmque sanctum contristant.

6 Vires animæ ad resistendum prauis inclinationibus debilitant.

7 Hominem ab benè agendum pigrum, & ad desideria terrena promptum reddunt.

8 A profectu spirituali multum præpediunt.

9 Tempus per ea inutiliter consumitur, & multa bona opera quæ interim fieri possent omittuntur.

10 Ad mortalia disponunt, & ad grauiora pertrahunt.

11 Pœnam hîc aut in futuro merentur.

12 A visione Dei post mortem retardant, nisi hîc dignè castigata fuerint.

11. *Qui in-* Verè ergo magna est insipientia periculosáque vita eorum qui ad vitanda venialia

peccata

peccata non sunt soliciti: dicentes sibi sufficere si vitent mortalia, & tormenta euadant æterna: sicque in quodam manent tepore & ignauia: non curantes proficere, sed suis contenti angustijs, in quadam mediocritate securè se stare, & posse saluari stolidè arbitrantur: hinc ad iocos, risus, verbositates, leuitates, dissolutiones, & similia sunt procliues. Miseri prorsus, qui non aduertunt quod non proficere sit deficere, & in via Dei non progredi, sit regredi. Nec illud Ecclesiastici ritè perpendunt, quo dicitur: si non in timore Dei te continueris iugiter, citò subuertetur domus tua. Qui enim spernit modica, paulatim decidit, nec potest diu vitare mortalia, qui omni cum diligentia non præcauet venialia peccata, cum ipsa sint via & dispositio ad mortale: eò quod per ea homo assuescit propriæ acquiescere voluntati, & rectum ordinem relinquere. Et iuxta D. Augustini sententiam, ipsa venialium consuetudo irrefrenata, à mortali peccato non excusatur, cum contemptum videatur includere.

Insipientes & miseri sunt qui negligunt vitare peccata venialia.

12. *Venialia peccata ex fragilitate cōmissa Dei amore feruentibus parū nocent.*

Verumtamen qui soliciti sunt per charitatis ardorem & feruentem ad Deum conuersionem, timoratámque cordis custodiam in spiritu proficere: & si venialiter quandoque ex fragilitate peccent, prędicta tamen venialium nocumenta non sentiunt; quia venialia in eis peccata quotidie citò consumuntur & emendantur, per charitatis feruorem, per contritionem internam, pœnitentialemque castigationem, & alia supererogationis exercitia virtuosa: præsertim per orationem

& pſalmodiam deuotam, iniuriarum remiſſionem, patientiamque in aduerſis, vnde non ſolùm præſeruantur à prædictis venialium nocumentis, ſed etiam omni die mirabiliter in omni gratia & virtute creſcunt & roborantur. Nos ergo omni ſolicitudine & diligentia vitemus peccata, non ſolùm mortalia, ſed & venialia: & hæc non minus defleamus, quàm ſolent ſeculares mortalia deflere.

13. *Contritionis exercitiũ vtiliſſimè frequentatur.*

Atque tum pro noſtris quotidianis exceſſibus & defectibus, tum etiam pro omnium hominum, maximè noſtrorum ſpecialium, peccatis, ad veram & amoroſam contritionẽ & dignos pœnitentiæ fructus per ſequens exercitium nos excitemus: ad Dei honorem, noſtramque & omnium ſalutem.

Cæterum qui hoc contritionis exercitium initio conuerſionis ſuæ aliquo tempore deuotiùs frequentauerit, non ſolùm peccatorum veniam, ſed etiam emendationem, & ſtabilem ab eis, præſertim grauioribus continentiam conſequetur, & ad omnis gratiæ & virtutis profectum præparabitur.

14. *Conſolatio infirmorũ qui necdum poſſũt à peccatis omnino ſe continere.*

Quòd ſi quis ob inueteratam conſuetudinem, vel naturalem inclinationem, aut ſocietatis cum qua viuit vel ſtatus ſui conditionem aut ſimilia, tardiùs à peccatis potuerit ſeſe continere: ſed adhuc ſæpiùs in ea quæ iam planxit, & pro quibus ad contritionem ſe exercuit peccata ex infirmitate & paſſione labatur: non tamen propterea deſperet, vel puſillanimis fiat: ſed nec nimia abſorbeatur triſtitia: quin potius in humilitate ſua patientiam habeat: & quanto fragiliorem ſe

experitur, tantò humilius & confidentiùs perseueret assiduis precibus Diuinam pulsare & interpellare misericordiam (cui proprium est miseris misereri semper & parcere) quatenus gratiam veræ contritionis, & perfectæ à peccatis continentiæ sibi donet.

Quod faciliùs & citiùs impetrabit, si quoties lapsus fuerit, toties, vbi primùm se peccasse aduerterit, studuerit per contritionis exercitium resurgere, & propositum præcauendi peccatum admissum fortiùs renouare. Consideret etiam peccata ad quæ procliuiorem se experitur, & quotidianum aduersus ea assumat exercitium, quo manè Deum suppliciter pro continentia obsecrans, & in eius misericordia & virtute confidens, firmiter proponat ab illis peccatis solicitè præcauere, & quodlibet damnum aut malum pœnæ eligat potius perpeti, quàm scienter & ex proposito rursus peccare, & Deum offendere ac irritare, quem nimirum desiderat & proponit toto corde amare & colere, eique gratum amoris obsequium præstare. Serotino autem tempore conscientiam suam examinet: & si aduerterit se contra sua proposita peccasse: per contritionis exercitium ab eis resurgat, si non licuerit ei citiùs hoc facere. 15. *Modus impetrandi à Deo gratiam continendi à peccatis.*

Expediret enim statim post quemlibet lapsum notabilem; & maximè post cuiuslibet peccati mortalis aut de quo dubium est an sit mortale, commissionem, locum & tempus inquirere & capessere, in quo posset homo lapsus per contritionis studium resurgere. Quod si non vacat ei diutiùs in tali exercitio immorari: saltem post lapsum ad cor rediens, 16. *Post quodlibet peccatũ commissum statim oportet per contritionem resurgere.*

& peccatum suum aduertens toto corde dicat Deo: Benignißime IESV, doleo quod in hoc te offendi & irritaui, propono dignè pœnitere: obsecro vt offensam remittas, præserues me à recidiuo, & omni malô, gratiámque tuam mihi restituas, vt gratum tibi obsequium, prout dignißimus es, ex amore præstem & exhibeam. Tali exercitio cum libertate mentis, & pia ac humili confidentia frequentato, multò citiùs peccata & peccatorum affectiones purgantur & eradicantur: quàm multa austeritate & dura corporis afflictione si sola fuerit: quamquam & hæc corporalis exercitatio non sit contemnenda, sed ab vnoquoque eatenus assumenda, quatenus ad spirituale exercitium & internam pietatem, adminiculum ferre iudicabitur.

17. *Contritionis dolor qualiter sit excitandus.* Contritionis etiam dolor, non per violentas aspirationes aut extortas lachrymas debet excitari: sed per humilem, dulcem, amorosam, ac liberam ad Deum conuersionem: & feruentes quidem, sed moderatas & absq; nimia anxietate & solicitudine factas aspirationes piósque gemitus & supplicationes.

18. *Non desperandum si dolor sensibilis desit.* Quod si nec per huiusmodi pœnitens poßit assequi sensibilem de peccatis suis dolorem & exteriores lachrymas, non tamen desperet, nec inordinatè tristetur, sed confidenter à Domino IESV supplicet, vt per sui cordis contritiones & internos dolores supplere dignetur imperfectam eius contritionem: & sicut potest, scit, & vult veræ contritionis gratiam & dolorem illi infundere. Cum hac confidentia in pace mentis remaneat, & contritionis exercitium placidè &

liberè frequentet & perficiat, quantumuis arido corde fuerit.

Maximè autem cauere debebit homo bonæ voluntatis, ne propter venialia peccata fragilitatis humanæ (quæ vix ac ne vix quidem in hac vita vitari omnia possunt absque singulari Dei priuilegio) nimium tristetur, aut pusillanimis reddatur, si ea non statim eradicare potuerit. 19. *Nullus debet reddi pusillanimus ex eo quod in venialia frequenter labitur.*

Nec illis per violentiam aut apertam repugnantiam & contradictionem resistat: sed cùm eorum suggestiones senserit, aut vbi fortè in ea lapsus fuerit; animum ab his abstrahens, humili, amorosa, ac fiduciæ plena aspiratione ad Deum sese conuertat: desiderans ei toto corde adhærere, & ab omni quod ei displicet abstinere, dicens hoc vel simili modo. O bone IESV, ô Deus meus, adiuua me, miserere mei. Hoc enim modo & exercitio, multò faciliùs & perfectiùs delentur & vitantur peccata venialia, & etiam mortalia, quàm disceptando cum eis & in faciem resistendo, aut nimiam pro illis tristitiam assumendo. 20. *Modus efficax delendi, & vitādi venialia.*

Caueat insuper homo bonæ voluntatis ne scrupulis locum dans, ea peccata existimet quę peccata non sunt: vel passionibus ac suggestionibus peccatorum se agitari sentiens, nec tamen illis consentiens, sed cum displicentia talia sustinens, arbitretur se mortaliter peccare, aut à gratia Dei excidisse. 21. *Scrupulis nō est dādus locus*

Et quia sæpè viri pij & spiritualis profectus studiosi scrupulis agitantur, arbitrantes se peccasse si quid contra scrupulum quem sentiunt egerint: non inutile & incongruum

putauimus, hîc breuiter subiungere & explicare quid differat scrupulus à conscientia, dubio, & opinione, & qualiter liceat & expediat contra scrupulum agere, non autem contra conscientiam, dubium, vel opinionem.

22. *Conscientia quid sit & qualiter obliget.*

Notandum est ergo conscientiam esse, applicationem scientiæ certæ ad aliquod morale dijudicandum. Cuius tres sunt actus. Primus, certò testificari de peccato vel actu, facto aut non facto. Secundus, reprehendere & remordere de actu male facto; vel excusare aut gaudere de actu bene facto. Tertius, ligare vel soluere respectu actus fiendi: si enim conscientia dictat aliquid esse faciendum vel omittendum sub obligatione peccati mortalis aut venialis; agens contra hanc conscientiam (id est omittens quod ipsa dictat agendum, vel committens quod dictat omittendum) peccat mortaliter aut venialiter. Quod si talis conscientia sit erronea, & iudicet id sub præcepto esse agendum, quod ex suo genere & in rei veritate peccatum est: tunc sic perplexum reddit hominem, vt siue id agat quod erronea consciētia dictat agendum, peccet (nisi ignorantia inuincibilis eum excuset) quia quod agit, ex se peccatum est: siue id agere omittat etiam peccatum incurtat, eo quod contra conscientiam agat.

23. *Erronea conscientia deponenda.*

A qua perplexitate vt liberetur, debet talem conscientiam deponere, submittendo se consilio sui superioris, vel confessoris, vel alicuius Deum timentis: aut noua cōsideratione & ratione sententiam suam mutando; aut recognoscendo se falli & errare: vel saltem iudi-

cium ſuum ſuper hac re ſuſpendendo, & ſinendo rem talem eſſe, qualis eſt in veritate. Notandum verò eſt quod ſi conſcientia dictat quod bonum ſit hoc agere vel omittere, non ex vllo præcepto, ſed ex conſilio tantùm: agens contra hanc conſcientiam, nec mortaliter, nec venialiter peccacat: ſicut nec is qui Chriſti conſilia non ſeruat, dummodo deſit contemptus conſilij, vel conſulentis.

24. Porro, dubium id eſſe dicimus, quando æquales aut quaſi æquales ſunt ex vtraque parte rationes, illud ſuadentes, & diſſuadentes: aut quando animus æqualiter ad vtramque partem inclinatur.

Dubium & opinio quid ſint, & qualiter obligent.

Opinio verò eſt, quando ex vna parte rationes ſunt fortiores, licèt non neceſſariò, ſed probabiliter tantùm, pro vna parte cõcludant. In moralibus autem dubium & opinio ſic obligant: vt qui dubitat, vel probabiliter opinatur quod hoc agere peccatum ſit, teneatur illud fugere & omittere. Et ſi illud commiſerit aut ſe commiſiſſe dubitauerit, vel opinatus fuerit, de eo conteri, confiteri, & pœnitere debet. In dubijs enim & probabilibus, pars tutior eſt ſequenda, maximè in materia morali ad ſalutem neceſſaria. Nam aliter faciens, peccaret: quia periculo peccandi ſe voluntariè & apertè exponeret.

25. Poſtremò ſcrupulus eſt, credulitas quædam ſeu ſuſpicio ex leuibus coniecturis & rationibus multum debilibus prouenieus: vel ex eo quod quis audiuit aliquid à leuibus vel paucis perſonis non ſatis fide dignis, vel procedens ex timore nimio, & puſillanimi-

Scrupulus quid ſit & qualiter contemnendus.

tate ſpiritus aut ſuſurriis, Diaboli, potius quã ex certa vel probabili ratione aliqua. Talis ſcrupulus non obligat ad faciendum quod dictat: imò oportet contra hunc ſcrupulum agere, maximè quando fortior ratio ſuadet contrarium, aut quãdo parit inquietudinem, & impedit animæ libertatem & pacem.

26. *Scrupuloſus debet alterius ſequi cõſilium.* Qui itaque ſcrupuloſus eſt, debet omni ſtudio laborare vt à ſcrupuloſitate liberetur: contemnendo ſcrupulum, & agendo contra illum, maximè ex conſilio ſuperioris, vel confeſſoris, aut alicuius Deum timentis. Numquam enim faciliùs & perfectiùs à ſcrupulis quis liberatur, quàm dum ad arbitrium ſui ſuperioris vel alicuius viri boni ſcrupulum deponit, eum contemnit, & contra eum agit. Scrupulũ enim contempſiſſe, viciſſe eſt. Quod ſi (vt ſæpiùs euenit) agendo contra ſcrupulum, timorem & triſtitiam quandam ſcrupuloſus ſentiat, non tamen propterea deſiſtat agere contra ſcrupulum: ſed ſatagat huiuſmodi timorem & triſtitiam repellere, aut ſaltem contemnere, vel patienter ferre, per confidentiam in humilis obedientiæ merito, qua firmiter credat, meliùs & Deo gratiùs eſſe, ſi conſilium ſuperioris aut viri Deũ timentis humiliter ſequatur, & ex eius iudicio ſcrupulum contemnat vel deponat; aut contra eum agat; quàm ſi id ageret quod ſcrupulus agendum dictaret. Imò ſibi perſuadeat peccatum eſſe, aut ſaltem animæ ſaluti & profectui ſpirituali nociuum, ſcrupulum potius quàm alterius viri boni conſilium ſequi.

27. Et propterea in confeſſione ſacramentali

nequa-

nequaquam se accuset quod contra scrupulum egerit; sed potius quòd non fuerit secutus consilium sibi datum contra scrupulum. Neque enim confitendo scrupulum à scrupulo quis liberatur (licet ad horam facta confessione quietum se sentiat) sed postea fortior idem scrupulus redit & vehementiùs exagitat, adeò vt scrupulosus sæpiùs in die confiteri desideret, sibique & suo confessori valdè grauis efficiatur. Monendus ergo est vt à tali scrupulorum confessione prorsus abstineat: & quoties eos confiteri contra consilium sibi datum præsumpserit, est arguendus & inducendus vt se potius accuset de sua præsumptione & inobedientia aut proprij sensus pertinacia. *Scrupuli non sunt confitēdi.*

28. Quod si acquiescere noluerit, vix vnquam à scrupulo liberari poterit, sed de die in diem scrupulosior reddetur, & scrupulositas in eo pariet perturbationem: perturbatio, desperationem: desperatio verò mortem animæ, nisi diuina eum protegat misericordia, quam vt consequatur debet scrupulosus deuota, humili & continua oratione Deum obsecrare vt à scrupulo eum liberet, & concedat consilijs sibi datis potius quàm scrupulis humiliter, fideliter & stabiliter acquiescere. *Scrupulosus nolēs alterius sequi cōsilium vix vnquam sanatur.*

EXER-

EXERCITIVM PRO VERA CONTRITIONE ET pœnitentia obtinenda & exercenda vtilissimum.

CAP. III.

Præparatoria Oratio.

1\. *Causa cur exercitiũ contritionis sit frequentandum.*

BENIGNISSIME IESV, quia sacrificium tibi ante omnia acceptissimum est, spiritus contribulatus, & cor contritum & humiliatum: quia contritio est ianua & fundamentum vitæ spiritualis, & balneum in quo anima ab omnibus maculis detergitur, & apta efficitur, quæ tibi sponsali fœdere copuletur & vniatur in perfecto amore: quia contritionis lachrymæ afferunt veram conuersionem morum, passionum victoriam, priuati amoris & vitiorum expulsionem & mortificationem, augmentum interni luminis & veræ charitatis, continuam ad virtutes omnes heroicas impulsionem, desiderium crucis & proprij contemptus, & bonorum propositorum stabilem impletionem: quia etiam monachi proprium officium est sua & aliorum peccata deflere (quod omnes sancti patres facere soliciti fuerunt). Quia vanum est ad contemplationem & virtutum perfectionem assurgere, nisi priùs anima panem doloris & contritionis manducans, humiliter in silentio sederit. Denique quia certus sum, tibi placere vt in hoc contritionis & pœnitentiæ

exerci-

exercitio nunc me exercendo, gratum tibi obſequium præſtem: ideo omnem meam voluntatem ab omni alia occupatione abſtrahens, volo & deſidero propter te, totus huic exercitio incumbere.

Obſecratio pro gratia contritionis.

Sed quia ſine gratia tua nihil prorſus poſſum; obſecro te vt ſicut potes, ſcis, & vis, ad hoc & omne aliud tibi placitum me excites, dirigas, adiuues, & confortes, vt purè propter te, ſecundùm te, per te, & tecum illud aggrediar, proſequar, & perficiam: in vnione omnium ſtudiorum & exercitiorum tuorum, ad tuam & ſanctorum tuorum gloriam, meámque & tuorum ac meorum ſpecialium & omnium ſalutem, veramque Eccleſiæ reformationem & pacem.

Sacra media pro impetrãda cõtritione.

Quod vt fiat obſecro te I. per omnes miſerationes tuas & ſanguinis tui effuſiones, II. per omnes dolores tuos internos pro peccatis noſtris, voluntariè aſſumptos, III. per materni cordis compaſsiones, contritiones & preces, IIII. per Beatorũ Petri, Magdalenæ, & cæterorum qui vnquam verè pœnituerunt lachrymas & pœnitentias, V. per omnium electorum & ſanctorum tuorum preces & merita, VI. per ſeptiformem ſpiritum tuum & Angelicum miniſterium: per hæc, inquam, omnia obſecro te, vt iiſdem oculis quibus beatos Petrum, Paulum, Matthæum, Dauidem, & Magdalenam, & complures alios poſt grauem lapſum reſpexiſti. I. Nunc etiam me & cæteros omnes peccatores, maximè eos pro quibus ſpecialiùs orare tenemur aut intendimus, RESPICIAS, II. tuóq; reſpectu nos ILLVMINES clara notitia

Sex ad verã contritionem infundendã neceſſaria.

tuæ iuſtitiæ & æquitatis, tuæ bonitatis & benignitatis, noſtræ vilitatis, indignitatis, & ingratitudinis, omniúmq; ac ſingulorum peccatorum noſtrorum cum ſuis aggrauantijs, damnis, & pœnis: III. ſicque nos ſalubriter TERREAS tuorum iudiciorum timore: IIII. AFFICIAS & ſuccendas tuo amore, tuíque honoris & beneplaciti zelo & deſiderio: V. CONFVNDAS ſalutari confuſione & erubeſcentia: VI. CONTERAS vera & amoroſa contritione: VII. ACCENDAS zelo iuſtitiæ ad vltionem peccatorum noſtrorum: & ADIVVES vt exemplo B. Mariæ Magdalenæ, cum alabaſtro cordis deuoti & contriti, ad thronum gratiæ tuæ fiducialiter accedentes STEMVS, per firmum propoſitum numquam peccandi, RETRO per noſtræ vilitatis & turpitudinis erubeſcentiam, SECVS PEDES TVOS per tuæ miſericordiæ & iuſtitiæ fidem & deuotam conſiderationem: eoſdémque pedes tuos RIGEMVS lachrymis veræ contritionis: TERGAMVS capillis id eſt operibus ſupererogationis & ſatisfactionis: OSCVLEMVR per dulcem & purum amorem, & VNGAMVS per bonam & exemplarem conuerſationem, nec ab hoc exercitio propter impiorum murmur aut reprehenſiones CESSEMVS, ſed PERSEVEREMVS in eo, donec igne charitatis & dilectionis tuę multæ & magnæ, omnia peccata noſtra plenè conſumas & REMITTAS: ac fide viua & magna nos SALVES à recidiuo peccati, dans continentiæ virtutem, & fortitudinem reſiſtendi tentationibus: atque iubeas & fa-

Oratio pro imitatione actuum B. Magdalenæ pœnitentis.

cias

cias nos abire IN PACE, donans nobis bonæ & puræ conſcientiæ tranquillitatem, per vitę & paſſionis tuæ imitationem & conformitatem: continuámque in bonis operibus exercitationē & perſeuerantiam. Amen Benigniſſime IESV, quia vis,& ſicut potes, ſcis, & vis, ad tuam & ſanctorum gloriam, noſtrámque & omnium ſalutem, Eccleſiæq; veram reformationem & pacem.

¶ *Alia breuior præparatio ante exercitium contritionis.*

BEnigníſſime IESV, quia vis,& verè dignum & iuſtum eſt, æquum & ſalutare, vt ad contritionem me excitem & exerceam, tu,obſecro,tuæ miſericordiæ oculo me cæteróſque peccatores reſpiciens: illumines, terreas,afficias, conteras, ſuccendas, & adiuues: vt verè propter te, & ſecundùm te, per te, & tecum, iſtud exercitium aggrediar, proſequar,& perficiam,in vnione omnium orationum & meditationum tuarum: ad tuam & ſanctorum gloriam, noſtrámque & omnium ſalutem, adque veram Eccleſiæ reformationem & pacem.

¶ *Sequitur exercitium contritionis.*

O Metuende,colende,& adorāde Domine,Deus omnipotens,creator & redemtor animæ meæ:O fortiſſime Deus ſpirituum vniuerſæ carnis: O ignis conſumens, & zelotes fortis: O Deus terribilis in conſilijs ſuper filios hominum:cuius oculi aperti ſunt

2. Excitatio ad Dei timorē eius per nomina ad hæc propria.

ſuper

ſuper omnes filios Adam, vt reddas vnicuique ſecundùm opera ſua, & ſecundùm fructum adinuentionum ſuarum, qui viſitas iniquitatem patrum in filios in tertiam & quartem generationem. I. O Iudex GENERALISSIME, ante cuius tribunal omnes homines aſtare & comparere oportet. II. O Iudex SVPREME, à quo nullus poteſt appellare. III. O Iudex vbique PRAESENTISSIME, à quo nullus poteſt fugere. IIII. O Iudex ÆQVISSIME & inflexibilis, qui nullum peccatum relinquis impunitum, nec vllius perſonam accipis. V. O Iudex SAPIENTISSIME, qui non ſolùm actionum, ſed etiam cogitationum, intentionum & intimarum affectionum noſtrarum peccata & omiſſa perfectiſſimè intueris, pōderas, & diſcutis. VI. O Iudex POTENTISSIME, cuius voluntati nullus poteſt reſiſtere. VII. O Iudex PATIENTISSIME qui peccata noſtra diſſimulas, & ad pœnitentiā lōganimiter nos expectas. VIII. O Iudex erga verè pœnitentes & humiles MISERICORDISSIME & BENIGNISSIME, culpā & pœnam illis debitam remittens, gratiamque & gloriam reſtituens. IX. O Iudex erga pœnitere negligentes & ſuperbos DISTRICTISSIME & SEVERISSIME, vſque ad nouiſſimum quadrantem & peccatum in inimum vltionem requirens, ac pœnam æternam & inæſtimabilem irrogans. O Iudex TERRIBILISSIME, in cuius iudicium incidere, eſt prorſus horrendum.

3. *Excitatio ad amorem & obſequiū Dei per amabilia nomina.*

O Superamabiliſſime, ſuperamantiſſime, & ſuperbeneficentiſſime amator, Prędeſtina-

tor,

tor, creator, conſeruator, regenerator, illuminator, nutritor, vocator, iuſtificator, dotator, & glorificator noſter. O ſuperreuerendiſſime, ſuperamandiſsime, & ſupercolendiſsime Domine Deus meus, quem debeo & deſidero toto corde, tota mente, tota anima, & ex omnibus viribus, ſuper omnia diligere, ob reuereri, amare, & amplecti, omniq́ue grato ſequio, propter te colere & honorare.

Ecce ego viliſſimus, & indigniſſimus puluis & homuncio, ego ingratiſſimus, infideliſſimus, & iniuſtiſſimus peccator, coram altiſſima tua maieſtate, & tremendo ac amabili vultu tuo aſtans, toto corde me totum tibi proſterno, & ad pedes tuæ miſericordiæ & iuſtitię proſtratus, in veritate tua agnoſco, & humiliter confiteor, quia ex me nihil ſum, poſſum, vel habeo, præter innumera peccata & delicta mea: quibus infinitam tuam maieſtatem, ſapientiam, æquitatem, bonitatem, & charitatem, multipliciter, grauiter & impudenter offendi, contempſi, & irritaui: ſicut tu ſolus perfectè noſti, ponderas, & (niſi meipſum diiudicauero, & dignè pœnituero) ſeuerè iudicaturus es. Atque vtinam dones mihi nunc coram te & tecum eadem peccata mea ſtudiosè recogitare, clarè agnoſcere, dignè ponderare, & vera contritione, integra confeſſione, digniſq́ue pœnitentiæ fructibus delere & emendare. *4. Abiectio & proſtratio pœnitentis, coram Deo.*

Hic peccata tua coram Deo gemens recole, iuxta generale examen tuæ conſcientiæ (quod priuſquam vitam nouam aſſumas facere debes) conſiderando quoties & qualiter in omni vita tua præterita Deum offenderis, contra Decalogi *5. Modus recogitandi peccata propria corã Deo.*

præcepta, & ſeptem capitalia vitia, quorum explicationem ex aliĳs libris qui ex profeſſo de illis tractant, petere poteris. Non tamen erit neceſſe hîc omnia ſimul peccata tua præterita recolere: ſed ſpecialiter quædam tantùm ex illis hîc expreſsè recolendo, pro omnibus ſimul ad contritionem te excitabis. Si autẽ iam ſatis te pro peccatis ante tuam conuerſionem admiſsis ad contritionẽ exercuiſti: recole hîc peccata tua quotidiana iuxta ſequẽtem confeſſionis formulã: quæ religioſis, & his qui diligentius ſe ipſos à grauioribus peccatis obſeruant, magis conuenit: quam auge vel minuere poteris, aut etiam immutare: prout tuæ conditioni & deuotioni magis cõgruum videbitur. Aut etiam poteris ea ſola peccata hîc commemorare ſpecialiter: quibus ſenſeris tuam conſcientiam pro illo tempore magis grauari, & pro quibus ad contritionem te volueris excitare. Porro ſequentem confeſſionem legens, ea omittes in quibus non recordaris te deliquiſſe, & addes ſi quos alios defectus in ea non expreſſos commiſiſſe te deprehenderis.

Confeſſionis internæ formula pro his qui ſæpiùs confitentur de quotidianis defectibus.

6. EYa igitur. O Deus tremende & amande, renum meorum teſtis, & cordis mei verus ſcrutator: coram te agnoſco & [a] dolens confiteor me in multis te ſæpiùs offendiſſe; atque in primis circa vſum ſacramenti pœnitentiæ, quia abſque præuio ſufficienti exa-

mine,& abſque vera co ntritione ſæpè ſum confeſſus; ex arida potius quadam conſuetudine quàm ex vera deuotione & dolore: nec ſatis apertè, intelligibiliter, purè,& integrè defectus meos expreſſi.Pœnitentias etiã mihi iniunctas arido corde perſolui;nec zelũ habui & feruorem ad caſtiganda, reprimenda & præcauenda peccata in quæ incideram, nec occaſiones peccandi,ſicut poteram ſolicitè fugi:vnde etiam faciliùs in eadem peccata recidi:his quos verbo vel facto offenderam, dignè ſatisfacere neglexi aut diſtuli. Agnoſco & dolens confiteor me multipliciter te offendiſſe in ſuſceptione Euchariſtię & oblatione ſacrificij miſſæ, ad quam ſæpè acceſſi,ſine debita præparatione & puritate:nec in ipſa communione & celebratione habui condignam reuerentiam,timorem,deſideriũ feruorem,deuotionem,& paſſionis tuæ memoriam. Gratias etiam poſtea pro tanto ſacramento & ſacrificio tepidè egi, & ſæpè ſtatim ad exteriora me conuerti; & ad priſtinas leuitates & defectus redij : vnde fructum tanti ſacramenti in me impediui. Agnoſco & dolens confiteor me in reliquo diuino officio multùm etiam deliquiſſe. Ad illud enim ſæpè tardius acceſſi, abſque debita præparatione & recollectione. Aliquando illud abſque cauſa diſtuli, oculos in eo non cohibui, cum infinitis diſtractionibus, negligentijs, & tepiditatibus illud perſolui: ceremonias debitas non ſemper ſeruaui:ſæpè ſomnolentus fui : nec ſatis deuotè & integrè omiſſa per ſomnolentiam aut neglig ẽtiã repetiui vel ſuppleui.Agnoſco & dolẽs

confiteor me excessisse in sumptione & vsu corporalium commoditatum, cibi & somni: ad cibum enim sine præparatione & deuotione sæpè accessi: auidiùs & præcipitantiùs cibum sumpsi, absque spirituali attentione: extra horam refectionis absque necessitate bibi vel comedi: excessi in quantitate & qualitate vltra verùm & strictam necessitatem:& contra paupertatem ac austeritatem meæ professioni & conditioni congruam. In propositis circa hoc factis instabilis & infidelis fui, & ex indiscreta cibi vel potus sumptione,sæpè incurri stomachi cruditates & debilitates, torpores.& somnolentias,mentis hebetudinem,&ad spiritualia exercitia ineptitudinem,effusionem ad exteriora,& indeuotionem: gratias etiam post refectionem tepidè & distractè persolui.

Agnosco insuper & dolens confiteor,quòd somno indulsi vltra veram necessitatem, & tardiùs surrexi quàm debueram vel proposueram, & inter dormiendum somnia potius vana & immunda quàm bona & deuota habui. In cæteris etiam corporalibus necessitatibus & commoditatibus carni meæ nimis propitius fui, vltra veram & strictam necessitatem statui meo & conditioni congruam illis vtens.

Agnosco & dolens confiteor, me infructuosè & negligenter multas horas in vanis aut minus vtilibus expendisse:maximè in his & his.

Agnosco & dolens confiteor me parum solicitè cellæ & silentij sacras leges, ad spiritualem profectum prorsus necessarias, ob-

ſeruaſſe, ſed ſæpè cellam abſque iuſta cauſa egreſſum eſſe, frequenter ſilentium fregiſſe, multiplicitérque peccaſſe per locutionem inconſideratam, præcipitem, ſuperfluam, iactabundam, detractoriam, contentioſam, aſperiorem, adulatoriam, mendacem, imprudentem, curioſam, & otioſam, aut etiam nociuam. Facilè inſuper rumores ſuperfluos, & detractiones ſeu aliorum defectus ab alijs audiuiſſe & leuiùs alijs retuliſſe: ſæpè ad riſum & ineptam lætitiam procliuem me fuiſſe.

Agnoſco & dolens confiteor me multum tempus otioſis & inutilibus verbis vanè conſumpſiſſe, multa bona vtilia aut neceſſaria interim omiſiſſe, pluries per hoc deuotionis & feruoris ſpiritum extinxiſſe, & ſpiritualem profectum valde impediuiſſe.

Agnoſco & dolens confiteor me hactenus nimis inſtabilem, tepidum, negligentem, & aridum fuiſſe in meditationibus & ſtudijs ſpiritualibus.

Agnoſco & dolens confiteor me à perfectione veræ & religioſæ paupertatis quam profeſſus ſum longè diſtare: hæc enim exigit, vt in omnibus quibus vtimur eligamus, deſideremus, quæramus, & cum gaudio amplectamur vilitatem, humilitatem, ruſticitatem, abiectionem, attritionem, parcitatem, & ſtrictam ac ſimplicem neceſſitatem. Ego verò multa pretioſa, curioſa, vrbana, ſuperflua, & prædictæ paupertati minùs congrua amaui, quæſiui, retinui: & adhuc multa talia habeo & retineo. Inſuper etiam rebus ad vſum conceſſis, affectu nimio adhæſi: nec ſatis patienter earum ſubſtractionem tuli.

Agnoſco & dolens confiteor me perfectam & integram mentis & corporis caſtitatem & puritatem quam religioſa perfectio requirit non ſeruaſſe:maximè in his,& his.

Agnoſco & dolens confiteor,me in multis regulares conſtitutiones meæ profeſſionis & ſtatus fuiſſe tranſgreſſum, nec ſtuduiſſe mores meos conuertere:proprium ſenſum & voluntatem abnegare & mortificare , vitiorum radices extirpare, & in omni virtute proficere, ſicut ex promiſſa morum conuerſione tenebar facere.

Agnoſco & dolens confiteor,me multipliciter deliquiſſe contra promiſſam obedientiam : per defectum debitæ erga ſuperiores reuerentiæ, humilis ſubmiſſionis, fidelitatis, ſimplicitatis , reſignationis , & impletionis voluntatis illorum.

Agnoſco & dolens confiteor,me multipliciter in his quæ erga te præſtare debeo deliquiſſe,per negligentiam te vbique præſentem ſentiendi, reuerendi , & timendi , tuum honorem & beneplacitum purè in omnibus intendendi , te conſulendi, audiendi, & tuis conſilijs ac ſacris propoſitis fideliter , ſimpliciter,integrè, & ſtabiliter obediendi; per defectum & negligentiam te ſuper omnia toto corde diligendi , præeligendi , appetendi, quærendi , amplectendi , laudandi , tibique congratulandi, & gratias agendi, & ad tuam præſentiam & fruitionem aſpirandi.

Agnoſco & dolens confiteor me in his quæ mihi ipſi exhibere debeo multum peccaſſe,per defectum propriæ diſcuſſionis,vilipenſionis,abnegationis,odij, peccati,contri-

tionis,& condignæ pœnitentiæ.

Agnoſco & dolens confiteor erga proximos me multipliciter deliquiſſe: per defectũ puri & Deiformis erga eos amoris,reuerentiæ, ſupportationis,cõgratulationis,compaſſionis,fraternę correctionis,cõdonationis, ſubuentionis,cuſtodię,conſilij,inſtructionis, affabilitatis,concordię,pacificationis,orationis,& omnimodæ miſerationis.

Denique agnoſco & dolens confiteor quod valdè multipliciter & grau te ego & cæteri peccatores, te offendimus per ſuperbiam, vanam gloriam, iram, & impatientiam,priuatum amorem,inuidiam,acediam, auaritiam,gulam,& luxuriam.

Hic breuiter enumerantur peccata contra Decalogi præcepta.

DOleo inſuper & magis ac magis dolere & deflere deſidero, pro eo quòd tot & tanta peccata commiſſa ſunt,& adhuc quotidie committantur contra pręcepta Decalogi. 7. *Confeſſio de peccatis quæ cõtra decalogũ cõmittũtur.*

1 PER hæreſes, ſuperſtitiones, idololatrias, Dæmonum inuocationes,infidelitates, errores,& magicas artes.

2 Per tui nominis vanas aut impias aſſumptiones, iuramenta, periuria, blaſphemias,votorum fractiones.

3 Per feſtorum violationes, ſacramentorum abuſus & irreuerentes tractationes: & ſanctorum tuorum contemptus.

4 Per parentum & ſuperiorum inhonorationes,contemptus,& aduerſus illos rebelliones & inobedientias.

5 Per homicidia, percussiones,& læsiones proximorum.

6 Per turpes & luxuriosas actiones, locutiones,amplexus & oscula: fornicationes,incestus,& immunditias &c.

7 Per furta, rapinas, vsuras, simonias, sacrilegia.

8 Per falsa testimonia, detractiones,diffamationes proximi susurrationes, mendacia perniciosa,dolos,simulationes.

9 Per turpes cogitationes, affectiones,delectationes,& consensus.

10. Per alienorum bonorum concupiscentias,& inordinatas appetitiones. Et per innumera alia peccata, quæ adhuc quotidie committuntur contra tuam & proximi dilectionem & veram charitatem, cogitatione,locutione,opere,& omissione.

ANNOTATIO.

8\. *Vtiliter in plurali numero contritionis exercitiũ fit.*

Quia monachi officium est non solùm sua sed & aliorum peccata deflere: & multùm Deo placet ille pœnitens, qui simul cum suis peccatis omnium etiam aliorum peccata deflet: Ideo in hoc exercitio contritionis vtile est non solùm propria, sed etiam omnium hominum peccata breuiter commemorare:(vt hîc est expressum) quatenus de omnibus simul sancta tristitia assumatur. Exemplo Domini nostri IESV *Christi,qui nullum habens proprium peccatum,pro alienis vsque ad mortem tristari voluit.Propterea in sequentibus quæ ad dolorem contritionis excitandum pertinent, vtere numero plurali: vt in tua & omnium peccatorum persona,tua & aliorum peccata defleas. Si tamen*

aliquan

aliquando volueris, vel si tuæ deuotioni magis congruum & vtile fuerit, tua dumtaxat peccata recogitare & deflere: poteris ea omittere quæ hîc generaliter sunt commemorata, & ea tantùm Deo confiteri quibus tuam conscientiam grauari sentis. Poteris etiam tunc ea in singulari numero dicere, quæ in sequentibus plurali numero exprimuntur.

¶ *Sequitur continuatio exercitij contritionis.*

AGNOSCO & dolens confiteor innumera alia peccata, occulta & oblita, nouissima & antiqua, propria & aliena, quibus, 6. *Quam grauiter & multipliciter Deus per peccatum offendatur.*

1 EGO & cæteri peccatores tuam maiestatem offendimus,

2 Tuam diuinam præsentiam inhonorauimus:

3 Tuam diuinam bonitatem vilipendimus:

4 Tuam charitatem contempsimus:

5 Tuum sanguinem conculcauimus, & tuam passionem renouauimus:

6 Tuum erga nostram salutem zelum & studium negleximus:

7 Tuæ beneficentiæ ingrati fuimus:

8 Tuæ fidelitati infideles:

9 Tuæ erga nos affinitati & officiositati iniuriosi & impij:

10 Tuæ supremæ authoritati inobedientes;

11 Tuis virtutibus dissimiles:

12. Sicque tuam sanctitatem, sapientiam, & æquitatem, summè irritauimus, & contra nos prouocauimus:

O quàm grauis & enormis;quàm abhominabilis & deteſtanda, quàm ſolicitè fugienda & prçcauenda;quàm deflenda,quantiſque pœnis expianda eſt quælibet noſtra contra te tantum & talem offenſa, irreuerentia, ingratitudo, infidelitas, iniuria,inobedientia, diſſimilitudo,& irritatio.

Certè quò perſona quæ offenditur & irritatur eſt dignior,ſanctior,melior, ſapientior, & iuſtior: & perſona quæ offendit eſt vilior, & indignior:eò maior & grauior eſt offenſa.

Cùm ergo tu, Deus æterne, ſis immenſæ prorſus & incircumſcriptibilis maieſtatis,ſanctitatis,bonitatis,ſapientiæ,æquitatis,& omnimodæ perfectionis: & nos ſimus infinitæ prorſus & incomprehenſibilis vilitatis, indignitatis,& iniquitatis:manifeſtum eſt quamlibet noſtram contra te offenſam, eſſe infinitæ grauitatis, & enormitatis: ac proinde ſuper omnia alia mala præſentis,& futuri ſæculi abominandam & deteſtandam, fugiendam & præcauendam,deflendam & puniendam.

10. *Deploratio duritie cordis.* Et tamen (ô inſenſibilitatem & duritiam cordis noſtri plusquam adamantinam) nullum, vel certè modicum, ſentimus dolorem & contritionem,de tot tantiſque noſtris contra te offenſis,& criminibus: nec ferventi zelo ad ea deflenda, & punienda ac præcauenda accendimur:ſed neque vlla noſtra induſtria,labore,aut merito poſſumus obtinere cõtritionem iſtam & zelum feruentem. Tu ſolus iſta potes largiri,infundere, & conſeruare:& quidem ſi vis facilè hoc potes.

Eya igitur,Te qui non vis mortem pecca-

torum, ſed conuerſionem & pœnitentiam: qui abundantia tua pietatis, merita ſupplicũ excedis & vota: qui dixiſti, ſi quid petieritis in nomine meo, credite quia accipietis & fiet vobis: Te, inquam, in nomine tuo rogamus, & amanter, fideliter, humiliter, & cõfidenter obſecramus ac petimus, per diuinitatis tuæ in nobis præſentiam, omnipotentiam, ſapientiam, & benignitatem: per tui corporis & ſanguinis ſacramentum & ſacrificium: per omnia quę aſſumpſiſti, feciſti, & pertuliſti pro noſtra ſalute: per ſeptiforme ſpiritus tui donũ, & Angelicum miniſterium: per internas tuas triſtitias & contritiones pro peccatis noſtris volũtariè aſſumptas: per materni cordis compaſſiones & dolores: per B. Petri, Magdalenæ, & omnium qui vnquam verè pœnituerunt lachrymas & pœnitentias, per hæc, inquam, obſecramus te, vt quia vis, & ſicut potes, ſcis, & vis, & quantùm ad ſalutem noſtram expedit, cordibus noſtris infundas & cõſerues verum, amoroſum, & maximum dolorem de peccatis noſtris & totius mundi, zelumque feruentem ea vlciſcendi & præcauendi.

Et nunc Domine Deus, de tua gratia confidens, volo nunc & quoties tibi placuerit, ad hunc dolorem & cõtritionem quantùm donaueris me magis ac magis excitare, & in hoc me exercendo gratiſſimum tibi obſequium, & cordis contriti ſacrificium offerre & exhibere.

II. *Dolor de peccatis ex aggrauantiis ſumptu ex qualitate perſonæ peccantis.*

Eya igitur doleo & ſuper omne malum quod nobis poſſet contingere defleo & deteſtor.

1 Quod nos viliſſimi terræ vermiculi, qui

abſque te nihil prorſus ſumus, poſſumus, aut habemus niſi peccatum.

2 Nos tam gratuito & immenſo amore à te tantæ maieſtatis Domino præuenti.

3 Et tot tantisque beneficijs à te affecti: vt pote à te prædeſtinati, creati, conſeruati, redempti, illuminati, nutriti, vocati, iuſtificati, & electi, dotati, & glorificandi.

4 Nos tantis obligationibus ad te amandum, tibique ex amore ſeruiendum præ multis alijs magis aſtricti: putà quia Chriſtiani, religioſi, ſacerdotes, prælati, &c.

5 Nos intelligentes te omni reuerentia, laude, amore, & obſequio ſuperdigniſſimum.

6 Nos ſcientes voluntatem tuam, & quæ pręparata ſint tibi obtemperantibus præmia.

7 Nec ignorantes quæ reſeruata ſint inobedientibus ſupplicia: & ſæpiùs iam experti quam ſit damnoſum, & nociuū peccare: quãtaque te offendendo vulnera animæ infligãntur.

8 Nos poſt receptam à te toties peccatorum veniam.

9 Poſt guſtatam tui ſpiritus dulcedinem.

10. Habentes tot & tantas occaſiones peccata vitandi & bona operandi.

1 TAM facilè, abſque graui tentatione.

2 Pro tam viliſſima & breuiſſima delectatione.

3 Tam impudenter, abſque diuinæ tuæ præſentiæ reſpectu, reuerentia, & timore.

4 Non ſemel atque iterum, ſed ſupra numerum.

5 In te & coram te peccauimus.

6 Nos à te ſummo & vnico bono, ſponte

auertimus.

7 Et ad vaniſſimam creaturam inordinatè nos conuertimus.

8 Voluntatem noſtram peruerſam & iniquam ac noxiam, tuæ ſanctiſsimæ, æquiſsimæ & ſalutiferæ voluntati prætulimus.

9 Tua præcepta & conſilia, propoſita etiã ſancta maturè tecum & pro tuo honore facta neglexiмus & tranſgreſsi ſumus.

10. Vt ſequeremur impijſsimi Dæmonis vel mundi vaniſsimi aut immundiſsimę carnis & ſenſualitatis ſuggeſtiones.

12. Dolor de peccatis ex conſideratione perfectionum Dei offenſi.

1 DOLEO & ſuper omne malum quod nobis poſſet contingere defleo & deteſtor: quod iſta faciendo infinitam tuam MAIESTATEM, dignitatem, & excellentiam (quam ſuper omnia adorare, colere, & obſeruare debueramus) heu toties OFFENDIMVS.

2 Doleo quòd diuinam TVAM PRAESENTIAM & SAPIENTIAM nos ſemper & vbique intuentem & conſiderantem (in cuius conſpectu debueramus cum omni reuerentia & humilitate, in omni ſanctitate & iuſtitia ambulare & ſtare) heu! toties INHONORAVIMVS: coram ea peccare non erubeſcentes, quod ad maximam tui irreuerentiam & contemptum cedit.

3 Doleo quòd ineſtimabilem BONITATEM TVAM & omnimodam perfectionem, omnium creaturarum bonitates & perfectiones cauſantem, conſeruantem, in ſe continentem, & infinitè ſuperexcedentem (quam ſuper omnia appretiare, pręeligere & appetere debueramus) heu! toties VILIPENDIMVS eamque poſtpoſuimus viliſ-

ſimæ & vaniſſimæ creaturæ & delectationi, in quo ſummam tibi iniuriam irrogauimus.

4 Doleo quòd CHARITATEM TVAM erga nos æternam, gratuitam, nimiam, & prorſus immenſam (cui per reciprocum amorem reſpondere debueramus) heu! toties CONTEMPSIMVS; noſtrumque amorem ad nos potius & huius mundi delectationes & vanas creaturas quàm ad te conuertimus: in quo grauiſſimum erga te contemptum commiſimus.

5 Doleo quòd SANGVINEM TVVM pretioſiſſimum pro noſtra reconciliatione cum tantis cruciatibus effuſum, toties CONCVLCAVIMVS: teque Deum & Redemptorem noſtrum toties rurſum (quantùm in nobis fuit) vendidimus, illuſimus, flagellauimus, ſpinis coronauimus, crucifiximus & occidimus; dũ poſt acceptã in baptiſmo remiſſionẽ peccatorũ, pro quibus iſta ſuſtinueras toties rurſus peccata cõmittere non timuimus.

6 Doleo & ſuper omne malum quod nobis poſſet contingere deteſtor, quòd ZELVM TVVM & STVDIVM feruentiſſimum ſtrenuiſſimum, & conſtantiſſimum, quo noſtram ſalutem ſemper procuraſti, & tot tantaque pro ea feciſti & pertuliſti (cui per feruentem & continuum tui honoris zelum, & implendæ tuæ voluntatis ſtudium efficax reſpõdere debueramus) heu! toties NEGLEXIMVS; & erga tuam honorem & obſequium promouendum tepidi, remiſſi & negligentes fuimus.

7 Doleo quòd tuæ MVNIFICENTIAE & LIBERALITATI prorſus im-

menſæ,qua gratis & abſque vllo noſtro merito,aut tuo commodo,tot & tanta naturæ, fortunæ & gratiæ bona nobis indigniſſimis contuliſti; & adhuc maiora gloriæ præmia nobis præparaſti: (cui per deuotam gratitudinem reſpondere debueramus) heu! toties INGRATI FVIMVS: dona tua aut in terra vel ſudario inutiliter abſcondentes, aut ea dilapidantes & deſtruentes, aut (quod eſt ingratitudinis deteſtandæ) ijſdem contra tuum honorem & beneplacitum abutentes.

8 Doleo quòd tuæ FIDELITATI erga nos conſtantiſſimæ & certiſſimæ, qua nobis ſemper, etiam quando à te auerſi tibíque rebelles eramus,fideliter aſtitiſti, & benefacere non ceſſaſti,tuaque promiſſa ſeruaſti, per debitam fidelitatem erga te NON RESPONDIMVS, ſed ad tempus in te credentes, tentationis tempore à te receſſimus:& in fide erga te puſillanimes & dubij, atque in propoſitis propter te factis inſtabiles ac imperſeuerantes fuimus.

9 Doleo & ſuper omne malum quod nobis contingere poſſet deteſtor & defleo, quòd te omni genere affinitatis & officij NOBIS PROXIMVM & CONIVNCTISSIMVM, omnibúſque titulis obligatorijs à nobis obſeruandiſſimum & colendiſſimum (vt pote Patrem noſtrum & fratrem,Iudicem & aduocatum,Regem & principem,Dominum & amicum,Præceptorē & magiſtrum, Paſtorem & ducem,Creditorem & fideiuſſorem,Protectorem & medicum, liberatorem & ſponſum,Deum & Beatitudinem noſtram)

tota affectione & sincera pietate, sicut debueramus, NON DILEXIMVS: nec obseruauimus & coluimus: sed toties erga te impij, indeuoti, imò etiam INIVRIOSI FVIMVS.

10 Doleo quòd tibi SVPREME AVTHORITATIS DOMINO & legislatori toties INOBEDIENTES FVIMVS: tuaque consilia & iussa transgressi sumus.

11 Doleo quòd te EXEMPLAR perfectissimum omnium virtutum (quas in tua vita & passione in summo gradu exercuisti) NON SIMVS IMITATI; imo tibi toties & in tam multis dissimiles fuimus, præsertim in his N. & his N.

12 Doleo quòd per hæc omnia incontaminabilem tuam PVRITATEM & SANCTITATEM (quæ omne peccatum tanquam sibi summè contrarium odit & horret: tuamque SAPIENTIAM (quæ omnium & singulorum peccatorum nostrorum grauitatem & turpitudinem perfectissimè intuetur, ponderat & detestatur) Et TVAM inflexibilem ÆQVITATEM & iustitiam) quæ peccatum omne seuerè punit) heu! toties tamque grauiter aduersum nos PROVOCAVIMVS, IRRITAVIMVS, & infinitorum malorum cumulum nobis accersiuimus.

❡ *Dolor de peccatis ex decem damnis & malis quæ ex illis proueniunt.*

13. DOleo & super omne malum quod nobis contingere posset detestor & defleo quòd per peccata nostra.

1 TE SVPREMVM, infinitum, æternũ, & vnicum BONVM in quo,& à quo eſt omne bonum,& ſine quo nihil eſt bonum, heu! AMISIMVS,& à te ſeparati & diuiſi ſumus.

2 Doleo quòd TVAM GRATIAM & AMICITIAM (qua nihil pretioſiùs & deſiderabiliùs eſſe poteſt PERDIDIMVS.

3 Doleo quòd à TVA ſpeciali PROVIDENTIA & paterna cura (quâ te diligentes tibique obtemperátes proſequeris,& omnia in bonum illis cooperari facis) PROIECTI & REPVLSI SVMVS.

4 Doleo quòd DONA SPIRITVS TVI PRETIOSISSIMA, virtutes, beatitudines, fructus ſpirituales,& cætera gratiæ gratum facientis chariſmata per Spiritum ſanctum tuum nobis tam dignanter & liberaliter infuſa & data, DESTRVXIMVS & amiſimus.

5 Doleo quòd omnia BONA & MERITORIA opera,quæ gratiæ tuę dono & adiutorio hactenus feceramus, MORTIFICAVIMVS,& eorum fructu & præmio nos priuauimus.

6 Doleo quòd omnium etiam ELECTORVM & SANCTORVM tuorum meritis & ſalutari COMMVNIONE ac efficaci participatione INDIGNOS NOS REDDIDIMVS.

7 Doleo quòd FRVCTVS immenſi tuæ vitæ & paſſionis incapaces nos fecimus.

8 Doleo quòd inſuper etiam ODIVM, indignationem & iram Dei Patris, tuámque & omnium ſanctorum Angelorum & hominum (quâ nihil magis eſt horrendum & fu-

giendum) INCVRRIMVS. Quamdiu enim in peccato mortali, vel vnico persistimus, sumus coram te & Angelis ac sanctis prorsus odibiles, detestabiles & plusquàm fœtidissimum cadauer, abominabiles.

9 Doleo quòd NOS à miserrima & durissima captiuitate & seruitute Diaboli tam laboriosè per te redemptos & liberatos, rursus TOTIES voluntariè peccãdo IN EANDEM CAPTIVITATEM, & seruitutem RECIDIMVS, eique spontè nos subiecimus.

10. Doleo quòd nos à te in filios & hæredes tàm benignè adoptatos tuóque corpori (quòd est Ecclesia sanctorum) per fidem & charitatem incorporatos, & templum tuum effectos, heu! totiès fecimus Diaboli filios, hæredes, membra, & habitacula: in summam tui contumeliam & contemptum.

¶ Dolor propter decem vulnera quæ per peccatum incurruntur.

14. 1 DOleo & defleo quòd peccando INCVRRIMVS miserrimam & vilissimam SERVITVTEM PECCATI, & prauæ consuetudinis, qua velut quibusdam vinculis ligati detinemur.

2 Doleo quòd incurrimus CAECITATEM, IGNORANTIAM & INCONSIDERATIONEM salutarium, qua peccata & pericula nostra, & quæ sunt vtilia nec clarè dignoscere, nec satis aduertere possumus.

3 Doleo quod incurrimus MALITIAM seu affectum & delectationem peccati.

4 Defleo CONCVPISCENTIAM & inordinatam cupiditatem terrenorum & carnalium desideriorum.

5 Defleo CORDIS DVRITIAM & insensibilitatem: qua fit vt nec vero dolore compungi, nec tuo amore tuo affici, nec quæ spiritualia sunt sapere & gustare possimus.

6 Defleo IMPOTENTIAM agendi aliquid tibi gratum & meritorium vitæ æternæ (quamdiu enim in peccato permanemus mortali nihil tale præstare possumus.)

7 Defleo INFIRMITATEM ad resistendum tentationibus mundi, carnis, & Diaboli.

8 Ad TOLERANDVM probra, penurias & aduersa.

9 Ad INCHOANDVM, prosequendum & perficiendum ardua virtutum opera.

10. Defleo PRONITATEM atque inclinationem ad alia vitia grauiora.

Doleo & defleo quòd peccando in te omnium creatorem,

1 Creaturas etiam omnes offendimus.

2 Earum ministerio & vsu indignos nos fecimus. 15. *Dolor de decẽ aliis malis ex peccato prouenientibus.*

3 Et vt omnes aduersum nos consurgant, ad vindicandã sui conditoris iniuriam, promeruimus: quòd etiam in extremo iudicio facturæ sunt, nisi pœnituerimus.

4 Doleo quod pacem & gaudium serenæ conscientiæ amisimus.

5 Stultitiam & insipientiam summam incurrimus.

6 Omniq́ue gratia tua & conſolatione indignos nos fecimus.

7 Doleo & defleo quod peccando promeruimus in æternum priuari & repelli à tuæ Diuinitatis ſecura & æterna poſſeſſione & adoratione.

8 Clara viſione & laude.

9 Beatifica fruitione & vnione omnimodáque beatitudine:ad quam,& propter quam aſſequendam,nos creaueras,redemeras,& iuſtificaueras.

10. Denique doleo & defleo quòd meruimus æternis gehennæ ignibus,& cruciatibus infinitis, cum Diabolo & reprobis omnibus, ſine vlla ſpe liberationis, in æternum deputari & cruciari:niſi per condignam pœnitentiam,faciem tuam præoccupemus,& miſericordiam tuam nobis conciliemus.

Quæ ſequuntur aggrauantiæ peccati, ſumptæ ſunt ex conditionibus & nominibus inter Deum & peccatorem mutuis. Sufficiet autem in hoc exercitio vnicam aut duas ex his decem conditionibus pro qualibet vice aſſumere:aut etiam poterit iſta decas omitti ſi cui prolixior videatur.

16. *Dolor de peccatis ex cōſideratione nominū & officiorū Dei erga nos noſtraque in dignitatis.*

1 Agnoſco & cum pudore & dolore confiteor,nos FILIOS VERE PRODIGOS & proteruos,qui tibi tanto támq; amãtiſſimo PATRI, toties inobedientes fuimus, à te nos auertimus,teq́ue relicto in regionem longinquam profecti ſumus,vbi cũ meretricibus, proprijs videlicet concupiſcentijs & voluptatibus,totam noſtram ſubſtantiam conſumpſimus, Diabolo adhæſimus, porcóſque paſcentes miſera fame attenuati ſumus: vnde non iam ſumus digni vocari filij tui: & pro ma-

gno

gno reputare debemus si nobiscum facias sicut vni ex mercenarijs tuis.

2 Agnosco,& cum timore ac dolore confiteor,nos REOS MORTIS & damnationis æternæ,quia te superdignissimũ CREATOREM,& supernetuendissimum IVDICEM omnium toties offendimus,& aduersum nos prouocauimus.

3 Agnosco & cum confusione & dolore confiteor,nos exules miserrimos,& regni tui PRODITORES, tuæque Regiæ maiestatis LAESAE REOS: quia cum à te in Reges vncti fuerimus, & omnia animæ & corporis ac fortunæ bona à te tanquam quoddam regnum regenda acceperimus,sub onere certi tributi & seruitij tibi exoluendi, nos in tui cõtumeliam, præsumpsimus pessimum inimicum tuum Diabolum cõstituere huius regni dominum: & tributum ac seruitium quod tibi summo REGI NOST o soluere debueramus, illi impendimus.

4 Agnosco & cum odio nostri ac dolore confiteor,nos SERVOS nequam,pigros,infideles & inobedientes, quia tibi supremo & superamandissimo DOMINO ET REDEMPTORI NOSTRO, numquam dignè, fideliter & ex puro amore seruiuimus, sed cum propria nostri quæsitione,negligenter,& infideli ter:imò etiam sæpiùs voluntatem nostram peruersam,tuę sanctissimæ prętulimus,& quæ tibi displicebant fecimus.

5 Agnosco & cum contemptu nostri ac dolore confiteor, nos DISCIPVLOS indociles,rebelles,vagos & inobedientes: quia tibi PRAECEPTORI superdignissimo,

magiſtrorum optimo,& legislatori ſanctiſſimo, toties reſtitimus, verbaque tua & mandata atque conſilia audire & intelligere neglexímus:aut audita retinere & opere complere noluimus.

6 Agnoſco & cum rubore & dolore confiteor,nos OVES perditas & errantes, MILITESQVE ignauos,profugos & proditores:quia àte PASTORE bono & ſupremo toties aberrauimus, lupique crudeliſſimi vocem potius quàm tuam audiuimus & ſecuti ſumus:quia etiam cùm à te IMPERATORE ſummo, & inuictiſsimo duce,tuæ militiæ aſcripti fuerimus, & donatiuum militare ad præliandum contra hoſtes tuos acceperimus,atque inſuper conſtituti fuerimus cuſtodes noſtrorum corporum & animarum,tamquam tuorum caſtrorum: non tamen ſtuduimus tibi militare, & hoſtibus tuis ac noſtris, Diabolo,carni,& mundo viriliter & conſtanter reſiſtere: ſed (heu) toties tamque facilè abſque graui impugnatione, illis ceſsimus & conſenſimus:imò etiam clauem caſtri nobis commiſsi (quæ eſt cogitatio cordis & conſenſus) Diabolo hoſti peſsimo volũtariè tradidimus: vitioſas eius ſuggeſtiones auſcultando,eiſque,per conſenſum aut delectationem adhærendo, & ipſum in cor noſtrum introducendo.

7 Agnoſco & cum deteſtatione & dolore cònfiteor, nos DEBITORES erga te pluſquam decem millium talentorum, non habentes vnde quicquam poſsimus tibi creditori exactiſsimo reſtituere, pro amiſsis gratiarum & donorum tuorum talentis à te

nobis ad vſuram conceſsis. Agnoſco etiam nos VILLICOS iniquitatis, & dilapidatores ac deſtructores bonorum tuorum, qui non poſſumus villicationis noſtræ rationem iuſtam tibi reddere: præſertim cum bona tua aut in terra abſcondendo vel in ſudario ligando, infructuoſa detinuerimus: aut etiam illis contra tuum honorem & beneplacitum abutentes ea dilapidauerimus.

8 Agnoſco & cum gemitu ac dolore confiteor, nos ÆGROS & infirmos, multis morbis grauiſsimis vexatos, fortiſsimiſque & crudeliſsimis hoſtibus obſeſſos & circundatos: qui tibi MEDICO optimo, & PROTECTORI ac cuſtodi potentiſsimo, toties ingrati, infideles ac inobedientes fuimus: oblataque noſtræ ſalutis remedia & ſecuræ protectionis ſubſidia repulimus & abiecimus.

9 Agnoſco & cum pudore ac dolore confiteor, nos adulterij & ſacrilegij horrendi REOS nefandiſsimos: quia cùm tu Regis æterni filius & Princeps regum terræ, animas noſtras nudas, pauperes, immundas, abiectas & miſerijs omnibus plenas tam dignanter in ſponſas tuas elegeris, in ſanguine tuo laueris, tuis virtutibus & gratijs ornaueris, & ditaueris, eaſdemque tuæ menſæ, thalami, & regni participes feceris: non tamen erubuimus, nec timuimus te tali & tanto SPONSO prorſus nobiliſsimo, pulcherrimo, amantiſsimo, ſuauiſsimo, optimo, & pfectiſſimo, derelicto & ſpreto; in tua preſētia, & te inſpectante, toties nos ſpōte proſtituere turpiſsimo, nequiſsimo, crudeliſsimo & miſerrimo hoſti tuo Diabolo, per conſenſum ei adhærēdo: cui etiam

orna-

ornamenta & dona quæ nobis ad placendum tibi dederas, ſacrificauimus & in obſequium eius conuertimus. O deteſtandum prorſus & æternis pœnis vix expiandum facinus, & adulterium ac ſacrilegium horrendum!

17. *Dolor de peccatis ex eo quod per ea efficimur ſacrilegi Idololatræ & homicidæ.*

Agnoſco & cum planctu ac dolore confiteor, nos FVRES & SACRILEGOS: quia cùm totum id quod ſumus & habemus tuum ſit, tibíque multiplici iure debeatur, & per baptiſmum ac profeſſionem monaſticam diuinis vſibus ſit conſecratum: toties tamen noſmetipſos & noſtra omnia contra tuam voluntatem vſurpauimus, expendimus, tibíque abſtulimus, & prophanis vſibus applicauimus. Agnoſco nos IDOLOLATRAS: quia creaturis & proprijs voluntatibus & voluptatibus potius quàm tibi adhærentes, idololatriam commiſimus. Agnoſco nos HOMICIDAS: quia animas noſtras vita gratiæ & gloriæ priuantes occidimus. Agnoſco nos STVLTISSIMOS & inſipientiſſimos: quia pro viliſſima & breuiſſima delectatione, infinita & æterna bona ſponte perdidimus: periculis æternæ damnationis nos expoſuimus: vitiorum ſarcinam quam deponere debueramus, quotidie nouis peccatis auximus: antiqua vulnera renouauimus: alienis damnis nihilo cautiores effecti ſumus, nec timuimus te offendere & irritare, cuius miſericordia & beneficijs iugiter indigemus, viuimus, & ſuſtentamur: cuiùs etiam ſolo nutu poſſemus occidi, & corpore & anima in gehennam mitti: teque ſpreto voluntariè adhæſimus peſſimo & crudeliſſimo ſa-

lutis noſtræ aduerſario Diabolo, quærenti nos deuorare, & in æternam damnationem ſecum pertrahere.

1 DENIQVE quicquid poſſumus ad exaggerationem noſtrarum contra te offenſarum mente concipere & excogitare; longè minus eſſe agnoſco, quàm ſit in veritate earum grauitas & enormitas quã tu ſolus perfectè comprehendis: ſicut tu ſolus tuæ maieſtatis, ſapientiæ, bonitatis, ſanctitatis, æquitatis & omnimodæ perfectionis (quæ per noſtras offenſas vilipenditur, cõtemnitur & irritatur) immenſitatem perfectè agnoſcis.

Super his igitur omnibus ac ſingulis peccatorum noſtrorum impietatibus, damnis, reatibus, & aggrauantijs quantùm poſſum doleo & lugeo: non tam propter damna & mala quæ incurrere meruimus; quàm potiſſimum & maximè quia per hæc te ſuper reuerendiſſimum, ſuperamandiſſimum, & ſupercolendiſſimum Dominum Deum creatorem & Redemptorem noſtrum (quem ſuper omnia revereri, adorare, metuere, glorificare, amare, appetere, & grato obſequio colere debueramus) heu! toties tam grauiter tamque impudenter offendimus, inhonorauimus, vilipendimus, contempſimus, conculcauimus, neglexímus, & irritauimus, tibique ingrati, infideles, iniurioſi, inobedientes, & diſſimiles fuimus: & quia non ſolùm tibi ſubſtraximus debitum noſtræ ſeruitutis obſequium: ſed etiam ad ſeruiẽdum tibi ineptos, indignos, & inutiles nos reddidimus. Sicut enim tenemur & deſideramus te purè propter tuam bonitatem, ſuper omnia amare 18. *Dolor de prædictis ob id potiſsimum habendus quod à Dei amore & obſequio nos impediunt.*

& ex ſincero amore tibi ſeruire, etiam ſi nullum inde commodum aut præmium ſperaremus: ſic tenemur & deſideramus ſummè dolere & triſtari de tuæ bonitatis & maieſtatis offenſa & contemptu; etiam ſi nullum damnum & malum inde nobis proueniret.

19. *Obſecratio pro ſuppletione defectus contritionis.* Sed quia dolor meus, nullus aut valdè modicus eſt & imperfectus, te rurſus obſecro, per omnes miſerationes tuas, & dolores internos, matriſque tuæ compaſſiones, & B. Petri, B. Magdalenæ, cæterorũque qui vmquam verè pœnituerunt, contritiones & lachrymas: vt quicquid in hoc mihi deeſt, benignè & abundanter ſuppleas: & ſicut potes, ſcis, & vis, & quantum ac quando vis, hunc veræ contritionis dolorem, in me cæteriſque peccatoribus infundas, augeas, conſerues, & perficias, ad tuam & ſanctorum tuorum gloriam, meamque & omnium peccatorum ſalutem, & Eccleſiæ veram reformationem & pacem.

Hic peccata omnia in vulnera, amorem & merita Chriſti, expianda proiiciuntur, cum generali deteſtatione eorum.

20. *Demerſio peccatorũ in vulnera Chriſti.* Et nunc, ſuperamantiſſime & ſupermiſericordiſsime Domine Deus, omnia ac ſingula peccata mea, nouiſſima & antiqua, propria & aliena, vnà cum peccatis omnium viuorum ac defunctorum (eorum maximè pro quibus tu me vis aut ego teneor vel intendo ſpeciaiiùs orare) depono in chariſſima tua vulnera, & pretioſum ſanguinem tuum; proiicio in immenſum ignem amoris tui; demergo in

pelagus exuberantium meritorum tuorum: & abſcõdo in abyſſo infinitarum miſericordiarum,& miſerationum tuarum: vt ibi per merita ſanctiſsimæ humanitatis tuæ,& acerbiſsimæ paſsionis, necnon per preces & merita pijſsimæ matris tuæ, BB. Angelorum, patronorum meorum, & omnium ſanctorum & electorum tuorum, expientur, abſorbeantur,& ad nihilum redigantur.

O vtinam numquam te offendiſſemus, & gratiam tuam in nobis numquam impediuiſſemus! Vtinam tibi ſemper perfectè placuiſſemus, & tuis inſpirationibus ac cõſilijs, tuæque voluntati ſemper & in omnibus amanter, fideliter & integrè obtemperaſſemus! O vtinam omnia quæ ad nos ſpectant perfectè adimpleuiſſemus, & ex incendio amoris tui omnia ſupremo & amabiliſſimo modo, ad honorem tuum & omnium ſalutem perfeciſſemus!

Equidem nos iſta opere non impleuiſſe doleo: & magis ac magis dolere deſidero, peto,& obſecro.

Hîc innouatur propoſitum non ampliùs peccandi.

Et nunc benigniſsime & patientiſsime 21.
Deus, tua longanimi patientia, & ineffabili benignitate ad pœnitentiam & conuerſionem tamdiu expectatus, tam multipliciter inuitatus,& modo per gratiam tuam vtcumque commotus: ecce tui amore, & ſicut vis, omnibus ac ſingulis peccatis & vitijs paruis & magnis,quantùm poſſum & donas, perfe-

ctè renuntio, & ab omnibus quæ tibi displicent integra voluntate me auerto, ac de me prorſus diffidens, ſed in tua miſericordia, fidelitate & virtute pleniſsimè confidens; firma, integra & non ficta voluntate eligo & propono, quolibet potius bono & præmio priuari, & quemlibet cruciatum & mortem potius perpeti, quàm vel minimum peccatum ſcienter & deliberatè committere: quàm voluntariè me à te ſummo & vnico bono auertere: quàm voluntatem meam tuæ voluntati præferendo, te offendere, inhonorare, vilipendere, contemnere, conculcare, & negligere; quàm voluntariè peccando, tibi ingratus, infidelis, iniurioſus, & inobediens, exiſtere: quàm te irritare, & odium ac indignationem tuam incurrere.

Hic ſi libuerit poteris propoſitum tuum renouare contra ſpecialia quædam vitia in quæ forſitan de nouo incidiſti aut ad quæ te procliuiorem ſentis, addens quod ſequitur.

Specialiter autem in te, & per te, ac propter te, firmiter propono hæc & hæc peccata ſolicitè præcauere, & eorum occaſiones quantùm potero fugere & abſcindere.

22. *Propoſitũ confitendi et quãcumquè pœnitẽtiã implẽdi.* Propono etiam idoneo & legitimo ſacerdoti purè & integrè confiteri ea peccata quæ necdum ſum confeſſus: obſecrans te vt ſi quę occulta mihi aut oblita ſunt in me vitia, tu ea mihi reuelare digneris quatenus poſſim illa confiteri.

Propono inſuper quamcunque pœnitentiam & ſatisfactionem per te aut per tuum

ſacerdotem, ſeu ſuperiores meos, tuos erga me vicarios, mihi pro peccatis meis imponere volueris aut conſulueris, amanter, fideliter & integrè implere.

Peto humiliter veniam ab omnibus quos 23. *Poſtulatio veniæ ab his quos pœnitens læſit.* quouis modo offendi, læſi, vel irritaui: paratum mė offerens ad faciēdum quicquid conſulueris, ad hoc vt eis reconcilier, & condignè ſatisfaciam: obſecrans te, vt me doceas quibus, qualiter, & quando debeam reconciliari & ſatisfacere: & quicquid minus in hoc hactenus egi vel poſthac egero, tu benignè erga eos ſupplere digneris.

Ignoſco ex corde propter tui amorem & 24. *Pœnitēs hic ignoſcit omnibus qui eum læſerunt.* beneplacitum, omnibus ac ſingulis qui me vnquam quouis modo læſerunt vel offenderunt, aut qui me adhuc nunc odio habent vel perſequuntur: eoſque tamquam benefactores & multorum bonorum ac meritorum occaſionem mihi præſtantes, propter te & ſecundùm te amo: bonum illis opto, téque pro eorum vera ſalute ſupplex obſecro: & paratum me offero ad præſtandum illis quoties occaſio ſeſe obtulerit, omne obſequium quod pro eorum ſalute & ſpirituali profectu impendere me poſſe putauero.

Supplico vt tu ſimiliter omnia peccata mea mihi ignoſcas, & me in tuam gratiam & amicitiam recipias: mihíque in omnibus miſericorditer & benignè ſuccurras. Quod te propter nimiam tuam bonitatem 25. *Fiducia quod Deus ignoſcat pœnitenti* & charitatem, & iuxta tuam fideliſſimam promiſſionem, facere confido. Scio enim quia licèt mater filij vteri ſui obliuiſceretur, tu tamen reuertentis ad te peccatoris

pœnitentis obliuiſci non potes: ſed quacumque hora peccator verè ingemuerit, & dignos pœnitentiæ fructus facere firmiter propoſuerit, tu ſtatim peccatorum eius non recordaris: imò ſic ea condonas, & obliuiſceris, vt numquam poſtea illa ei improperes, aut vllum diſpendium vel incommodum inde eum ſuſtinere patiaris: ſi tamen in via iuſtitiæ perſeuerauerit. Scio tantam inter te & verè pœnitentem oriri fidelitatem, ac ſi numquam peccaſſet. Scio te his qui debitoribus ſuis propter te dimittunt, eorum contra te debita dimittere. Confido igitur quòd tu mihi per gratiam tuam pœnitenti, & propter te meis debitoribus ignoſcenti, mea peccata ignoſcis & debita dimittis, eadémque obliuiſceris, nec amplius mihi imputare aut improperare vis, ſi rurſus te non offendero. Confido quòd tu me in gratiam & amicitiam tuam recipis, perinde ac ſi non peccaſſem: & paratiſſimus es mihi in omnibus benignè ſuccurrere.

26. *Gratiarũ actio pro longanimitate Dei erga pœnitentem, & pro infuſa contritione.*

Propter quod, quas poſſum tibi gratias ago, & ex affectu beatæ Mariæ, BB. Angelorum, & ſanctorum omnium, ex mea tuorúmque & meorum ſpecialium, & omnium pœnitentium parte; te cum Patre & Spiritu ſancto vnitrinum Deum, per ſuauiſſimum cor & ſpiritum tuum, adoro, glorifico, amans tibi congratulor, gratúſque me totum tibi in perpetuum amoris obſequium offero: téque in æternum adorare, glorificare, amare & grato obſequio colere ardentiſſimis deſiderijs concupiſco & propono; pro

tua

tua patientia, misericordia, & benignitate, qua me & cæteros peccatores mei similes toties & tamdiu tibi rebelles, ingratos, infideles, inobedientes & iniuriosos tam patienter tolerasti, tam longanimiter expectasti, nec nos in gehennam ignis æterni detrusisti (sicut iustè poteras & sicut alios multos qui mihus quàm ego peccauerunt, iustè iam damnasti) sed tot tantisque beneficijs afficere non cessasti: tam multipliciter ad te reuocasti, tam dulciter & potenter cor meum immutasti, & nunc de meis peccatis contritionem, & firmum ea præcauendi propositum donasti, fiduciámque impetrandi à te non solùm veniam & indulgentiam, sed etiam gratiam & gloriam mihi infudisti & superaddidisti.

Hic instauratur propositum Deum amandi & ex amore ei seruiendi.

27. Et nunc igitur Domine Deus superamandissime & supercolendissime tua hac tanta, támq; supereffluenti bonitate & benignitate excitatus & inflammatus, desidero te super omnia redamare, reuereri & colere: & de me quidem diffidens, sed in te confidens, propono tibi de cæterotantò fideliùs & feruentiùs ex sincero amore seruire & obsequi: quantò sæpiùs & grauiùs te hactenus offendi & irritaui. Desidero & propono ex puro tui amore, cum deiformi intentione, omnia quæcumq; volueris agere, dimittere & pati, in tempore & æternitate. Desidero & propono vota tibi promissa, & proposita sancta propter tuum

honorem facta aut facienda, fideliùs ſolito, & ſtabiliùs, ac perfectiùs implere; hæc præſertim N. N.

Hîc ſi vo'ueris poteris aliqua ſpecialia propoſita renouando confirmare.

Deſidero & propono tuæ ſanctiſſimæ vitæ & paſſionis virtutes perfectiſſimas pro viribus imitari, has præſertim N. N.

Hîc etiam poteris a'iquas Chriſti virtutes commemorare & imitandas ibi proponere ſi libuerit.

Deſidero tuis paſſionibus quantùm volueris & donaueris communicare & conformari.

Hîc offertur Deo deſiderium & voluntas vlciſcendi peccata.

28. Zelo etiam tui honoris & iuſtitiæ, non ſolum peto mea peccata mihi ignoſci, ſed etiam deſideranter (atque vtinam feruenter, veraciter & perſeueranter) eſurio ea per tuam iuſtitiam (ſi ita tibi laudabiliùs fuerit) dignè caſtigari & puniri, vt ſicut peccando te inhonoraui, ſic pœnam pro peccatis libenter patiendo te honorem & glorificem.

29. *Recognitio pœnitentis quod non poſſit ex ſe dignè ſatisfacere.*

Cæterùm in veritate tua agnoſco & confiteor, quòd licèt ego ſolus omnium qui vmquam tibi placuerunt auſteritates, labores & paſſiones ſuſtinerem, & omnia bona opera facerem: non tamen vel ſic poſſem pro minimo meo contra te peccato dignè ſatiſ-

facere,

facere, aut sufficienter illud vlcisci, si remota pietate tua illud vindicare velles. Cùm enim quodlibet peccatum, saltem mortale, tam infinitam & incomprehensibilem habeat grauitatem & enormitatem, quàm infinita & incomprehensibilis est tua maiestas, æquitas & bonitas, quæ per peccatum offenditur & irritatur: nihil minus quàm infinitam & æternam pœnam meretur, nec vlla temporali & finita pœna dignè potest vindicari & puniri.

30. *Resignatio ad subeundã pœnam æternam.*

Agnosco igitur & confiteor, me pro tot & tantis peccatis & inobedientijs meis nouissimis & antiquis, non semel tantùm, sed centies millies meruisse, non solùm omnem huius vitæ confusionem & pœnam, sed æternam quoque damnationem & gehennam. Ad quam etiam, si tibi placeret, & in iustitiæ tuæ maiorem laudem cederet me nunc mittere, tui amore & tui honoris ac iustitiæ zelo, illam voluntariè acceptarem: vt sicut per peccatum te inhonoraui, sic per pœnæ tolerantiam te honorarem. Atque etiam insuper vellem in ipsa gehenna, si fieri posset, in perpetuum te laudare, tibíque gratias agere, tum quia multo tempore me peccantem tolerasti & beneficijs multis affecisti: tum quia adhuc citra condignum me punires. Scio enim omnes gehennæ pœnas non sufficere ad vlciscendas & dignè puniendas tot & tantas meas contra te offensas & inobedientias: maximè cum vnica mortalis offensa, gehennæ supplicia mereatur æterna.

℈ *Oblatio meritorum Christi pro peccatis.*

31. SEd quia non vis mortem peccatorum, nec in eorum perditione lætaris: quia tu Deus æterno patri coæqualis, propterea dignatus es verus homo fieri, & tot tantáque facere & pati: vt nos peccatores ab æterna gehenna redimeres, & ad tuam gloriam & beatificam fruitionem (ad quam nos creaueras) rursus reparares & perduceres: quia etiam summè desideras, expectas, consulis, & inuitás; vt ad huius tuæ incarnationis, vitæ & passionis infinitum thesaurum, veris pœnitentibus semper apertum, confugiamus: & ex eo quicquid nobis ad tibi satisfaciendum, & placendum deest suppleamus & abundè hauriamus: ideò vt huic tuo desiderio satisfaciam, & tam pijssimæ ac superefluentissimæ bonitatis & charitatis tuæ dignationi respondeam: non autem principaliter vt pœnas euadam, neque propter me & meum commodum, sed propter te, quia vis & sicut vis, & vt liberatus ab æternis pœnis, te cum Beatis omnibus videam & glorificem, gratissimúmque tibi obsequium sicut es superdignissimus offeram & exhibeam. Propter hæc, inquam, ecce ad hunc thesaurum tuum supplex & deuotus confugio: & ex eo per humanum & transfixum cor tuum, in spiritu sancto, Deo patri omnipotenti in omnigenam hostiam NVNC OFFERO: & centies millies omni tempore & maximè in hora mortis meæ offerre desidero, pro meis & omnium viuorum ac

defun-

defunctorum (eorum maximè pro quibus tu me vis aut ego teneor vel intendo specialiùs orare) peccatis & negligentijs omnia merita tuæ Incarnationis , Natiuitatis , Circuncisionis, Apparitionis , in templo Præsentationis, fugæ in Ægyptum, Cohabitationis, Baptismi , Ieiunij , & tentationis,sanctissimæ conuersationis, doctrinæ, & vltimæ cœnæ,tristitiæ , agoniæ, & sanguinei sudoris , comprehensionis, ad varios iudices tractionis , illusionis, & afflictionis, flagellationis, spineæ coronationis, exhibitionis, adiudicationis, Crucis baiulationis, crucifixionis, crucipendentiæ,mortis,transfixionis;de cruce depositionis, planctus, sepulturæ,descensionis ad inferos, Resurrectionis , Ascensionis, & Spiritus sancti missionis.Offero omnes & singulas tuas perfectissimas virtutes, maximè eas contra quas grauiùs deliqui.Offero omnia opprobria,penurias, austeritates,labores & passiones tuas, & præcipuè tristitias tuas internas pro peccatis nostris voluntariè assumptas : omnia denique quæ pro nostra salute ex purissima & nimia charitate assumpsisti , fecisti, & pertulisti. Offero omnem vsum & fructum septem Ecclesiæ sacramentorum : & præsertim sacratissimi corporis & sanguinis tui , quod in sacrificio Missæ hactenus est oblatum , & vsque in finem sæculi offeretur. Offero laudes & charitates omnium spirituum beatorum , te amantium : ministeria & merita omnium Angelorum , exercitia omnium sanctorum & electorum tuorum,famulatũ omnem & cultum

totius Ecclesiæ, & omnia quæ in piissima matre tua, cæterisque sanctis omnibus & electis operatus es, operaris, & in æternum operaberis: omnia etiam quæ ab initio mundi pasi sunt, & adhuc vsque in finem sæculi patientur electi tui, pro tuo honore & amore aduersa. Hæc inquam omnia per suauissimum cor tuum, Deo patri omnipotenti offero, in amore illo quo idem Pater tuus te nobis dedit, & quo tu te ipsum illi pro nobis in ara crucis obtulisti, & adhuc quotidie in Missæ sacrificio offers, & offerris: in omnigenam hostiam: I. In DIGNAM LAVDEM omnium in quibus summam Trinitatem laudabilem esse recognoscis: II. In PLENAM GRATIARVM ACTIONEM pro quolibet beneficio à singulis debitam creaturis: III. In VERAM SATISFACTIONEM & emendationem omnium peccatorum ab origine mundi commissorum, præsertim meorum & eorum pro quibus tu me vis aut ego teneor vel intendo specialiùs orare: IIII. In sufficientem PERSOLVTIONEM OMNIVM BONORVM vnquam à nobis omissorum: V. In AVGMENTVM GLORIAE omniũ beatorum: VI. Et GRATIAE omnium iustificatorum: VII. In EMENDATIONEM omnium peccatorum: VIII. In REFRIGERIVM animarum purgandarum: IX. Et IN RELEVATIONEM omnis indigentiæ corporis & animæ singulorum miserorum & afflictorum: X. VERAMQVE & vniuersalem Ecclesiæ reformationem & pacem.

¶ Confidentia quod prædictæ oblationis meritum applicetur pœnitenti, si faciat fructus pœnitentiæ dignos.

EYa benigniſſime IESV: credo & certus ſum hanc oblationem eſſe pro peccatis, non ſolùm meis, ſed etiam totius mũdi propitiationem ſuper ſufficiẽtiſſimam: piè etiam confido eius virtute & merito omnia peccata mihi à te ignoſci, pœnamq́ue quam pro illis merui ſufficientiſſimè exolui; gratiam & amicitiam tuam mihi reſtitui, & ad ſpem vitæ æternæ me admitti & reſtitui. 32.

Si tamen (ſicut tu vis, & iuſtum eſt, ac ſalutare) ego tibi compatiar, & pro peccatis meis me tecum coaffligam & caſtigem, quod tui amore tuiq́ue honoris & iuſtitiæ zelo, deſidero, & obſecro: ac propterea nunc firmiter propono propter te, ſecundùm te, per te, & tecum, dignos pœnitentiæ fructus quantùm volueris & donaueris facere. 33. *Inuocatio propoſiti ad faciendos fructus dignos pœnitentiæ.*

1 Atque in primis propono magis ac magis peccata mea ponderare, & ad veram pro illis contritionem & emendationem me excitare.

2 Ac propterea, illa opera & exercitia magis ſectari, quæ tuam bonitatem & fideliſſimam erga me charitatem & beneficentiam, meamq́ue ex aduerſo erga te infidelitatem, ingratitudinem, & iniuſtitiam mihi magis inſinuant & oſtendunt: meq́ue ad tui ſincerum amorem, confidentiam, & obſequium, & ad mei contemptum, odium, & mortificationem magis excitant & promouent.

3 Corporales autem exercitationes & ca-

ſtigationes,eatenus volo aſſumere,quatenus ad iſta me per illas iuuari poſſe putauero:ſaluis ſēper illis quæ ex obedientiæ præſcripto, vel cōſilio,aut ex ſtatus &.profeſsionis meæ debito aſſumendę & tolerandæ erunt: quas in primis,amanter,fideliter, & integrè tolerare deſidero & propono,quantùm te donante potuero.

4 Quantò ſuperbiùs peccando me extuli, tantò profundiùs ſub omnipotenti manu tua me humilio,proſterno & in gratiſſimã tuam voluntatem pleno corde reſigno:& paratum offero ad omnia quæcunque volueris aduerſa,in tempore & æternitate, pro tuo amore & honore,ſuſtinenda: deſiderãs & ſupplicãs, vt tu liberè & integrè mecum, de me, & per me,facias quicquid voles:& ſicut tibi placuerit me caſtiges, mortifices, & ad amorem tuum,tuæque vitæ & paſsionis imitationem me reſtaures & reformes.

5 Inſuper quia te offendēdo,omnes quoque creaturas offendi,& omnibus viliorē me feci:ideò ſubter omnes me deiicio,& ab omnibus pro meis contra te offenſis caſtigari & affligi,quantũ,quoties, & quomodo volueris aut permiſeris,deſidero, ſupplico & expecto.

6 Omnes etiam homines mihi præpono & præponi deſidero:omnibuſque propter te, & ſecũdùm te,ſubiici & ſeruire paratus ſum.

7 Verè enim agnoſco & confiteor omnium me ingratiſsimum,&(quantùm ex me eſt,ſecluſa gratia tua)ſceleratiſsimum maximumque peccatorem. Quia niſi gratia tua me præſeruaſſet & præſeruaret, in quælibet peccata cecidiſſem,& caderem: Et ſi maximi

quique peccatores tantam à te,quantam ego recepi gratiam recepissent:fideliùs & perfectiùs tibi quàm ego seruissent & seruirent.

8 Meipsum insuper (hoc est propriũ sensum meum,propriáque volũtatem & sensualitatem meã,omnis peccati radicem & causam præcipuam)propter te , & secundùm te, odi,detestor,& magis ac magis semper odisse,detestari,persequi,abnegare & mortificare desidero,& in te ac per te propono.Atq; quicquid ei gratũ fuerit, fugere,abiicere,aut cum dolore suscipere , nisi propter te aliquid tale sumendum fuerit. Quicquid verò durum & ignominiosum fuerit,id volo & propono eligere,prosequi,& cum gaudio amplecti:quantum salua discretione salubriter sufferre me posse putauero.

9 Quantùm me glorificaui & delectationem sumpsi in peccatis,tantò magis oblectamẽta omnia nõ necessaria,nec spirituali profectui vtilia vitare,abiicere & ab eis abstinere desidero,& per gratiam tuam propono.

10. Austeritates etiam omnes quas absque tua offensa & spiritualis profectus detrimento vel impedimento sufferre me posse putauero,volo & propono(salua in omnibus semper obedientia) propter te , per te,& tecum, amãter & viriliter suscipere:easque quamdiu volueris fideliter,confidenter,fortiter, & perseueranter tolerare. Obsecrans te,vt quãtò ad hæc sum tepidior,imprudẽtior, & infirmior, tantò magis per suauissimum spiritum tuum & angelicum ac humanum sicut volueris, ministerium & consilium,me excites,dirigas confortes,& honestes: sic vt in his nec exce-

dam nec deficiam. Sed rationabile & acceptabile tibi ſemper ſit meum obſequium.

34. *Rꝫ gnatio pœnitentis ad omnem crucem.* Et quia nimis remiſſus ſum & negligens ad ſubſtrahẽdum mihi oblectamenta ſuperflua, & aſſumendum auſteritates diſcretas: Opto, ſupplex obſecro, & expecto, vt tu, ſicut potes ſcis & vis, per te ipſum, aut quamcunque volueris creaturam & medium, ſuppleas quicquid in hac parte minus egi, ago, & acturus ſum.

Quod vt liberiùs facias, ecce in vnione illius amoris quo tuus Pater tibi filio ſuo prædilecto nõ pepercit, ſed pro nobis te in mortem tradidit, & quo tu propoſito tibi gaudio ſuſtinuiſti crucem confuſione contempta, atque inſeparabiles in omni vita tua comites elegiſti, & aſſumpſiſti humiliationes, penurias, & pœnalitates, & quo ſanctis tuis dediſti vt tui amore & imitatione aduerſa quæque libenter aſſumerent & ſufferrent: in eodem inquam amore, & eadem intentione ac fructu, offero me tibi, & plenè reſigno ad quaſcũque immiſeris, aut ſuper me vel meos venire permiſeris humiliationes, & cõtemptus, penurias, & pœnalitates, ſubiectiones, & triſtitias ac anguſtias cordis, cruciatus & infirmitates, bonorum profuſiones & amiſsiones, abſtinentias & ſenſuum afflictiones, carceres & mortes.

35. *Obſecratio pro Cruce vtiliter ferenda.* Diffidens quidẽ prorſus de me, ſed te confidenter obſecrans, & à te expectans, vt tui amore & imitatione: zeloque iuſtitiæ, tuoq; merito, & ſacrificij ac ſacramenti Miſſæ & Euchariſtiæ virtute & adiutorio, tuiq; ſpiritus dono ſeptiformi, & Angelico miniſterio

ac B.Mariæ & omnium ſanctorum & electorum tuorum exemplo & ſuffragio, dones mihi omnem quorumcumque delectabilium ſubſtractionem, omnemq; crucẽ & aduerſitatem vndecumque venerit, de paterna tua prouidentia & benigna ordinatione immediatè ſemper ſuſcipere, tamquam caſtigationem & purgationem peccatorum meorum à te cæleſti patre & medico mihi miſſam, & velut tuę erga me fidelitatis & charitatis certiſſimum pignus, tamquam occaſionem maximi lucri ſpiritualis, remq; prius optatam & ſæpiùs à te poſtulatã. Nec permittas me quęrere ab ea liberari, niſi prius ſic eam cum laude & gaudio de manu tua ſuſcepero: & niſi propter te, & ſecundùm te putauero petẽdam & quærendam eſſe eius liberationem. Sed da vt in vnione tuarũ abſtinentiarum & paſſionum, illam vſque in finem quamdiu durauerit amplectar: I. & tolerem cum iugi laude & gratiarũ actione: II. Cum profunda humilitate & mei ipſius, proprijq; commodi perfecta abnegatione: III. Cum feruenti obſecratione, plena confidentia & integra reſignatione: IIII. Cum charitate, gaudio, & pace: V. Cum dulci patientia, forti longanimitate, & ſuaui manſuetudine: VI. Cum bonitate, benignitate, & beneficentia: VII. Cũ fide, fidelitate, & modeſtia: VIII. Cum cõtinentia & caſtitate: IX. Cum innocentia, & ſecuritate: X. Cum prudentia cordis, & oris ſapientia: XI. Cum ſimplicitate, & finali perſeuerãtia. 36.

Fructus ex Crucis tolerãtia ſperandi.

I. Vt ſic gratum tibi obſequium præſtem: II. Et ſicut vis, tibi paſſo cõformer: III. Peccata mea puniã: IIII. Amorem priuatum &

vitia ex eo naſcentia mortificẽ: V. in amore tuo & virtutibus proficiam: VI. Et cõmunicãs tuis paſſionibus, earũ virtute & merito: VII. Patrem tuum honorem: VIII. Irã eius auertã: IX. Gratiam eius & dona recuperem, mihiq́; & quibus volueris impetrem illuminationẽ, iuſtificationẽ, ſanctificationẽ, liberationẽ, confortationẽ, redẽptionẽ à malis prę-ſẽtibus & futuris: & tuæ diuinitatis ſecurã & æternã poſſeſſionẽ, clarã viſionẽ & laudẽ, beatificãq́; fruitionẽ & vnionẽ inſeparabilẽ, ad tuã, & ſanctorũ gloriã, meãq́; & omniũ ſalutẽ, & Eccleſiæ verã reformationẽ & pacẽ, Amẽ.

37. *Aſſumptio pœnitentiæ particularis.* *Hic ſi volueris particularem aliquam pœnitentiam (putà orationem, eleemoſynam, aut corporalem afflictionem) Deo pro peccatis tuis offerre & aſſumere: dic quod ſequitur.*

Et nunc Domine Deus, modicam hãc pœnitentiam pro peccatis meis, voluntariè cum gaudio ſpiritus, propter te, & ſecundùm te aſſumo, & in vnione paſſionũ tuarum tibi offero; ſimul cum præſenti exercitio, & vniuerſis pœnis, laboribus & exercitationibus mei ſtatus, ordinis & officij: obſecrans vt hæc omnia in cor tuum ſuſcipiens, ADIVNGAS tuis & ſanctorum tuorum paſſionibus & meritis, acceptes, perficias, abſcondas, conſerues, & nunc & ſemper & maximè in hora mortis meæ Deo patri offeras in omnigenam hoſtiam, ad ſuperſãctiſſimę Trinitatis, tuæq́; crucifixę humanitatis ſupremã latriã, tuęq́; matris & omniũ Angelorũ, & ſanctorum gloriã, meãq́ue & omniũ pro qbus tu me vis aut ego teneor vel intẽdo ſpecialiùs orare omnimodã ſalutẽ, verãq́; & ſtabilẽ Eccleſiæ reformationẽ & pacẽ.

BREVIS ET DEVOTA MEDITATIO IN ORATIONEM

nem Dominicam, & salutationem Angelicam, quæ post prædictum exercitium (aut aliàs quando libuerit) legi poterit, pro particulari pœnitentia, vel pro quauis alia causa.

CAP. IIII.



O PATER misericordiarũ, cui proprium est misereri:

NOSTER frater, nostrarũ miseriarũ particeps factus, per assumptã humanitatem:

QVI ES IN COELIS & in beatis, Deus totius consolationis & beatitudinis.

Eya quia vis & sicut vis, sic obsecramus:

SANCTIFICETVR NOMEN TVVM: hoc est, sic purè, perfectè, & stabiliter agnoscatur, adoretur, timeatur, intendatur, quæratur, glorificetur, ametur, & grato obsequio colatur nomen tuum; id est, tua diuina maiestas, sapientia, bonitas, sanctitas, charitas, & omnimoda perfectio: quæ nihil aliud est quàm tu ipse, trinus & vnus Deus.

Sic ADVENIAT REGNVM TVVM: Regnum tuæ illuminationis, directionis, & tandẽ claræ visionis, ac pleni dominij; quo sanctos illuminas, regis, dirigis, & gubernas in omnibus: ostẽdens illis teipsum, & tuã voluntatem.

Sic amanter, fideliter, & integrè, fiat & impleetur VOLVNTAS TVA, hoc est,

quicquid

quicquid pręcipis vel consulis: sic etiam accepetur cum laude, quicquid tu ipse operaris, aut permittis, & ordinas: sic inquam sanctificetur nomen tuum, sic adueniat regnũ tuum, sicque fiat tua voluntas IN TERRA: hoc est, in nobis, de nobis, & à nobis, qui hîc in terra adhuc degimus, in Ecclesia militante: SICVT IN COELO: id est sicut in te IESV Christo homine, & in beatis tecũ triumphantibus in cœlo: in quibus & à quibus plenissimè nomen tuum sanctificatur, & quibus regnum tuum iam aduenit, & in quibus ac per quos tua voluntas perfectè impletur.

Ad hoc obtinendũ, ad triplicis huius petitionis effectum cõsequendum: non ad alium finem, aut intentionẽ præcipuam, cęteras quę sequuntur petitiones nobis concede.

Atque in primis, quia nisi à te nutriamur, sustentemur, & cõfortemur: prædicta assequi non possumus.

PANEM NOSTRVM QVOTIDIANVM DA NOBIS HODIE.

Panem corporalem, sacramentalem, supersubstantialem, & spiritualem.

NOSTRVM, nobis necessarium, & absq; iniusto medio acquirendum vel accipiẽdum nobisque per te assignandum.

QVOTIDIANVM non superfluum, sed quo quotidie simpliciter sustentari indigemus.

DA gratis & liberaliter, neque enim illum meruimus.

NOBIS omnibus filijs tuis tuæ beatitudinis capacibus.

HODIE in præsenti vita mortali, in qua quotidie deficimus in via, nisi à te reficia-

mur

mur. hoc eſt, Dona nobis quicquid ad conſeruandum, & confortandum nos in tuo ſeruitio eſt neceſſarium & vtile: Et quicquid ad corporis & animæ ſalutarem conſeruationem & profectum in hac vita eſt neceſſarium, & accommodum ad hoc vt in nobis ſanctificetur nomen tùum, adueniat regnum tuum,& tua voluntas impleatur. Da nobis,inquam hunc panem,hodie & ſemper de manu tua paterna ſperare, petere, quærere,ſuſcipere; ſobriè manducare, ſolicitè retinere, & fructuosè exercere.

Et quia hoc pane prorſus indigni ſumus: nec illum poſſumus ſalubriter recipere, aut eo vti,niſi ab omni peccato, & offenſa tua puri & liberi ſimus, & in gratia & charitate tua conſtituti: ideò orantes dicimus. DIMITTE NOBIS DEBITA NOSTRA: hoc eſt, propter nomen tuum & bonitatem tuam ignoſce, in ſanguine tuo dele, igne amoris tui conſume, in miſericordia & miſerationibus tuis multis & magnis remitte, & charitate tua cooperi, omnia peccata noſtra, omnes offenſas,irreuerentias, ingratitudines, infidelitates,inobedientias,& omiſſiones,contra te, tuaque iuſſa & conſilia, per nos & à nobis factas, quibus debitores effecti ſumus gratiæ, & donorum tuorum perditorum aut malè expenſorum:& pœnarum promeritarum. Dimitte,inquam,iſta,ex corde nobis ignoſcendo, in gratiam & amicitiam tuam nos recipiendo, cor mundum in nobis creándo,& ſpiritum rectum, in cordibus noſtris innouando.

Et quia non dimittis nobis debita noſtra,

niſi

nisi & nos dimittamus debitoribus nostris, ideò petimus, vt sic nobis dimittas debita nostra SICVT ET NOS DIMITTIMVS DEBITORIBVS NOSTRIS: id est, sicut & nos, tui amore, ex corde ignoscimus his qui quouis modo nos offenderunt, aut læserunt: contra quos, quia vis, & sicut vis, omne odium, rancorem, iram, indignationem & amaritudinem relinquimus, aut certè relinquere desideramus: eosq; in gratiã & amicitiã nostram recipimus; propter te & secundùm te illos amantes, & magis ac magis amare desiderantes: pro eis te specialiter orantes, eisque benefacere parati, quoties nostra opera vel industria illos, pro sua salute & profectu spirituali, indigere intellexerimus. Quicquid autem nobis deest de vera dilectione, dimissione & beneficentia erga debitores nostros: tu quæso, supple & excusa, per tuam nimiam erga inimicos & persecutores tuos dilectionem, & benignissimam ac efficacissimam pro illis orationem: qua dixisti: Pater ignósce illis, quia nesciunt quid faciunt: quam etiam pro his qui nos læserunt tibi offerimus.

Sed quia non sufficeret de præteritis peccatis veniam consequi: nisi à futuris caueremus, & abstineremus: nec nostra virtute abstinere possumus: ideò nostram orationem prosequentes dicimus. ET NE NOS INDVCAS IN TENTATIONEM: Id est, non sinas, propter superbiam, ingratitudinem aut negligentiam nostram, aliaque demerita, nos induci & succumbere ac consentire in tentationem; hoc est, in suggestionem

malam

malam mundi, carnis, vel diaboli: non permittas nos tentari ſupra id quod poſſumus. Non ſic deſeras nos, vt tentatione aliqua impulſi, te rurſus offendamus, & in peccatum recidamus.

Sed quia nec tentationibus reſiſtere, nec nomen tuum ſanctificare, nec regnum tuum conſequi, nec voluntatem tuam perfectè implere poſſumus, niſi liberemur à malis, damnis, & reatibus præteritorum peccatorum: ideò orantes dicimus. LIBERA NOS A MALO quod peccando iam incurrimus: & præſerua ab eo quod incurrere meremur. Libera nos à miſeranda captiuitate & ſeruitute diaboli, peccati, & prauæ conſuetudinis: à cæcitate & ignorantia atque inconſideratione ſalutarium: à malitia & iniuſtitia: ab immunda concupiſcentia: ab infirmitate, & impotentia reſiſtendi tentationibus, aduerſa tolerandi, & bona perficiendi. Et præſerua nos ac redime à promeritis pœnis gehennæ, & damnationis æternæ: à flagellis tuæ iracundiæ: à purgatorij pœnis, & his quæ non ad emendationem noſtram, ſed ad vindictam tantùm noſtrorum peccatorum inſeruiunt, vel quæ ſalutem & profectum animæ noſtræ impediunt. Ab his verò malis pœnæ, & præſentis vitæ tribulationibus, quæ ad purgationem vel probationem noſtram, profectúmque ſpiritualem, à paterna tua prouidentia & benignitate ordinantur, & vtiles ſunt, non petimus abſolutè liberari, ſed confortari ad eas dignè & fructuosè tolerandum, quamdiu volueris.

AMEN, hoc eſt, ita, quæſo, fiat; ſicut ar-

denter desideramus, & confidenter petimus: ô benignissime Pater: cuius paterna benignitas fons est nostræ spei & exauditionis: per IESVM dilectum filium tuum in quo tibi semper bene complacuisti, & in cuius nomine nos petentes exaudire promisisti: per omnia quę assumpsit, egit, & pertulit pro nostra salute, in Spiritu sancto; hoc est, in amore illo quo eũdem Filium tuum nobis donasti: & quo ipse pro nobis incarnari, pati & mori dignatus est: & seipsum tibi obtulit, offert, & offertur: Intercedente B. Maria, & omnibus Angelis & Sanctis, quos tanquam amicos & familiares tuos à nobis vis honorari, & rogari, atque pro intercessoribus apud te assumi.

¶ *Salutatio Angelica cum breuibus aspirationibus ei conuenientibus ex B. Gertrudis libro sumptis.*

AVE MARIA: Eya grauatos alleuia.

GRATIA PLENA: Eya aridis gratiam præsta.

DOMINVS TECVM: qui per te peccatoribus indulgeat.

BENEDICTA TV IN MVLIERIBVS. Eya benedic & adiuua imperfectos & incipientes.

ET BENEDICTVS FRVCTVS VENTRIS TVI: qui per te benedicat & confortet proficientes & perfectos.

IESVS CHRISTVS: qui per te nos omnes saluet & sanet.

SPLENDOR PATERNAE GLORIAE: qui per te nos illuminet.

ET FIGVRA SVBSTANTIAE EIVS: qui per te nos inflammet, & sibi conformet.

Sancta Maria, mater Dei & virgo, Angeli, patroni mei, & omnes sancti, orate pro nobis & pro omnibus petitionibus nostris, nunc & in hora mortis nostræ, Amen.

ANNOTATIO IN præcedentem Dominicæ orationis & salutationis Angelicæ Meditationem.

IN hac Dominicæ orationis explicatione, Tria præfationis vocabula scilicet PATER, NOSTER, QVI ES IN COELIS: *Tribus personis sanctissimæ Trinitatis appropriantur, ad maiorem attentionem & deuotionem excitandum: licèt tria illa Domino nostro* IESV *Christo Deo & homini verè conueniant, & ad eum referri possint, atque etiam ea tribus personis sint communia.*

Hæc clausula (QVIA VIS) *vtilissimè additur, vt mista oratione, nostra intentio sit Deiformis: & ea quæ orando petimus, non ob id, saltem præcipuè & principali intentione, petamus, quia nobis vtilia sunt, sed quia Deus vult vt illa petamus, & orando impetremus: ita quòd eius voluntas, & desiderium faciendi quod ipsi gratum est, sit prima & principalis intentio, finisq; præcipuus nostræ petitionis.*

Quod autem additur (ET SICVT VIS:) *valet ad plenariam nostræ voluntatis cum diuina voluntate conformationem, non solùm in volito,*

sed

sed in modo volendi: videlicet, vt ab eo petamus, non solùm quod vult nos petere sed etiam id consequi desideremus, eo modo, tempore, ordine, & mensura quibus ipse voluerit.

Tribus primis petitionibus idcirco præmittitur hæc particula SIC *vt quod subiungitur,* IN TERRA SICVT IN COELO, *ad singulas illas tres petitiones referatur: quod conuenientissimum est, & ad attentionem & deuotionem iuuandam vtilissimum. Quia enim* IN COELO, *(hoc est, in Christo capite, & in Ecclesia triumphanti) perfectè sanctificatur nomen Dei, Regnumq; eius iam aduenit, & voluntas impletur: ideò orantes ista fieri in terra sicut in cœlo, desideramus & petimus ista perfectè impleri. Et licèt in præsenti Ecclesia & vita mortali, nō possint hæc ita perfectè impleri, sicut in cœlo: tamē quantùm possumus debemus desideranter & studiosè aspirare ad illam perfectionem. Porrò hîc fit aliqua transpositio dictionum, dum dicitur* IN TERRA SICVT IN COELO, *Et non sicut habet vsitata forma Dominicæ orationis* SICVT IN COELO ET IN TERRA: *vt clariùs & conuenientiùs hæc clausula, tribus prædictis petitionibus applicetur: in quo sola fit verborum transpositio non sensus mutatio.*

*Quatuor autem petitionibus reliquis ideo præmittitur hæc particula (*AD HOC:*) vt intelligamus illas petitiones, non aliter neque ad alium finem præcipuum esse petendas nisi quatenus necessariæ vel vtiles sunt, ad consequendas tres primas petitiones. Si enim aliter peterentur, inordinatè & superuacuè postularentur, nec grata & placita Deo esset nostra postulatio.*

Post particulam AMEN *adduntur aliqua, quæ*

sunt velut obsecrationes ad corroborandum spem & effectum nostræ orationis. Atque in-primis in hoc verbo (BENIGNISSIME PATER) *obsecramus nos exaudiri per paternam Dei erga nos benignitatem quæ totius exauditionis fons est & origo.*

Et in hac particula (PER IESVM DILECTVM FILIVM TVVM) *obtendimus & offerimus Deo patri omnem amorem & meritum* IESV *Christi filij sui prædilecti in quo sibi semper benè complacuit, & per quem vult nos omnia petere & obtinere, & in cuius nomine nos petentes semper exaudit. In eo autem quod addit* (IN SPIRITV SANCTO) *obsecramus nos exaudiri, in amore, & per amorem quo Deus pater filium suum nobis dedit: Et quo ipse filius sese Deo patri pro nobis obtulit, ad omnia agenda & patienda quæ pro nostra salute erant necessaria: & quo adhuc in Ecclesia quotidie offertur, & seipsum offert in altaris sacramento.*

Denique additur (INTERCEDENTE BEATA MARIA, ET OMNIBVS ANGELIS ET SANCTIS) *quia licèt Christus* IESVS *sit vnicus Redemptor noster, & sufficientissimus mediator: ipse tamen vult suam matrem, & Angelos ac Sanctos (qui ipsum honorauerunt & semper honorant) à nobis honorari, & apud se intercessores assumi: Quando autem honoramus & oramus eos: Christum potius in illis (à quo habent vt sancti sint, & qui omnia opera bona operatus est in eis) honoramus quam illos.*

Porrò quæ in salutatione Angelica adduntur, non sunt eius explicationes, sed petitiones de-

uota, conuenientes & correspondentes sententijs ipsius salutationis, quas Beata Gertrudis solita erat sub ista salutatione Angelica meditari & petere: quibus etiam addebat duo illa Christi nomina ex D. Paulo desumpta (SPLENDOR PATERNAE GLORIAE ET FIGVRA SVBSTANTIAE EIVS:) quæ non parum iuuant deuotionem, & actuant fidem Diuinitatis IESV Christi, veri Dei & veri hominis. Fructuosè etiam simul cum Beata Maria, omnes beati Angeli, & sancti inuocantur, vt per eorum omnium preces, ministeria, & merita, omnia nostra iusta desideria, & petitiones cordium salubriter exaudiantur.

¶ *Sequitur prædicta explicatio* Dominicæ *orationis breuius comprehensa.*

O PATER misericordiarum. NOSTER, nostrarum miseriarum particeps.

QVI ES IN COELIS, Deus totius cõsolationis & beatitudinis.

QVIA VIS & SICVT VIS, sic obsecramus purè, perfectè, & stabiliter.

SANCTIFICETVR, agnoscatur, & glorificetur NOMEN TVVM.

Sic ADVENIAT REGNVM tuæ illuminationis, directionis, & claræ visionis, ac pleni dominij.

SIC amanter, fideliter & integrè FIAT VOLVNTAS TVA.

IN TERRA, & Ecclesia militanti; sicut fit IN COELO, in Christo homine & Ecclesia triumphanti.

AD HOC triplex desiderium consequendum, PANEM NOSTRVM QVOTIDIANVM, sacramentalem, supersubstantialem, spiritualem & corporalem, DA NOBIS HODIE de manu tua sperare & accipere. ET in sanguine tuo, in immenso igne amoris tui; in abysso miserationum & meritorum tuorum: DIMITTE NOBIS omnia & singula DEBITA & peccata NOSTRA: SICVT ET NOS, tui amore DIMITTIMVS & ex corde ignoscimus omnibus ac singulis DEBITORIBVS, & inimicis NOSTRIS, qui nos quouis modo læserunt. ET NE NOS INDVCAS & labi permittas, IN TENTATIONEM & nouum peccatum.

SED LIBERA NOS A MALO, captiuitatis, ignorantiæ, malitiæ, cupiditatis, infirmitatis, atque præsentium & imminentium tribulationum malarum ac nociuarum: denique à malo pœnæ & damnationis æternæ.

AMEN, Ita quæso sicut confidenter petimus fiat,

O benignissime Pater, per IESVM dilectum filium tuum, in Spiritu sancto, intercedente Beata Maria, & omnibus Angelis & sanctis.

ADMONITIO.

Notandum verò est, quod licèt nihil addendum aut immutandum sit in oratione Dominica quando in publico & canonico officio dicitur, sed simpliciter sub his tantùm verbis sit proferenda sub

quibus est nobis à Christo Domino præscripta & data: in priuato tamen, quando aliquis vult eam dicere cum maiori attentione & explicatione, potest ea quæ hîc addita sunt aut similia fructuosè proferre vel meditari.

SEQVITVR ALIVD EXERCITIVM CONTRItionis, sub breuioribus verbis complectens ea quæ in præcedenti exercitio prolixiùs sunt posita.

CAP. V.



IVDEX generalissime, supreme, & æquissime:

O Iudex sapientissime, potentissime, & erga pœnitentes quidem benignissime, sed erga pœnitere negligentes, seuerissime, terribilis, & metuende:

O superamantissime & superbeneficentissime amator & benefactor.

O superreuerendissime, superamandissime, & supercolendissime Domine Deus meus.

Ecce ergo vilissimus & ingratissimus peccator, coram tremendo & amabili vultu tuo, me & omnia intuente astans, toto corde me tibi prosterno: in veritate tua agnoscens,

& cum quanto possum dolore & pudore confitens, quia Maiestatem, æquitatem, & bonitatem tuam immensam, heu! nimis, multipliciter, grauiter, & impudenter offendi:

1 In his præsertim: in negligentia & defectu circa sacramentum pœnitentiæ.

2 In irreuerentia, & in deuotione circa missæ sacrificium & sacramentum.

3 In defectibus circa reliquum diuinum officium.

4 In superflua vel indiscreta sumptione cibi & potus & aliarum corporis necessitatum.

5 In torpore & negligentia sacras vigilias seruandi.

6 In minus fructuosa temporis expensione.

7 In locutione inconsiderata, præcipiti, superflua, superba, detractoria, contentiosa, asperiori, adulatoria, mendaci, simulatoria, curiosa, sæculari, & otiosa.

8 In negligentia te vbique præsentem sentiendi, reuerendi, timendi, te intendendi, & consulendi & audiendi.

9 In defectu fidelis, simplicis, & integræ obedientiæ erga te & tuos vicarios.

10 In defectu puri erga te amoris, desiderij, congratulationis, laudis, gratiarum actionis, & feruentis ad te aspirationis.

11 In defectu & negligentia propriæ discussionis, vilipensionis, abnegationis, odij, contritionis, & condignæ pœnitentiæ & satisfactionis.

12 In improuidentia, incuria, vel negligen-

tia multorum quæ ad meum ſtatum vel officium pertinent.

In defectu erga proximos omnes deiformis amoris, reuerentiæ, ſupportationis, congratulationis, compaſſionis, fraternæ correctionis, indulgentiæ, ſubuentionis, cuſtodiæ, inſtructionis, affabilis & pacificæ conuerſationis, & orationis.

Contra promiſſam ſtabilitatem, obedientiam, conuerſionem morum, paupertatem, caſtitatem, & regulares obſeruantias.

Contra decalogi præcepta: in ſeptem peccatis mortalibus, & nouem alienis: cogitatione, locutione, opere, & omiſſione.

Denique in infinitis alijs peccatis & negligentijs, nouiſſimis & antiquis, proprijs & alienis, occultis & oblitis: agnoſco me tuam maieſtatem, ſapientiam, & bonitatem, grauiter & impudenter offendiſſe.

Et nunc Domine Deus, miſericors, clemens, benignus, & præſtabilis ſuper malitia: omnia & ſingula peccata & delicta mea, ſimul cum peccatis omnium viuorum & mortuorum (eorum præſertim pro quibus tu me vis, aut ego teneor vel intendo, ſpecialiùs orare) depono in chariſſima vulnera tua, & pretioſum ſanguinem tuum: proiicio in immenſum ignem amoris tui: demergo in exuberantium meritorum tuorum pelagus: & abſcondo in abyſſo infinitarum miſericordiarum & miſerationum tuarum: vt ibi per merita ſanctiſſimæ humanitatis tuæ & acerbiſſimæ paſſionis, necnon per merita & preces beatiſsimæ matris tuæ, BB. Angelorum & omnium ſanctorum ac ele-

ctorum tuorum, expientur, absorbeantur, & ad nihilum redigantur. O vtinam numquam te offendissemus,& gratiam tuam nunquam in nobis impediuissemus! Vtinam tibi perfectè semper placuissemus, tuæq; voluntati in omnibus amanter, fideliter & integrè obtemperassemus! O vtinam omnia quæ ad nos spectant, perfectè impleuissemus:& ex incendio amoris tui, omnia supremo & amabilissimo modo, ad honorem tuum, & omnium salutem perfecissemus! Equidem nos ista non impleuisse doleo,& magis ac magis dolere desidero.

Doleo quòd nos vilissimi terræ vermiculi,à te tantæ maiestatis Domino;tam gratuito & immenso amore præuenti : tantisque beneficijs affecti : scientes te omni reuerentia, amore, & obsequio superdignissimum: tuámque agnoscentes voluntatem, & repromissa tibi obtemperantibus præmia : nec ignorātes supplicia tibi inobedientibus præparata : experti etiam quanta per peccatum damna & vulnera animæ infligantur : post receptam à te sæpiùs veniam & indulgentiam : post gustatam gratiæ & consolationis tuæ dulcedinem;habentes tot occasiones vitandi peccata, & bene viuendi:tam facilè & absque graui tentatione; pro tam vilissima & breuissima delectatione vel commoditate:tam impudenter, absque tuæ diuinæ præsentiæ timore & reuerentia:non semel atque iterum,sed supra numerum:in te,& coram te peccauimus; nos à te summo & vnico bono voluntariè auertimus:téque spreto, ad vanissimam creaturam conuertimus : voluntatem

noſtram peruerſam & nociuam, tuæ ſanctiſſimæ & ſalutiferæ voluntati prætulimus: ſuggeſtionéſque dæmonis, mundi, & carnis, potius quàm tua præcepta, conſilia & ſancta propoſita, ſecuti ſumus.

Doleo & ſuper omne malum quod nobis poſſet contingere deteſtor & defleo, quòd iſta faciendo,

1 OFFENDIMVS tuam adorandam maieſtatem & excellentiam.

2 INHONORAVIMVS tuam Diuinam præſentiam nos & omnia intuentem.

3 VILIPENDIMVS tuam ſuper omnia appetendam & amplectendam bonitatem & perfectionem.

4 CONTEMPSIMVS tuam ſuper omnia redamandam charitatem, & dilectionem erga nos nimiam & prorſus gratuitam.

5 CONCVLCAVIMVS tuum pro nobis effuſum ſanguinem, tuáſque paſsiones quantùm in nobis eſt RENOVAVIMVS.

6 NEGLEXIMVS tuum feruentiſsimum erga noſtram ſalutem zelum & ſtudium.

7 INGRATI FVIMVS tuæ liberaliſsimæ & immenſæ erga nos munificentiæ.

8 INFIDELES fuimus, tuæ erga nos conſtantiſsimæ fidelitati.

9 IMPII ET INIVRIOSI fuimus erga te omni affinitatis gradu & officij genere nobis coniunctiſsimum: & à nobis obſer-

uandiſ

uandiſsimum.

10 INOBEDIENTES fuimus tuæ ſupremæ authoritatis & dominij legibus, præceptis & mandatis.

11 DISSIMILES fuimus tuæ ſanctiſſimæ vitæ & paſsionis virtutibus.

12 Et per hæc omnia ſummè IRRITAVIMVS & aduerſum nos prouocauimus tuam SANCTITATEM omne peccatum tamquam ſibi contrarium, perfectè odientem & deteſtantem: tuam SAPIENTIAM peccati cuiuſlibet grauitatem & enormitatem integrè agnoſcentem & ponderãtem: tuamque ÆQVITATEM & iuſtitiam omne peccatum mortale (quod per pœnitentiam hîc non expiatur) diſtrictiſsimè & ſeueriſsimè æterna & incomprehenſibili pœna vindicantem.

Doleo inſuper quòd ſic in te peccando téque irritando & prouocando,

1 Te ſummum æternum & vnicum bonum (extra quod, & ſine quo nihil eſt bonum) amiſimus.

2 Tuam gratiam & amicitiam (quâ nihil poteſt eſſe pretioſius & deſiderabilius) perdidimus.

3 A tua ſpeciali PROVIDENTIA & paterna cura (quâ diligentes te proſequeris, & omnia illis in bonum facis cooperari) repulſi ſumus.

4 Dona ſpiritus tui, & infuſas à te nobis virtutes & gratias gratificantes, deſtruximus & amiſimus.

5 Omnia bona & meritoria opera, quæ per gratiam tuam hactenus feceramus, mortifi-

cauimus & infructuoſa nobis reddidimus.

6 Omnium ſanctorum tuorum & electorum communione & participatione efficaci & ſalutari, indignos nos fecimus.

7 Fructu quoque immenſo tuæ vitæ & paſſionis nos priuauimus.

8 Inſuper etiam odium & indignationem tui patris, tuámque & omnium Angelorum & ſanctorum incurrimus.

9 Ex filijs, hæredibus, & membris tuis, fecimus nos peſsimi Diaboli filios, hæredes, & membra.

10. Nóſque velut ſacra templa tibi conſecratos, polluimus: & ſpeluncas latronum infernalium, vitiorúmque habitacula fecimus.

Doleo & defleo quòd in te peccando incurrimus

1 Miſerrimam & duriſsimam ſeruitutem & captiuitatem Diaboli, peccati, & prauæ conſuetudinis.

2 Cæcitatem, ignorantiam, & inconſiderationem ſalutarium.

3 Malitiam, ſeu affectum & delectationem peccandi.

4 Concupiſcentiam inordinatam honorum, diuitiarum, & voluptatum.

5 Cordis duritiam, & inſenſibilitatem.

6 Impotentiam agendi aliquid vitæ æternæ meritorium.

7 Infirmitatem ad reſiſtendum mundo, carni & Diabolo.

8 Ad tolerandum dura & aduerſa.

9 Ad inchoandum, proſequendum, & per-

ficiendum bona tibi placita:

10. Et pronitatem atque inclinationem ad alia vitia grauiora.

Doleo & defleo quòd te creatorem omnium offendendo,

1 Creaturas etiam omnes offendimus.

2 Earum ministerio & vsu indignos nos fecimus.

3 Et vt omnes aduersum nos consurgant, ad vindicandam sui cõditoris iniuriam, promeruimus.

4 Doleo quòd pacem & gaudium serenæ conscientiæ amisimus.

5 Stultitiam & insipientiam summam incurrimus.

6 Omniq́ue gratia tua & consolatione indignos nos constituimus.

7 Doleo quòd promeruimus in æternum priuari tuę diuinitatis secura & æterna possessione & adoratione.

8 Clara visione & laude.

9 Et beatifica fruitione, transformatione & vnione, ad quam, & propter quam assequendam, nos creaueras, redemeras, & iustificaueras.

Denique doleo & defleo, quòd meruimus æternis gehennæ ignibus & infinitis cruciatibus, cũ Diabolo & reprobis omnibus, sine vlla spe liberationis, deputari & cruciari: nisi per cõdignam pœnitẽtiam, faciem tuã nunc pręoccupemus, & misericordiam tuam nobis conciliemus.

Super his igitur omnibus ac singulis peccatorum nostrorum impietatibus, damnis, & reatibus, quantum possum doleo: non tã pro-

pter damna & mala quæ incurrimus aut incurrere meruimus: quàm potissimùm & maximè, quia te super reuerendissimum, superamandissimum, & supercolendissimum Dominum Deum, creatorem, & redemptorem nostrum, toties, tãque grauiter, & impudenter offendimus, inhonorauimus, vilipendimus, cõtẽpsimus, cõculcauimus, & neglexímus: tibiq; ingrati, infideles, iniuriosi, inobediẽtes, & dissimiles fuimus: & ad seruiendum tibi ineptos & indignos nos reddidimus.

Et quia dolor meus valde modicus & imperfectus est, Obsecro te, vt per dolores tuos internos & cordis tui contritiones, tuæq; matris cõpassiones, & Petri, Magdalenę, cęterorũq; omnium qui vnquã verè pœnituerũt cõtritiones & lachrymas: quicquid in hoc mihi deest, benignè & abũdãter suppleas: & sicut potes, scis, & vis, hunc verę conditionis dolorem in me, cæterisq; peccatoribus, infundas, augeas, conserues, & perficias, ad tuam & sanctorũ gloriam, meãq; & omniũ pœnitẽtium salutẽ, & Ecclesiæ verã reformationẽ & pacẽ.

Et nunc Domine Deus, quia vis, & sicut vis, omnibus peccatis & cõcupiscentijs meis perfectè abrenũtio: & per gratiam tuã propono, deinceps vitare quicquid tibi displicet: paratus mori potius, quàm scienter & ex proposito te offendere. Propono ea quæ necdum sum cõfessus peccata, idoneo sacerdoti cõfiteri: & quãcũq; pro illis pœnitentiã iniũxeris aut consulueris amanter & integrè perficere.

Veniam peto ab omnibus quos quouis modo læsi: quibus etiam paratus sum satisfacere, sicut tu consulueris. Ignosco ex corde,

propter tui amorem & beneplacitũ,omnibus ac singulis qui me vnquam læserunt,aut qui etiã nunc me odio habent,vel persequuntur: eosq; propter te,& secundũ te amo,bonũ illis opto, teq; pro eorũ vera salute supplex obsecro:& paratũ me offero ad prǫstãdũ illis,quoties occasio sese obtulerit, omne obsequium, quod pro eorum vera salute impendere me posse putauero.

Supplico, vt tu mihi pariter omnia peccata quibus te offendi ignoscas : meq; in gratiam & amicitiam tuam recipias,& mihi benignè in omnibus succurras.

Quod te, propter bonitatẽ tuã & fidelem promissionẽ,facere piè cõfidens:quas possum gratias tibi ago,teq; in æternũ glorificare desidero,pro eo quod me hactenus te offendentẽ & prouocantẽ tãdiu tolerasti & expectasti ab ęterna dãnatione pręseruasti,multis beneficijs cumulasti,multipliciter ad te reuocasti, & nunc de peccatis meis contritionem & firmum ea præcauendi propositum donasti, fiduciamq; impetrandi à te non solùm de illis veniã,sed etiã gratiã & gloriã mihi infudisti.

Propter quod, tua hac tanta benignitate inflãmatus,desidero & propono,te super omnia redamare, reuereri & colere,tibiq; de cętero,tãtò fideliùs & feruẽtiùs,ex sincero amore seruire & obsequi,quãtò sæpiùs & grauiùs te hactenus offendi & irritaui.Desidero vota & proposita sancta tecum facta aut facienda, fideliùs & perfectiùs implere.

Esurio etiam tui honoris,& iustitiæ zelo, dignam de meis contra te offensis vltionem & pœnam sumi.

Agnoſco me nullis meis operibus, laboribus & paſſionibus, poſſe pro illis dignè ſatisfacere: maximè cum æterna gehennæ pœna eis (ſi remota pietate iudicētur) debeatur. Ad quam etiam gehennam, ſi tibi placeret, & in iuſtitiæ tuæ laudem maiorem cederet me nūc mittere: tui honoris & iuſtitiæ zelo, illam voluntariè acceptarem: vt hîc te per pœnæ tolerantiam honoratem, quem per peccatum offendi & inhonoraui.

Sed quia dignatus es homo fieri, pati, & mori, vt ab hac æterna gehenna nos redimeres: & pro nobis abundè ſatisfaceres. Quia etiam deſideras & conſulis, vt huius tuæ incarnationis & paſſionis meritum Deo patri per te offeramus: ideò vt huic tuo deſiderio ſatisfaciam: & vt liberatus à pœnis promeritis, liberiùs gratiſſimum tibi obſequium (ſicut es ſuperdigniſſimus) præſtem: Offero, per ſuauiſſimum cor tuum, in Spiritu ſancto, Deo patri, in omnigenam hoſtiam, te ipſum totum, Deum & hominem perfectum, cum omnibus quæ aſſumpſiſti, feciſti, & pertuliſti pro noſtra ſalute: ſimul etiam cum omnibus bonis & meritis, quæ in pijſſima matre tua, cæteriſque ſanctis tuis & electis, operatus es & adhuc operaberis.

Credo hanc oblationem eſſe pro peccatis non ſolùm meis, ſed etiam totius mundi ſuperſufficientiſsimam. Piè etiam confido eius virtute & merito, omnia peccata mea à te mihi ignoſci: pœnáque quā pro illis merui, ſufficientiſsimè exolui: gratiam & amicitiam tuam mihi reſtitui: & ad ſpem vitæ æternæ me admitti & reſtaurari.

Si tamen ego etiam (ſicut tu vis & iuſtum eſt ac ſalutare) tibi compatiar: & pro peccatis meis me tecum coaffligam.

Quod etiam toto corde deſiderans: Eccè tui amore, & tui honoris ac iuſtitiæ zelo, propono per te, & tecum dignos pœnitentiæ fructus facere.

Atque in primis propono, ad veram peccatorum meorum contritionem & emendationem me magis ac magis excitare & exercere: eaque opera & ſtudia libentiùs ſectari, quibus ſenſero me magis promoueri, ad te amandum, deſiderandum, & ex amore tibi ſeruiendum: & ad meipſum deſpiciendum, abnegãdum, humiliandũ, & mortificandum.

Proſterno me, & quantùm poſſum profundè ſub omnipotenti manu tua humilio: & in gratiſſimam tuam voluntatem me totum plenè reſigno, ad omnia quæcumque volueris aduerſa, pro tuo amore, ſuſtinẽda, in tempore & æternitate.

Subter omnes creaturas me deiicio, & ab omnibus, pro meis contra te creatorem omnium offenſis, affligi & caſtigari (quantùm, quoties, & quomodocumq; volueris) deſidero, & expecto, ac obſecro.

Omnes etiam homines mihi præpono, & præferri deſidero, omnibusq; propter te, & ſecundùm te, ſubiici & ſeruire ſum paratus.

Meipſum, hoc eſt, proprium meum ſenſum, propriamque voluntatem & ſenſualitatem (omnis peccati radicem præcipuam) odi, deteſtor, & perfectiùs ſemper odiſſe, abnegare, perſequi & mortificare, propter te, & in te deſidero, & per te propono. Oblectamẽ-

taque omnia non necessaria, nec salutaria, vitare, abiicere & ab eis abstinere: atque austeritates omnes, quas profectui spirituali vtiles & tibi placitas cognouero, assumere & hilariter propter te tolerare similiter propono: obsecrans te, vt per suauissimum spiritum tuum: & Angelicum atque humanum consilium & auxilium, ad hæc me excites, dirigas, confortes, & honestes: sic vt in his nec excedam, nec deficiam: sed rationabile & acceptabile tibi semper sit meum obsequium.

Et quia ad hæc nimis tepidus, remissus, infirmus, & negligens sum, opto, supplex obsecro, & expecto, vt tu per teipsum, aut quamcunque volueris creaturam & medium, suppleas quicquid in hoc minus egi, ago, aut acturus sum. Quod vt liberiùs facias: eccè in vnione illius amoris, quo pater tuus tibi pro nobis non pepercit, & quo tu, proposito tibi gaudio: sustinuisti crucem, omni confusione contempta, inseparabilesq; in omni vita tua comites, humiliationes, penurias, & pœnalitates voluntariè elegisti & assumpsisti: & quo, sanctis tuis dedisti, vt aduersa quæque propter te libenter assumerent & tolerarent: in eodem, inquam, amore, & eadem intentione & fructu: offero me tibi ad quascumque consulueris, immiseris, aut super me vel meos venire permiseris, humiliationes, penurias, & pœnalitates: diffidens quidem prorsus de me, sed à te confidenter petens, & expectans, vt tui amore & imitatione, zeloque iustitiæ, tuo etiam merito, & septiformi dono, atque angelico ministerio: nec non B. Mariæ, & omnium

san

ſanctorum tuorum, exemplo & ſuffragio, dones mihi omnia aduerſa, quæcumque ſuper me aut meos venire permiſeris: de manu tua paterna ſemper ſuſcipere, tamquam cęleſtem medicinam, pignuſque tui amoris, & occaſionem maximi lucri ſpiritualis: & eadem vſq; in finem quamdiu durauerint, in vnione paſſionum tuarum, tolerare cum iugi laude & gratiarum actione: cum profunda humilitate & perfecta mei ipſius abnegatione: cum feruenti obſecratione, plena confidentia & integra reſignatione: cum charitate, gaudio & pace: cæteriſque fructibus ſpiritus tui: ſic vt per ſingula momenta poſsim illum fructum percipere ad quem aduerſa illa ordinaueris, & quem tuis paſsionibus nobis promeruiſti, ad tuã & ſanctorum gloriam, noſtramq; & noſtrorum, omniumque ſalutem, & eccleſiæ veram ac ſtabilem pacem & reformationem: Amen IESV benigniſſime.

Prædictum contritionis exercitium adhuc breuius comprehenſum, quando non vacat aut non libet præcedentia legere vel meditari.

O Iudex ſupreme, æquiſſime, & ſuper omnia tremende, O creator, Redemptor, Amator & benefactor, ſuper omnia amande, & colende: Ecce ego viliſſimus & ingratiſſimus peccator, coram te aſtans: me totum tibi proſterno, & humiliter confiteor, quia in multis, & præſertim in his & his N. N. In te & coram te peccaui.

Hîc exprime peccata quæ volueris deflere.

Doleo quòd tuam maieſtatem,bonitatem, charitatem , & æquitatem, offendi , vilipendi, contempſi , & aduerſum me prouocaui. Doleo quòd tibi ingratus,infidelis,& inobediens fui. Doleo quòd tibi debitum amoris obſequium non impendi. Doleo quòd tuam gratiam & amicitiam , tuæque gratiæ dona, & merita , per meam culpam amiſi , & indignum me feci participatione meritorum tuæ vitæ & paſſionis,ſanctorumque tuorum. Doleo quòd incurri cæcitatem,malitiam , concupiſcentiam,captiuitatem,cordis duritiam, & inſenſibilitatem,infirmitatem,& ad omne peccatum pronitatem. Doleo quòd merui in æternum priuari tuæ diuinitatis ſecura poſſeſſione,clara viſione , & beatifica fruitione:& cum Diabolo ac reprobis omnibus æternæ gehennæ pœnis infinitis , abſque vlla ſpe liberationis,deputari & addici.

Propono per gratiam tuam , de cætero vitare quicquid tibi diſplicet , & mortem potius perpeti,quàm ſcienter & ex propoſito te rurſus offendere & irritare.

Propono admiſſa peccata confiteri,& pœnam quamcumque pro eis iniungere volueris,amanter & integrè perficere.

Veniam peto ab omnibus quos læſi vel offendi:& paratus ſum quãcumque conſulueris ſatisfactionem illis facere.

Ignoſco ex corde propter te, omnibus qui me vnquã offenderũt:eoſq; ſecundũ te amo:

pro illorum salute te supplex obsecro: & paratus sum illis benefacere quoties occasio sese obtulerit.

Supplico, vt & tu mihi plenè ignoscas, meque in gratiam tuam suscipias, & mihi in omnibus succurras.

Quod à te confidenter expectans: gratias tibi ago pro eo quòd me hactenus peccantē tolerasti, expectasti, & à dãnatione multisque malis & periculis præseruasti: multisque beneficijs & modis ad te reuocasti, attraxisti, illuminasti, cōpunxisti: & spem veniæ, gratiæ, & gloriæ mihi infudisti. Desidero te redamare: & de cætero amãter, fideliter, & integrè, in omnibus tuæ voluntati, tuisque & tuorum mandatis & consilijs obedire.

Esurio, tui honoris & iustitiæ zelo, peccata mea puniri. Agnosco me pro illis æternã pœnam meruisse. Ad quam etiam, si tibi placeret me mittere, libenter eam, pro tuo honore & beneplacito, acceptarem. Sed quoniam tu dignatus es homo fieri, pati, & mori, vt ab ea nos redimeres, & ad æternam gloriam nos reparares. Et quia tu vis & consulis, vt huius tuæ incarnationis, vitæ & passionis meritum, per te patri tuo offeramus, pro nostrorum peccatorum satisfactione & emendatione: ideò vt huic tuo desiderio satisfaciam; offero, per dulcissimum cor tuum, Deo patri, in plenam satisfactionem & emendationem pro meis & totius mundi peccatis; omnia quæ assumpsisti, fecisti, & pertulisti pro nostra salute: simul cum omnibus quæ operatus es, & adhuc operaberis in omnibus sanctis & electis tuis.

Credo hanc oblationem esse supersufficientissimam. Piè etiam confido eius virtute & merito omnia peccata mihi ignosci,& debitam pro eis pœnam sufficienter persolui: dummodo ego etiam ipse (sicut vis, & æquissimum est) pro meis peccatis aliquid patiar. Quod tui amore & zelo iustitiæ facere desidero: & propterea propono dignos pœnitentiæ fructus facere. Atque in primis prosterno me totum tibi, & resigno in omne beneplacitum tuum, ad omnia tam aduersa, quàm prospera. Subter omnes creaturas me deiicio, & ab omnibus, pro meis contra te offensis, sicut volueris, castigari opto, & supplico. Omnes homines mihi præpono, & præferri desidero: omnibusque propter te, & secundùm te, seruire paratus sum. Meipsum, propriumque sensum, & voluntatem meam, odio habeo, detestor; & magis ac magis odio semper habere, abnegare, persequi, & mortificare, propter te, & secundum te, desidero, & propono. Oblectamentaque omnia non necessaria, nec spirituali profectui accōmoda fugere & abiicere: atque austeritates omnes (quas salua discretione & obedientia me sufferre vtiliter posse putauero) propter te libenter assumere, & hilariter tolerare volo. Obsecrans te, vt ad hæc me excites, dirigas, confortes, & honestes: sic vt in his nec excedam nec deficiam: sed rationabile semper & gratum tibi sit meum obsequium.

Et quia ad hæc nimis remissus sum: Tu quæso per te ipsum, aut quamcumque aliam creaturam suppleas, quicquid in hoc minus

egero. Quod vt liberiùs facias: Eccè me tibi offero, & plenè resigno, ad quæcumque immiseris, aut super me venire permiseris, aduersa propter te libenter toleranda. Obsecrans te vt des mihi omnia de manu tua paterna semper suscipere, & in vnione omnium passionum tuarum quandiu durauerint, sic ea, cum laude, charitate, & gaudio sufferre; vt tuæ passionis fructum renouare; & mihi & quibus volueris applicare possim, ad tuam & sanctorum omnium laudem perpetuam: meamque & tuorum ac meorum specialium, omniumque viuorum & defunctorum omnimodam salutem, veramque & stabilem totius Ecclesiæ reformationem & pacem. Amen IESV superbenignissime.

Purgata per contritionis exercitium anima, si nondum elegisti certum vitæ genus: debes eligere: vt conuenientiùs iuxta illud, tua studia & exercitia disponas. Poteris autem ad eligendum certum vitæ statum, vti sequenti exercitio.

ORATIO PRO ELIgendis securè & fructuosè certum aliquod vitæ institutum, pro his qui nondum talem electionem fecerunt.

CAP. VI.

1. VPERAMANDISSIME & ſupercolendiſſime IESV, Domine, Deus meus, creator & redemptor: tu me ad imaginem & ſimilitudinem tuam propterea creaſti, vt te cognoſcerem: cognoſcendo, amarem: amando, tibi iuxta tuum beneplacitum ſeruirem, tuaque mandata & conſilia obſeruarem; tibique ſeruiendo & obtemperando, particeps tandem efficerer tuæ diuinæ viſionis, fruitionis & ſecuræ ac æternæ beatitudinis. Ergo, ne ingratus erga te inueniar, & tantam gratiam creationis, & redemptionis in vacuum recipiam: debeo (quod etiam deſidero) eum vitæ ſtatum eligere & ſequi: in quo perfectiùs poſſim te cognoſcere, & amare; tibique iuxta tuum beneplacitum ſeruire: & tuis mandatis ac conſilijs ex amore obtemperare. Et nunc, (Domine Deus) ſi certò ſcirem te velle vt in hoc vel illo vitæ ſtatu tibi ſeruirem: illum certè, propter te libenter amplecterer qualiſcumque eſſet: & quantumuis propriæ meæ voluntati contrarius & durus. Ecce enim cor meum ab omnibus integra voluntate ab-

ſtractum, tibi offero: paratus te ſequi quocumque volueris, tibique ſeruire, vbicumque & quomodocunque volueris.. Scio enim & certus ſum, quòd omnis mea ſalus, profectus, & virtus, conſiſtat in impletione tuæ voluntatis; quam etiam pro omni mercede laborum meorum & operum intendo, quæro & expecto: quia tu ſolus es, propter tuam maieſtatem, ſapientiam, bonitatem, charitatem & munificentiam, ſuperdigniſſimus, cui nos omnes, ex puro amore, propter te ſeruiamus & obediamus, abſque intuitu proprij commodi noſtri, aut alterius retributionis & mercedis; præter te ſolum, qui es vnicum, ſupremum bonum noſtrum, & merces noſtra magna nimis. Ad te igitur ſupplex confugio, ô inſtructor manſuetiſſime, conſultor ſapientiſſime, & adiutor fortiſſime; qui ſemper & vbique es mihi præſentiſſimus, intentiſſimus, & promptiſſimus: qui ſolus potes, ſcis, & vis perfectè me inſtruere, dirigere, confortare, & adiuuare ad ſciendum & perficiendum tuum beneplacitum. Loquere igitur Domine; quia audire & implere deſiderat ſeruus tuus quicquid ei iuſſeris aut conſulueris. Loquere & aperi mihi aures audiendi: quibus aduertam & intelligam, quid intus mihi loquaris: quid à me exigas, & in quo vitæ ſtatu velis me tibi ſeruire.

¶ *Modus eligendi certum vitæ genus.*

Hic, recollecto Spiritu cum Deo, & voluntate ab omni propria quæſitione, & mundana affectione prorſus exuta, ac libera: maturè tracta,

expende & delibera, quis ex illis vitæ statibus ad quos iuxta tuam conditionem, complexionem, qualitatem & alias circunstantias in hoc attendendas, conuenienter potes aspirare: sit commodior ad hoc, vt salutem tuam opereris: cum maiori honore Dei, & ampliori proximorum ædificatione, ac spirituali profectu. Primum enim quod debes attendere est: vt tuam ipsius salutem ad Dei honorem opereris. Quid enim proficit homo, si vniuersum mundum lucretur: & animæ suæ detrimentum faciat? Et, qui sibi nequam est, cui bonus esse poterit? Secunudm, quod in hac electione vitæ debes considerare, est in quo statu simul cum tua salute, salutem proximorum magis possis cum Dei gratia promouere. Cæterùm varij sunt modi quibus proximorum salus iuuatur. Primò, per actiuæ vitæ exercitationes, ad opera misericordiæ spectantes, miseris & egentibus succurrendo, ignorantes instruendo, exhortando, prædicando, vel vnicuique ius suum tribuendo & conseruando: & similia vitæ actiuæ exercitia faciendo. Secundò, per vitæ contemplatiuæ exercitia, adiuncta consilijs euangelicis Abnegationis & obedientiæ, abrenuntiationis & voluntariæ paupertatis, & Castitatis: quibus proximorum salus non parum iuuatur, tum salutari exemplo (quod ad persuadendum non minus imò amplius efficax est, quam verbum prædicationis) tum etiam oratione & exercitatione spirituali continua: quæ ad impetrandum à Deo salutem non paucorum tantùm, sed multorum simul, est vtilissima: & velut ros quidam suauissimus & imber serotinus, totam Ecclesiæ terram perfundens & irrigans, eam fructificare facit: maximè quando ex sincera & feruenti charitate Dei & proximi, procedit.

dit. Item, satisfactoria operatione multiplici, in multis austeritatibus quæ per deuotam intentionem ad viuorum & defunctorum satisfactionem, & liberationem à pœnis promeritis, applicantur. Cùm ergo his duobus actiuæ vel contemplatiuæ vitæ modis & exercitijs, possis cum tua salute proximorum etiam salutem promouere: considera diligenter, ad quod horum te aptiorem, & à Deo intus magis trahi sentias, eo præsertim tempore, quo sumpta sacra communione, deuotior & purior es, ac Deo propinquior. Nam vt electionem vitæ securiùs & fructuosiùs poss s facere, ante omnia, debes tuam conscientiam per diligens examen ante actæ vitæ tuæ, verámque & amorosam contritionem, ac integram confessionem omnium peccatorum tuorum, purgare, & in ea locum præparare, vbi Dominus Deus d gnetur inhabitare: & intus tibi loqui, & suggerere quid à te velit & exigat. Deinde feruentibus & sæpiùs iteratis desiderijs & precibus postula à Deo vt tibi inspiret in quo vitæ statu velit te sibi seruire: & ad illum cor tuum & effectum incliet. Quod vt efficaciùs impetres: frequenta deuotiùs sacram communionem: eáque sumpta, te in loco secretiori solum conclude: ibique conferens diuersos vitæ status cum tua conditione & qualitate, audi & attende ad quem ex illis tunc te magis trahi à Deo, & affici sentias. Et ad quem aduerteris te in tali recollectione, sæpiùs & vehementiùs trahi: illum sequere, tanquam à Deo tibi consultum. Vix enim potes habere certius vocationis diuinæ testimonium: quàm cùm post integram resignationem, frequentémque orationem & communionem, sentis te ad aliquem vitæ statum salutarem intus trahi & inclinari. Hoc

enim

enim fundatur in promissione Domini, qui dixit: Si quid petieritis in nomine meo, credite quia accipietis & fiet vobis. *Vnde licet ille status ad quem intelligis te vocari, esset multis alijs imperfectior & inferior: tamen credere deberes, illum tibi esse conuenientiorem & vtiliorem ceteris: téque in illo faciliùs & fructuosiùs quàm in ceteris alijs posse salutem tuam operari. Non enim omnibus omnia conueniunt: & Deus singulos prout vult, ad congruum illis statum intus vocat, si sollicitè sint audire vocem eius.*

3. *Electum semel vitæ genus est stabiliter tenendum.*

Postquam igitur sic semel, ex interna Dei vocatione statum aliquem vitæ elegeris: postea fideliter, simpliciter, confidenter, fortiter, & perseueranter illum sequere, absque hæsitatione & noua deliberatione, certò credens illum esse in quo Deus exigit à te, vt ei seruias: confidénsque quod ipse Deus, qui te ad eum vocauit, dabit etiam tibi quicquid ad dignè in illo conuersandum & sibi placendum erit necessarium: laboréſque & difficultates illius status, propter Dei amorem hilariter amplectens, & fortiter sustinens: ac in diuina vocatione vsque in finem perseuerans: nec vnquam inuidens alijs vitæ generibus, tanquam perfectioribus: nec pœnitens quod aliud vitæ genus perfectius non elegeris & susceperis: sed laudans quidem & præferens tuo statui & vitæ, alios status in se perfectiores: credens tamen Deum te ad eum vocasse, quem nouerat tibi esse conuenientiorem & vtiliorem. Tua ergo sorte & vocatione contentus, solicitè cura vt in ea digne ambules ad Dei gloriam, tuámque & proximorum salutem & ædificationem, Amen.

¶ Oratio postquam certum vitæ genus elegisti & suscipere firmiter conclusisti ac proposuisti dicenda.

SVper-amandissime, & supercolendissime IESV: consultor sapientissime,& adiutor promptissime,ac fortissime:quas possum gratias tibi ago, pro eo quòd dedisti mihi te consulere, audire, & ex te apertè intelligere ad quem vitæ statum me voces, inuites,& trahas. Et quia scienti tuam voluntatem & non facienti,peccatum est illi: meliúsque est, viam veritatis & perfectionis non agnouisse, quàm post agnitam,ab ea retrorsum conuerti: quia etiam sine speciali tua gratia nihil possum:obsecro te,per omnes perfectiones & miserationes tuas, vt sicut potes, scis & vis, per suauissimum spiritum tuum, & angelicum ministerium,dones mihi fideliter, confidenter,fortiter, & perseueranter, eum vitæ statum amplecti, ad quem me tam certa vocatione & aperta inspiratione vocare dignatus es:& in eo sobriè, piè, & iustè vsque in finem conuersari, ad tuam & sanctorum laudem & gloriam, meámque & meorum specialium, ac omnium salutem, verámque Ecclesię reformationem & pacem:intercedente B.Maria, BB.Angelis,& sanctis, Amen. 4.

CAPITVLVM VII.

Postquàm certum vitæ genus elegisti: si volueris spiritualibus exercitijs incumbere (quod in

1. *Quàm sit vtile nouis tyronibus, alteri se obedientia subijci.*

omni vitæ statu saluberrimum est modo discretio seruetur) vt discretè & fructuosè in illis procedas, donec exercitatos habeas sensus ad discretionem, securissimum & vtilissimum tibi erit directorem aliquem habere, cuius directioni, per simplicem obedientiam totum te submittas propter Deum. Sic enim à deceptionibus & laqueis inimici, propriæq; naturæ quæsitionibus, tutior eris: & vniuersa tua exercitia, tantò Deo gratiora erunt, quantò magis ex humili obedientia (quæ illi summè placet) prodierint. Vt autem deuotiùs & efficaciùs te alterius obedientiæ & directioni submittas: lege sequens exercitium, nouellis plantationibus, seu vitam spiritualem, præsertimq; religiosam inchoantibus, non parùm vtile & necessarium.

¶ *Oratio pro suscipiendo obedientiæ iugo, sub alterius directione.*

Christus obediẽtiæ exẽplũ in se dedit.

O Bedientissime & humillime IESV, Deus meus: tu pro nostra salute temetipsum exinaniuisti, formam serui accipiens: nec tuam, sed patris voluntatem facere venisti: cui etiam factus es obediens vsque ad mortem. Et vt simplicis ac humilis obedientiæ formam in teipso nobis præberes: quum adhuc puer, remansisses in Ierusalem; & dixisses, in his quæ patris tui erant, oportere te esse: non intelligentibus id parentibus tuis, non despexisti sequi illos; Magister, discipulos: Deus, homines: verbum & sapientia patris, fabrum & fœminam. Quibus etiam vsque ad annum trigesimum, sub-

ditum te exhibuisti.

Plures sancti obedientiæ iugum susceperunt.

Tu per quamplurimos sanctos tuos, cœlestis gratiæ tuæ splendoribus perfusos, diuinitúsque edoctos, & experientia multa exercitatos, docuisti multùm expedire omnibus bonæ voluntatis hominibus, tibi placere cupientibus, vt aliquem hominem te timentem, in spiritualem assumant ducem & moderatorem vitæ suæ, sub cuius magisterio, tamquam sub tuo, duci se patiantur: cuiúsque consilium in paruis & magnis, ex simplici obedientia sequantur: quatenus sic faciliùs euitent Diaboli tentationes & laqueos: cunctásque tristitias & pericula valeant euadere, in virtutibus profectum facere, infinita cœlestium charismatum & meritorum bona acquirere, & toti Ecclesiæ magnum fructum afferre. Tu per eosdem sanctos & illuminatos patres attestatus es, te numquam gratiam tuam (sine qua nihil possumus) alicui infusurum: qui cùm habeat à quo possit regi & instrui, negligit & recusat alterius ductum & directionem sequi: credens se sibi sufficere, & per se, scire posse quæ sibi necessaria sunt.

De hac re vide S. Vincentij tractatum de vita spirituali, Thaulerum in libello de decem cæcitatibus decima cæcitate, Cassianum, Lansper-gium, & alios sanctos scriptores.

Tu inspirasti sanctis illis patribus eremi cultoribus, & alijs multis qui veram adepti sunt sanctitatem, vt per hanc obedientiæ viam, tamquam per iter regium, ingrederentur, & ad perfectionem via compendiosiore

properarent. Tu Beato Francisco eximiæ sanctitatis patri, tantam obedientiæ gratiam contulisti, quod ita nouitio vnius horæ obedisset, si ei gardianus fuisset datus, sicut antiquissimo & discretissimo Patri. Intelligebat enim per te illuminatus, subditum debere prælatum suum considerare, non vt hominem, sed velut tuum vicarium, & organum, cui pro tui amore est subiectus. Sciebat etiam, quod quantò is qui præest contemptibilior apparet: tantò magis humilitas obedientis placet. Nouerat insuper, quòd tu eos qui simplici intentione propter te, per humilem obedientiam superioribus aut patribus suis spiritualibus sese in omnibus sine exceptione, submittunt: sic per te ipsum speciali prouidentia dirigis, vt ad extremum errare non possint nec seduci: sed omnia in bonum illis facis cooperari: etiam si prælatus eorum, Caypha homine sceleratissimo (per quem nihilominus tu loqui dignatus es) esset peior & iniquior: dummodo tamē, nihil tuis mandatis contrarium iuberet aut consuleret. Vnde etiam idem sanctissimus pater Franciscus (licèt sui ordinis esset primus institutor & generalis minister) solitus tamen erat fratri cum quo ire consueuerat, obedientiam semper promittere & seruare: propterea quòd intelligeret, tam vberem esse fructum obedientiæ, vt eis qui se iugo illius propter te subiecissent, nihil temporis sine lucro transiret. Tu inspirasti Thaulero viro ætate, doctrina, & religione famoso, vt iam quinquagenarius, cuidam pauperi ac humili laico, te tamen timenti & à te in tuis bene-

dictio

dictionibus præuento, sese humiliaret, sicque per hanc simplicem obedientiam ad sublimem vitæ perfectionem ipsum perduxisti, Tu pariter inspirasti Seraphino Firmano, viro sanctissimo & eruditissimo: vt sese sub paupereulæ, ac contemptæ virginis Angelæ Paulæ directione submitteret. Cuius consilio & directioni quicquid assecutus est postea perfectionis, ascribebat; & post diuinam gratiam ferebat acceptum.

Tu eis qui sic se totos propter te in manus sui directoris resignant & abnegant, regíque permittunt: non quasi absens per vicarium tuum loqueris, sed re vera ipsis in vicario tuo præsens es, & per viuæ vocis ipsius tui vicarij organum, tu ipse voluntatem tuam illis manifestas, vt meritò quicquid per os tui vicarij audierint, non secus quàm si ab ipso ore tuo audissent, suscipiant & hilariter amplectantur. Tu eiusmodi obedientes cum multa pace ac lætitia & securitate conscientiæ facis vitam hanc transigere, & mortem lætos expectare. Neque enim ab illis vitæ exactæ rationem exposces, sed illorum curam à directore exiges, & eos in morte gloriosè coronabis, pro simplici obedientia: ex qua singulos motus, verba, & opera sua perfecerunt.

Eya B. IESV, ex prædictis apertè ostenditur, quantùm vnicuique tibi perfectiùs placere cupienti, salubre sit & necessarium, quamq; tibi gratum, vt alterius directionem, si aliquem inuenire posit, humiliter in omnibus sequatur. Quod si omnibus hoc est salubre, mihi tamen multò ampliùs est neces-

ſarium, propter multiplicem meam, tibi ſoli perfecte notam, ſuperbiam, imprudentiam, perplexitatem, inſtabilitatem, tepiditatem, negligentiam, aliáque innumera vitia mea, quibus indignißimum me agnoſco & confiteor, quem tu per te ipſum dirigas, & inſufficientem prorſus ad me ipſum dirigendum in via ſpirituali ſentio & iudico.

Propterea ex prædictorum omnium conſideratione, & hac mea ſpeciali neceßitate excitatus & inductus: deſidero tui amore & imitatione, & obſecro te, per tuæ vitæ & paſſionis meritum, Miſſæq; ſacramentum & ſacrificium: per tui ſpiritus ſeptiforme donum, & Angelicum miniſterium: per humillimæ matris tuę, ſanctorúmque omnium humilem obedientiam, preces, & merita: confidénſque in gratia tua, firmiter propono: PROPTER TE, id eſt, quia vis & vt gratum tibi in hoc obſequium præſtem, & SECVNDVM TE, id eſt, iuxta formam & modum quem per tua & ſanctorum tuorum exempla & monita docuiſti: PER TE tuæque gratiæ adiutorium: & TECVM in tua præſentia manendo, tuæque gratiæ cooperando, & meam obedientiam, tuæ adiungendo.

Propono, inquam, iuxta conſilium tuum, toto corde conuerti & velut paruulus effici, ac in beatam paruulorum infantiam redire, & hunc famulum tuum N. à te mihi oblatum, in patrem & directorem ſpiritualem aſſumere: eiúſque magiſterio & directioni, humiliter per ſimplicem obedientiam me totum ſubiicere, proprijs iudicijs & voluntatibus emori: & eius conſilium tamquam ex

ore tuo prolatum, in omnibus paruis & magnis, simplici intentione, propter te, audire & sequi. Quod vt fideliter & salubriter perficiam: desidero, obsecro, & in te confidens propono, ipsum tamquam tuum erga me vicarium, imò te ipsum in hoc tuo organo, amare, reuereri, honorare, consulere & audire: FIDELITER & firmiter semper credendo & sperando, quod tu per eum tuam voluntatem mihi notam facies: meq; in omnibus salubriter iuxta tuum beneplacitum diriges. Et cum hac fide & spe, desidero & propono ei omnes meas tentationes, perplexitates, affectiones ac deliberationes, humiliter, simpliciter, & apertè reuelare: eius examini, discretioni, & consilio omnia cōmittere: & quicquid ipse definierit, iudicauerit aut cōsuluerit, tamquam ex ore tuo prolatum, suscipere: & propter te, ac per te, illud aggredi, prosequi & perficere: FIDELITER, sine hæsitatione credendo hoc tibi gratum esse: SIMPLICITER, sine discussione: HVMILITER, ex meijpsius diffidentia: CONFIDENTER, ex ope gratiæ tuæ & merito obediētiæ: MAGNANIMITER, suauia propter hoc deserendo: FORTITER, dura quæque propter hoc sustinendo: LIBERALITER, nullum inde fructum, præter tuum beneplacitum, præcipuè attendendo & quærendo: HILARITER, cū gaudio spiritus: INTEGRE & perseueranter, ad tuam & sanctorum tuorū laudē & gloriam, meamq; & omnium salutem, veramq; Ecclesiæ & regni, huius domus & ordinis nostri reformationem & pacem. Eya benignissime IESV diues in omnes qui inuocant nomen tuum, qui das vt

petam, fac vt accipiam, qui das vt quæram, da vt inueniam, qui das vt pulsem, aperire mihi tandem digneris, & per huius famuli tui (quem in patrem & directorem propter te humiliter suscipio) consilium & directionem, simplicémque sub eo obedientiam: compendiosiori semita ad gratam tibi perfectionem me perducere. Quod vt fiat, tu quæso eum gratiosè inhabita, sanctifica, illumina, dirige, inflamma, conforta: & perfectè tibi gratum ac in omnibus conformem effice: eique pro suis erga me laboribus & consilijs, teipsum in mercedem perpetuam retribue. Ah! præserua me Domine, ne vllis vnquam occasionibus aut suspitionibus, siue veris, siue falsis, aut etiam sub specie zeli & iustitiæ ac veritatis, inducar in vllam huius patris mei displicentiam, auersionem, contemptum, iudicium temerarium aut suspitionem malam. Quamdiu enim talis tentatio perseuerat & inuenit locum in corde subditi, diuinæ tuæ gratiæ influxus prorsus ab eo excluditur. Fac ergo vt propter te, semper sublimiter de eo sentiam, eúmque reuerear, amem & colam, Amen.

CAPITVLVM VIII.

Si tu non potes commodè reperire talem directorem, qui te velit in omnibus dirigere, & curam tui suscipere: aut qui sit in vita spirituali versatus & exercitatus: aut

quem possis quando opus fuerit adire & consulere. Tunc cum omni humilitate resignatione & confidentia recurre ad Dominum: Rogans vt te in æternæ suæ sapientiæ discipulum suscipiat, atque per suauissimum spiritum suum, & angelicum ministerium te in omnibus dirigat & honestet iuxta suum beneplacitum: Quod per sequens exercitium facere poteris.

¶ *Exercitium pro spirituali directione sub æternæ sapientiæ magisterio.*

O Super-reuerendissime, superamandissime & supercolendissime amator Domine IESV Christe, magistrorum omnium optime: & si propter nimiam meam infidelitatem, inobedientiam, superbiam, extrouersionem, negligentiam, & instabilitatem: infinitaque alia vitia mea nouissima & antiqua, tibi soli perfectè nota; verè indignus sim quem tu illumines, dirigas & exaudias. Quia tamen non vis mortem peccatoris, sed vitam: quia tuę pietatis abundantia, merita supplicum excedis & vota: ideò te, per omnes perfectiones & miserationes tuas ac sanguinis effusiones, amanter, fideliter, & confidenter obsecro: vt me ad te toto corde reuerti cupientem, tibique de cætero fideliùs seruire & obedire desiderantem, & per gratiam tuam proponentem; abluas & emundes ab omni peccato, sanes & præserues à recidiuo, iustifices & tibi gratifices, ac de infinito tuæ passionis thesauro plenam satisfactionem pro

me exoluens, me in tuum discipulum docilem, & fidelem seruum benignè suscipias, ascribas & vsque in finem confirmes. Scis enim B. IESV, quantum præ cæteris indigeam magistro & directore, qui me in omnibus instruat, dirigat, excitet & cogat, errantémque corrigat & reducat: maximè cum sim in multis dubius & perplexus, imprudens & indiscretus, leuis & instabilis: aliquando feruentior, aliquando r missior. Et nũc Domine Deus, tu scis quòd si hominem haberem per te, mihi in directorem assignatum, aut cuius consilio in via spirituali commodè & fructuosè vti possem: libẽter tui amore, & propter simplicis obedientiæ (quam præ cæteris exercitijs gratissimam habes) meritum: eius directioni me totum submitterem: & quicquid consuleret: illud simpliciter, fideliter & efficaciter sequi vellem. Nunc autem, cum talem hominem non habeam: obsecro te (cui derelictus est pauper, & qui orphano soles esse adiutor) vt eandem gratiam quam multis sanctis in consimili necessitate constitutis contulisti, mihi concedens, per suauissimum spiritum tuum, & Angelicum ministerium magistri erga me suppleas officium: meque in omnibus agendis, dimittendis & patiendis, efficaciter & salubriter instruas, dirigas, excites, adiuues, protegas, honestes & stabilias: errantémque castiges, reuoces, & cautiorem ac fortiorem resurgere quamprimùm facias. Ecce enim (ô præceptor dignissime, magister supreme, legifer sanctissime: ô instructor mansuetissime, consultor sapientissime, adiutor

fortiſſime : qui es mihi ſemper & vbique præſentiſſimus, intentiſsimus, & promptiſſimus : qui ſolus potes, ſcis & vis perfectè me inſtruere, dirigere & iuuare) Eccè me iterum atque iterum in tuam diſciplinam trado, téque in magiſtrum præ omnibus eligens, me totum tibi reſigno. Toto quo poſsum conatu & deſiderij feruore concupiſcens, & in tua virtute & gratia firmiter proponens, ab omnibus vitijs, concupiſcentijs meis paruis & magnis, & ab omnibus quæ tibi diſplicent, ſtabili vſque ad mortem propoſito, me auertere, vniuerſiſque vanis creaturis abrenunciare : méque per fidem, ſpem & charitatem, ad te dulciſsimum Patrem creatorem & redemptorem meum, toto corde conuertere, tibíque magiſtro meo benigniſsimo, de cætero fideliùs, ſemper, vbique, & in omnibus obedire : & propoſita ſancta à te mihi conſulta, fideliùs, & ſtabiliùs implere : ad tuam & ſanctorum laudem : & omnium ſalutem, verámque Eccleſiæ & regni reformationem & pacem. Atque vtinam de cætero nihil agere præſumam abſque tuo permiſſu : vtinam ad quodlibet verbum quod loqui voluero, ad quamlibet buccellam quam ſumpturus ſum, ad quemcunque oculi aſpectum, & ad cuiuſlibet membri motionem, licentiam à te intus petam : quam ſi teſte conſcientia ſeipſam non quærente, obtinuero : tandem id aggrediar, aliàs non. B. IESV, tu ſcis quantm hoc ſit mihi ad vitanda peccata, & perfectè tibi placendum neceſſarium : & tamen abſque ſpeciali tractu

tuo, mihi prorsus impossibile. Tu autem si vis facilè id mihi potes concedere. Eya ergo sicut potes, scis & vis, digneris istud in me perficere: Et per cœlestem sapientiam de suauissimo corde meo infusam, me foris & intus ita gubernare: vt nihil vnquam cogitem, dicam, agam vel patiar quantumuis exiguum: nisi expensis primùm illius circunstantijs & fine, ex illuminata per te ratione, & interna tua licentia, hoc tibi placitum cognouero. Eya doce me magistrorum benignissime, & per suauissimum spiritum tuum, & Angelicum ministerium fac, vt continuè meipsum intrò respiciam, sicut hactenus foras respexi. Et inter dicendum vel agendum aliquid foris, fac vt anima seu ratione inferiori opus istud externum dirigente, spiritus meus tuo amore succensus & introuersus, te sibi præsentem semper sentiat & reuereatur: tibi vigilanter intendat, & ex te audiat, & clarè aduertat quid, quando, & quomodo agendum, loquendum vel omittendum sit, & quando cessandum: & tunc statim tuæ inspirationi internæ obtemperem: ne oculos tuæ pietatis offendam: alioquin si statim non obediero, dignè pœniteam & propositum renouem. Da etiam, vt ante singula opera mea, nomen tuum deuotè inuocem: & ipsa etiam necessaria & debita opera mea singula, noua intentione, propter te inchoem, & offeram in vnione omnium operum tuorum: ad tuam laudem, & omnium salutem, Ecclesiæque pacem. Fac etiam vt semper &

vbique ambulem reuerenter in conſpectu & præſentia diuinæ maieſtatis tuæ, honeſtis & maturis geſtibus & motibus corporis & ſenſuum ; & curam meipſius & meorum, omniúmque rerum, in omni etiam neceſſitate, tribulatione & periculo, cum plena fiducia iactem in tuam fideliſſimam prouidentiam, & pietatem pluſquam paternam: certus quòd omnia ſuauiter diſpones: & pro me reſpondebis & pugnabis: ſi tamen ſtuduero in omni euentu, & in cunctis occurrentibus, te laudare, tibique gratias agere: me ipſum profundè humiliare & prorſus abnegare: te feruenter obſecrare: in te plenè confidere: & me totum ac omnia, in tuum beneplacitum integrè reſignare. Tunc enim me reficies, & confortabis fructibus ſpiritus tui; ſcilicet, vera charitate, gaudio & pace, patientia, longanimitate, & manſuetudine, bonitate & benignitate, fide & modeſtia, continentia & caſtitate, innocentia & ſecuritate, prudentia cordis & oris ſapientia, ſimplicitate & finali perſeuerantia. Da inſuper mihi claram ſpirituum diſcretionem, qua omnes laqueos Diaboli, proprias quoque naturæ quæſitiones, errores & exceſſus, clarè diſcernere & vitare poſſim, & vniuerſa quæ mihi agenda incumbunt, tam exteriora quàm interiora, prudenter aduertere: eaque debito modo, ordine & tempore ſingula exequi: ſic vt in illis nec excedam, nec deficiam: ſed medium virtutis ſemper obſeruem. In dubijs verò da

eam ſecuriorem partem iudicare & ſequi quæ tibi magis fuerit honorifica: tuæ humanitati & ſanctorum conuerſationi conformior, proximis vtilior, magis aduerſa meæ voluntati, & corpori meo magis cruciabilis & ignominioſa. In grauioribus autem dubijs, da vt humiliter, deuotè, & fideliter requiram conſilium ab aliquo te timente: & quod ipſe conſuluerit propter te ſequar.

Da inſuper (B. IESV, magiſter vnice) vt nunc, & quoties, opus fuerit, te conſulam & maturè tecum deliberem, atque ex te audiam, qualiter in omnibus me gerere, & vitam ac omnia exercitia mea inſtituere debeam, vt ex hac deliberatione & cordis directiore, omnia mea opera diuina reddantur & tibi gratiſſima.

Et quoniam ante omnia mihi nocet infidelitas, & inſtabilitas in propoſitis tecum maturè factis: da vt quicquid iam hactenus tecum ſtatui & propoſui: illud nunc fideliter, & ſimpliciter renouem & confirmem: nec amplius de eo deliberem aut illud mutem, niſi euidens vtilitas, aut neceſſitas de nouo appareret, quæ iſtud mutari cum tua licentia requireret.

Hic mente cum Deo recollecta, præſcribe tibi generalia & particularia propoſita. ſimpliciter renouans ea quæ iam feciſti: aut ſi opus fuerit ea mutans: & noua inſtituens

iuxta occurrentes necessitates.

Post renouationem propositorum adde quod sequitur.

Benignissime IESV, gratias tibi ago pro eo quod dedisti mihi te nunc consulere, audire & ex te intelligere quid me velis facere. Obsecrans te vt per suauissimum spiritum tuum & Angelicum ministerium, dones mihi hæc quæ nunc tecum maturè feci sancta proposita: tempore, loco, & modo debitis, scire, velle & posse, propter te, secundùm te, per te, & tecum implere, FIDELITER, credendo semper ea à te esse mihi consulta tibique grata, quicquid aliud à mundo, carne vel Diabolo aut alio quolibet (excepto superiore meo) mihi suggeratur & tamquam meliùs consulatur. CONFIDENTER, contra timorem nocturnum, sperando quod ex eorum obseruatione nullum periculum ægritudinis aut alterius mali, quod me à te impediat vel separet, incurram. FORTITER, contra pusillanimitatem & impatientiam, viriliter & magnanimiter ea aggrediendo, quantumuis sensualitati dura videantur, & HILARITER, propter te sustinendo omnem laborem, & difficultatem quæ in eorum obseruatione contigerit. Denique integrè & constanter da illa implere, vt ne minimum quidem ex eis transgrediar: nec ante tempus constitutum ea deseram aut mutem, nisi noua occurreret euidens vtilitas, aut necessitas: quæ cum tuo consilio & licentia

requireret iſta aut aliquid ex iſtis mutari. Da inquam iſta propoſita ſic implere, in vnione omnium operum tuorum, ad ſupremam tuam, & ſanctorum laudem & gloriam, meamque & meorum ac omnium ſalutem, & veram totius Eccleſiæ, Regni, domus huius, & ordinis noſtri reformationem & pacem: intercedente Beata Maria, BB. Angelis & ſanctis ac electis tuis omnibus, Amen.

Sic breuiùs poſt facta propoſita dices.

B. IESV, in ea charitate qua dediſti mihi nunc tecum propoſita ſancta renouare & facere, dona etiam per ſpiritum tuum & Angelicum miniſterium, eadem propter te, ſecundùm te, per te & tecum implere: fideliter, ſimpliciter, humiliter, confidenter, magnanimiter, & fortiter, liberaliter & hilariter, integrè & perſeueranter, in vnione operum tuorum: ad tuam & ſanctorum laudem & omnium ſalutem, Eccleſiæque pacem & reformationem.

CAP. IX.

¶ De tribus impedimentis quæ multos reuocant ab impletione ſanctorum propoſitorum.

Nota, tria potißimum esse quæ te ab obseruatione sanctorum propositorum possunt auertere & impedire. non sine tuo damno maximo.

Primum est suggestio contraria, quæ tibi à mundo carne vel diabolo, aut alio quouis suggeritur, hæc proposita non esse discreta aut salutaria, vel aliud tibi esse salubrius & vtilius.

Huic suggestioni occurrere & resistere debes, per fidem & simplicem obedientiam: absque hæsitatione & discußione credendo id quod tibi à Deo est intus, id est, in deuota oratione & matura deliberatione consultum: esse Deo gratius: ac per hoc salubrius & tibi vtilius: cùm omnis tua salus & vtilitas vera consistat in impletione diuinæ voluntatis, ex puro amore propter Dei honorem. Ergò quamuis id quod ab alio suggeritur, in se forsitan esset vtilius & perfectius: tamen omisso eo quod à Deo tibi erat consultum, illud non solùm Deo non placeret, sed etiam ingratum esset. Et opus ex se modicum, ex simplici & fideli obedientia factum: longè excellit opus aliud in se magnum & perfectum, non ex obedientia factum. Sicut ergò is qui degit sub obedientia & directione alicuius patris spiritualis, ij vult proficere, debet id quod à suo patre consultum est, implere fideliter & simpliciter, absque hæsitatione & discußione: non audiendo, aut saltem non ponderando nec recipiendo rationes contrarias à quocumque alio suggerantur: sic tu, qui non habe externum directorem, si sub interna sancti spiritus directione & simplici obedientia desideras fructuosè viuere & proficere: multò fidelius & simpliciùs debes implere & seruare quod Deo intus consulente proposuisti. Dubitare enim non debes quin tibi Deus ipse in-

tus loquatur, quoties animo verè humili, & ad vtrumque resignato, cum deuota oratione, & matura deliberatione ipsum intus consulis & audis, atque ex eo apertè intelligis hæc & hæc illi placere vt agas vel dimittas: nihil aliud desiderans quàm eius beneplacentem voluntatem nosse & perfectè implere. Sic enim promisit ipse Christus dicens: Si quid petieritis in nomine meo, credite quia accipietis & fiet vobis. *Et quamuis contingeret aliquando id quod sic tibi intus est consultum & inspiratum, apparere postea profectui tuo impedimentum aliquod adferre: fructu sè tamen & meritoriè cepisses illud implere: & etiam prosequereris, nisi cum consimili interna deliberatione & consilio diuino, esset mutandum. Sæpè enim Deus nos ad perfectionem promouet, per ea quæ profectum nostrum videntur impedire. In quibus, debemus in spem contra spem credere: nec propterea à sanctis propositis resilire, sine interna licentia. Postquam ergo aliquid cum Deo maturè deliberasti & conclusisti ac implere firmiter proposuisti: ad nullius creaturæ, quamuis sanctæ & piæ (nisi esset tuus superior, cui te obedire oporteret) persuasionem vel suggestionem, id transgrediaris. Neque enim propheta ille, cui Dominus iusserat nil in loco certo comedere: ad alio propheta asserente sibi à Domino reuelatum vt ipsi in domo sua cibum daret, suasus comedere: excusatus fuit: imò propter suam inobedientiam, à Leone postea fuit inde reuertens occisus. Hinc legitur de Beata Angela de Folingio: quòd in propositis suis quæ cum Deo maturè fecerat, tam stabilis & firma permanebat: vt nollet ea transgredi, etiam si oportuisset eam propter illa infirmitatem contrahere*

trahere, aut aduersitatem quamlibet sustinere. Sic enim Deo dicebat. Ex quo inspirasti & consuluisti mihi, vt hæc propter te seruem: illa non deseram, propter quamcumque superuenientem difficultatem: nec à te tempore tentationis recedam: sed quicquid aduersitatis inde mihi eue nerit, propter amorem tuum hilariter amplectar: & quamdiu volueris, tolerabo: nec ab eo liberari quæram nisi in summa necessitate: quando istud, omnino bonum animæ impediret: aut propter te, & te consulente quærenda esset liberatio ab eo. Hæc Beata Angela: cuius exemplo, tu stabilis persevera in propositis cum Deo maturè susceptis.

Si tamen superior tuus, cui obedire teneris, aliud tibi præciperet: quàm quod intus Deo consulente proposueras. Tunc debes, omisso tuo proposito, superiori obedire propter Deum: qui non solùm consulit, sed etiam vult & præcipit vt tu superiori tuo obedias, in omnibus quæ non sunt contra Dei præcepta, aut ex se mala: etiam si sint propositis (intùs à Deo consultis contraria. Sic enim Deum, propter Deum deserendo: & internam eius inspirationem superioris tui præcepto, propter ipsum postponendo. duplex habes meritum, videlicet bonæ voluntatis, qua velles propositum tuum efficaciter seruare, nisi à superiore aliud præciperetur: & tuæ obedientiæ, qua tuo superiori obedis. Aliàs nullo superiore iubente contrarium, stabiliter & fideliter sequere quod cum Deo seruare proposuisti: non ampliùs deliberans aut discutiens an aliquid aliud sit melius: nec audiens persuasionem cuiuscumque aliud suadentis, nisi noua & multùm euidens necessitas vel vtilitas occurreret quæ aliud requireret: qua occurrente & non 3.

alias,

aliàs, cum Deo rursus delibera & elige quod tunc videris magis expedire. Quod si aliquando contingat, te non satis aperte posse intus discernere & ex Deo intelligere, quid ei sit acceptius in occurrente negotio: tunc fructuosè poteris consilium ab aliquo timente Deum super hoc, humiliter & fideliter requirere: & quod tibi consulucrit, id tamquam Deo gratius sequi.

4\. *Secundum quod reuocat à propositi sancti impletione, est timor nocturnus hoc est, timor ne ex obseruatione illius incurras aliquā infirmitatē aut aduersitatē. Hunc verò timorē debes repellere, per humilem & certam confidentiam: qua de te diffidens, in Domino securè confidas quod ex obseruatione propositi sancti ab eo tibi consulti: aut nihil mali tibi continget: aut si quid contigerit, faciet tibi cum tentatione prouentum, vt possis illud absque spirituali damno, imò cum multo profectu, sustinere. Qui enim cum vera humilitate & resignatione ardua proposita Deo intus consulente & inspirante aggrediuntur & obseruant, numquam inde incurrant damnum notabile. Nam si permittat Deus quandóque eos aliquam infirmitatem aut debilitatem inde contrahere: facit eam in bonum illis cooperari. Qui verò propria præsumptione, in se confidentes, aliqua ardua suscipiunt, & pertinaciter sectantur, sæpiùs in magna pericula & incommoda incidunt.*

5\. *Tertium impedimentum sanctorum propositorum, est labor & difficultas in illis implendis, cui tu debes resistere, per fortem & feruentem amorem, qui durissima quaque, reddit dulcia. Amanti enim nihil difficile. Ergò, si vis in sanctis propositis aut consiliis à Deo vel à patre spi-*

ritualis tibi datis stabilis esse, & fructuosè ea implere: contrariis persuasionibus per fidelem & simplicem obedientiam resiste, timores nocturnos per bonam in Deum confidentiam repelle: & labores ac difficultates, per amorem feruentem fortiter & hilariter amplectere & sustine.

EXERCITIVM PRO INTENTIONE RECTA & Deiformi in omnibus habenda.

CAP. X.

BENIGNISSIME IESV, iam vtcũque per gratiam tuam excitatus ad te amandum, & fugiendum quicquid tibi displicet, perficiendumque quicquid tibi placet: & per contritionis studium à peccatis emundatus; vt debito ordine spiritualis vitæ exercitia aggrediar & prosequar; ante omnia debeo intentionem rectam, simplicem & deiformẽ in his & cæteris meis actionibus habere.

Tu enim docuisti bonitatem vel malitiam nostrorum actuum dependere ex rectitudine vel obliquitate nostræ intentionis in quolibet opere: quando Matthæi 6. dixisti. *Lucerna corporis tui. est oculus tuus*, hoc est, radius dirigens & illustrans tuorum operum congeriem, est intentio tua. Quæ si simplex fuerit, totum corpus actionum tuarum erit lucidum. Si autem tenebrosa fue-

rit & obliqua: opus quoque tuum tenebroſum erit & obliquum. Radix enim noſtræ actionis, eſt intentio noſtra: quæ ſi ſancta fuerit, rami quoque ſeu actus ex ea prodeuntes, ſancti erunt. Nam ex bonitate intentionis, opus ex ſuo genere indifferens & nullius meriti, bonum & meritorium redditur: opus autem ex ſe bonum, meliùs & vitæ æternæ meritoriũ ex deiformi intentione efficitur. Porrò opus ex ſuo genere malũ, ſi quadam bona intentione fiat: & ſi non ex
2. toto excuſetur, minus tamen culpabile fit.

Sed non poteſt eſſe verè bona & ſimplex intentio, quæ opus malum aſſumit & ordinat ad finem bonum. Nam ad bonitatem & rectitudinem intentionis duo requiruntur: videlicet, charitas, & amor boni in intentione: & veritas ſeu cognitio veri, in electione. Et charitas quidem, mentis intentionem ad omnia quæ conducunt ad finem intentum dirigit & extendit: omniaque in illo fine quantum poteſt vnire ſatagit: in omnibus vnum intendens & quærens: nec permittens intentionis actum ante finem aſſecutum ſtare. Veritas autem non ſinit errare circa finem minus rectum: nec permittit media non bona ad finem bonum aſſumi.

3. Porrò hæc recta & deiformis intentio, eſt totius vitæ ſpiritualis fundamentum, decor, initium ac finis omnium virtutum: quarum opera tibi æterno Deo ſemper offert in ſacrificium laudis. Quæcumque etiam opera bona perficere non poſſumus: ſi ad ea mentis noſtræ intentionem dirigentes, tota cordis affectione illa facere deſideramus &

ſtuduerimus : coram te tamquam à nobis facta reputantur,& remunerantur.

Cæterùm quantò finis intentus eſt perfectior,tantò intentio ſublimior eſt : opusq́ue perfectius & tibi gratius. Credimus autem certiſſimè, & cum laude & congratulatione confitemur, quia tu Deus optimus maximus, es finis ſupremus, perfectiſſimus & ſuper omnia intendendus & quærendus. Tu enim in te contines,& ſuperinfinitè ac ſupereminenter ſuperexcedis omne aliud bonum quod poſſit deſiderari & intendi. Propterea quodcumque opus, licet ex ſuo genere minimum aut indifferens, factum propter te & ex tui amore; infinitè ſuperexcellit & ſuperat quodcumque aliud opus, quantumuis ex ſuo genere ſublime & perfectum, factum non propter te,ſed propter alium quemlibet finem licèt bonum. Sic comedere, dormire & neceſſaria oblectamenta ſumere propter te, & ſecundùm te:hoc eſt, quia tu vis, & ſicut vis vt ea ſumamus: infinitiès eſt tibi gratius & perfectius, quàm miras abſtinentias,vigilias & auſteritates facere: aut etiam ſublimibus contemplationibus vacare, non propter te : ſed propter noſtrum temporale vel æternum commodum aſſequendum, aut damnum vitandum.

Doce igitur (Benigniſſime IESV) & da, vt ſciamus, velimus & poſſimus purè propter te,& ex tui amore, omnia deſiderare, quærere, petere,agere, dimittere, pati vel refugere : nihil ad noſtrum commodum procurandum, vel damnum vitandum attendentes : niſi quantùm tu volueris nos attendere:

ſed ad te ſolùm primò & præcipuè reſpicientes:& tibi ſoli placere vt gratum obſequium (quô es propter te ſuperdigniſſimus) exhibere deſiderantes & intendentes.

6. Quod vt fiat, quia radix & regula intentionis eſt Amor: da vt primò exerceamur & accendamur ad feruentem tui amorem, & noſtri contemptum, & odium: & certa fide credentes ac profundè conſiderantes, quia tu ſolus es qui es: in quo & à quo eſt omne bonum, & ſine quo nihil eſt bonum: Aſſueſcamus frequentibus volendi actibus, te ſolùm in omnibus & ſuper omnia appretiare, æſtimare, præeligere, amare, intendere & quærere: tibique potius quàm nobis, omne bonum tuæque voluntatis impletionē deſiderare & procurare: ac de omni tuo bono & beneplacito magis quàm de quolibet proprio bono gaudere, tibi congratulari, & te ipſo propter teipſum frui.

7. Conſiderantes verò nos, ex nobis & abſque te, nihil prorſus eſſe, ſcire, poſſe aut habere præter peccatum (quod nos efficit & reddit coram te prorſus abominabiles & odibiles) aſſueſcamus noſmetipſos nihil facere, contemnere, odio habere; nec vllum prorſus commodum nobis procurare, aut damnum vel crucem refugere, niſi purè propter te, & ſecundùm te; ſed potius nos tanquam peccatores verè odibiles & deteſtabiles, odio ſancto proſequi, abnegare, caſtigare, & quamcumque conſulueris aut immiſeris vel permiſeris delectabilium ſubſtractionem, aut crucem, deſideranter & hilariter amplecti & tolerare. Aſſueſcamus, non cogitare nec

ſoliciti eſſe de nobis:niſi purè propter te, & ſecundùm te: ſed omnem cogitationem & intentionem noſtram ad hoc ſemper ref-ramus,& finaliter ordinemus: vt tibi placeamus, & ex amore tuo gratum tibi præſtemus obſequium:quia videlicet propter infinitam tuam maieſtatem & bonitatem ſuperdigniſſimus es, cui ab omnibus ſemper & vbique ſeruiatur, iuxta tuum velle: etiam nulla inde ſperata mercede. Si enim de te cogitauerimus, & te in omnibus purè intenderimus: tu de nobis cogitabis,& pro vtriuſque hominis noſtri ſalute ſolicitus eris; ſicut beatæ Catharinæ Senenſi promiſiſti.

Sic igitur tui amoris igne ſuccenſi: ſummè deſideremus tuam beneplacentem & perfectam voluntatem ſemper & in omnibus intelligere, amare & perficere: & cùm eam perfecerimus, ſummè gaudeamus ex eo quod tuo deſiderio ſatisfecimus, & gratum tibi obſequium, quo es ſuperdigniſſimus, exhibuimus. Cùm autem eam fuerimus tranſgreſſi, doleamus ex eo quòd te offendimus, nec gratum tibi obſequium,quo dignus eras, præſtitimus. 8.

Cæterùm ſummum & præcipuum tuum deſiderium, quod à nobis iugiter deſideras & exquiris, tuáque beneplacens & perfecta voluntas,quam à nobis impleri exigis: eſt vt te toto corde, tota mente, tota anima, & ex omnibus viribus ſuper omnia amemus: & omni motu noſtræ voluntatis tam interno quàm externo, ſemper & vbique intendamus & deſideremus tibi propter te placere, & gratum tibi obſequium præſtare: 9.

ſicque tandem te ſecurè poſſideamus, tuæque diuinitatis clara viſione, & beatifica fruitione ſatiemur & repleamur. In quo tota noſtra ſalus, ſublimitas, perfectio & beatitudo conſiſtit, quam immenſo deſiderio nobis dare deſideras: non propter aliquod commodum quod inde tibi eueniat (cùm bonorum noſtrorum non egeas) ſed ex naturali tua bonitate & inæſtimabili charitate, qua te ipſum vis nobis communicare, tuæque gloriæ & beatitudinis participes nos efficere.

Vt ergo nos huic tuo ſummo & præcipuo deſiderio ſatisfaciamus: & gaudium tuum (quo dignaris de noſtro profectu & bono opere gaudere) impleatur in nobis: da vt ſciamus, velimus & poſſimus, ex amore tuo omnem noſtræ voluntatis motum & operationem ad hoc ordinare & finaliter referre: vt tibi gratum præſtemus obſequium: quo propter tuam infinitam bonitatem es ſuperdigniſſimus: etiam ſi nihil commodi ad nos inde proueniret.

Fac igitur (ſuperamandiſſime IESV, Deus meus & omnia & ſuper omnia) vt amor tuus, & deſiderium faciendi quod tibi gratum eſt, ſeu implendi tuam voluntatem, nos ad omnia agenda vel dimittenda moueat: & à nobis pro vltimo fine, totáque mercede & fructu noſtrarum actionum & paſſionum purè & ſimpliciter intendatur: quem cum obtinuerimus & quod tibi gratum eſt fecerimus: tamquam adepto fine & fructu optato, in te gaudeamus, & gratias agamus: non cogitantes, aut ſaltem non multum pon-

derantes, commodum quod inde nobis prouenit.

Vt autem Deiformis hæc intentio radicetur & stabilem habitum contrahat in cordibus nostris: da vt validis & frequentibus actibus volendi, hanc intentionem renouemus & actuemus, maximè ante principium cuiuslibet operis. Nec de vno opere ad aliud transeamus, priusquàm senserimus nos hac intentione & fine ad opus moueri, vt quod tibi gratum est ex amore tuo faciamus: omittentes & quodammodo obliuiscentes omnia alia motiua nostrum commodum spectantia.

Si igitur voluerimus te exorare aut laborare pro impetranda aliqua virtute, aut pro ipsa etiam æterna beatitudine obtinenda, aut pro euitando malo quocumque: & senserimus (provt ferè semper ex naturali & proprio nostri amore contingit) nos ista petere & ad hæc moueri propter nostrum commodum: non prius ad orationem vel laborem pro illis obtinendis procedamus, quàm senserimus nos alio motiuo & fine ista velle: videlicet vt ista volendo & quærendo tuam impleamus voluntatem, & gratum tibi ex amore præstemus obsequium. Quod faciliùs intelligemus & perficiemus ex sequenti exemplo & similitudine.

Est quispiam ægrotans qui sanitatis recuperandæ gratia medicamen aliquod sibi expetit, & opere ipso procurat & quæritat. Interim contingit singularem quemdam huius amicum, maiori pressum ægritudine, illo que magis egentem medicamine, aduenire.

Cuius amore & desiderio ei succurrendi: hic prior ille ægrotus velut suæ qualiscumque ægritudinis immemor, ac desiderij quod ad medicamen sui ipsius gratia habebat: iam incipit idem ipsum medicamen desiderare & quærere, non iam sibi, sed illi amico: adeò vt amor ad amicum efficiat, vt id expetat & exquirat, quatenus eius infirmitati succurrat: ita vt cùm per varia discurrens illud exquirit, sentiat in animo suo desiderium feruere illud acquirendi pro suo amico, tamquam oblitus quod ipsemet illo indigeat. Deinde cùm illud fuerit assecurus: summè gaudet ex eo quòd explebitur voluntas & necessitas sui amici. Huius ægrotantis exemplo & imitatione, quando aliqua nostræ saluti vtilia (putà virtutes, gratiam, gloriam æternam, & similia) desideramus & quærimus, vt nostræ saluti & commoditati consulamus: non sistamus in hoc desiderio: sed statim tu Deus singularis noster amicus & charorum omnium longè supercharissimus, menti nostræ occurras: téque cogitemus & credamus ex ingenita tua bonitate & charitate longè & infinities maiori desiderio velle nos ista propter te petere & quærere, quàm nos ipsi ea propter nos desideremus. Et credentes atque studiosè recogitantes præstantiorem esse infinities, magisque nos mouere debere tuam voluntatem, quàm nostram: omittamus velle illud nostrum, quo ea propter nos volebamus & quærebamus, nostro velut naturali commodo excitati: & vim facientes nobis ipsis, inclinemus voluntatem nostram, vt eadem, meliori ratione velit, nempe vt tuo

desiderio

desiderio (quo ea per nos desiderari & requiri vis) satisfaciat:ita vt sentiamus in animo nostro feruere desiderium ista acquirendi propter te: quia scilicet, optas vt ista acquiramus, & per hoc ducis tibi præstari gratum obsequium, ac si tibi essent admodum necessaria: quasi penitus obliuiscentes, quod per hæc quæ exquirimus & desideramus, consecuturi sumus vtilitatem aliquam. Est autem tanta tua bonitas & magnificentia quod quantò perfectiùs hoc modo & hac intentione aliqua concupiuerimus & quæsiuerimus: tantò ampliorem gratiam & gloriam merebimur, & à te consequemur. Semper itaque conemur & assuescamus tam beato scopo & motiuo, támque Deiformi intentione omnia inchoare, prosequi & perficere: vt ex amore tuo gratum tibi obsequium præstemus. Præsupposito enim tuo diuino auxilio (quod fideliter petenti non denegas) est in nostra libertate situm, vt vno volendi modo omisso, alium volendi modum assumamus.

Quandocunque igitur aliquid inchoare aut petere voluerimus quod tibi gratum esse putauerimus: antequam illud inchoemus, cogitemus te desiderare vt id faciamus. Quo viso, & sensibiliter cognito quod tu Deus sis superdignissimus, cuius desiderio & voluntati propter te satisfaciamus: illud inchoemus, hoc solo desiderio moti & attracti: hoc est, sola intentione faciendi quod tu desideras, & vnde gratum tibi obsequium præstari reputas: tamquam obliti omnis nostræ vtilitatis, quæ inde no- 13.

bis prouenire poſſet. Sic deſideremus ſublimem tuum amorem & vnionem aſſequi: non quia in hoc ſita eſt noſtra perfectio & beatitudo: ſed quia tu Deus vis, & immenſo deſiderio optas, vt hunc amorem habeamus ad noſtram gloriam & beatitudinem: quam ex bonitate tua nobis plurimùm concupiſcis. Sic denique moueamur in vniuerſis animæ motibus, cuiuſcumque generis ſint, tam in appetendo bona, quàm in fugiendo mala: vt iam nihil ex noſtra ſola voluntate, ſed omnia ex tua oriantur: & à nobis propterea fiant, vt tuæ voluntati ſatisfaciamus: non vt commodum aliquod inde nobis proueniat. Sic enim debemus voluntatem tuam, ſupra omne commodum & bonum noſtrum diligere: vt etiam pro noſtra beatitudine reputemus, tuam voluntatem impleri, & gloriam tuam magnificari, etiam cum noſtro detrimento.

Sic omnes beati multò vehementiùs deſiderant tuæ gloriæ manifeſtationem, tuæque voluntatis impletionem: quàm propriam beatitudinem. Imò multò libentiùs vellent propria fœlicitate priuari: quàm voluntatem tuam in aliquo retardari. In ipſis enim, omnis propria affectio & voluntas à ſeipſa liqueſcit & deficit: atque in tuam voluntatem pœnitus transformatur & abſorbetur: téque fruuntur non propter ſuum commodum, ſed propter tuum beneplacitum: hoc eſt, quia ſic vis, & per hoc gratiſſimum tibi reputas obſequium præſtari. Vnde ſi ſcirent te velle eos hac fruitione & bea-

titudine

titudine priuari: hanc tuæ voluntatis imple-
tionem præeligerent propriæ beatitudini:
imò pro sua beatitudine reputarent, tuam
voluntatem sic in eis impleri; quam sum-
mè diligunt, & in qua vltimum finem suum
& totam mercedem constituunt. Ad quo-
rum deificationem & perfectionem, vt aspi-
remus & tandem aliquando perueniamus:
Da B. IESV, vt sicut prædictum est, om-
nia ex Deiformi intentione agamus. Et an-
tequam aliquid desideremus, quæramus
aut operemur: primò consideremus & vi-
deamus, an tu velis nos id desiderare, quæ-
rere aut agere. Quod si viderimus te id non
velle, statim illud omittamus, quantum-
cumque nobis gratum & vtile foret: no-
strúmque ad illud desiderium propter te ab-
negemus. Si verò viderimus te velle vt id de-
sideremus, quæramus vel agamus: & hoc
nostræ voluntati & affectioni etiam gra-
tum & delectabile fuerit: Da vt omisso, aut
quodammodo oblito, & à nostra cogita-
tione semoto hoc nostro naturali desíde-
rio, respiciamus & intendamus duntaxat aut
saltem præcipuè ad tuum beneplacitum &
desiderium, quo vis vt id agamus: & sic mo-
ueamur ad illud desiderandum, quærendum
vel agendum, solo desiderio & intentione
faciendi quod vis, & gratum tibi obsequium
præstandi.

Si verò id quod vis vt agamus, est no- 15.
stræ voluntati valde contrarium durum &
odibile, vt ad illud promptè & hilariter
agendum cōfortemur, da vt non attendamus
nec cogitemus ipsius operis difficultatem,

ſed ſtatim profundè penſemus quàm ſis ſuperdigniſſimus amari, & iuxta tuam voluntatem propter te abſque alio reſpectu ſeruiri, quo viſo & ſenſibiliter cognito: cogitemus te nobis præſentiſsimum à nobis exigere & velle vt tui amore illud faciamus: ſicque tuo amore inflammati, & deſiderio quod tibi gratum eſt faciendi ſuccenſi: illud quod noſtra voluntas horrebat, hilariter iam & ardenter propter te aggrediamur: abnegantes & quodammodo obliuiſcentes noſtrum velle, quo iſtud prius horrebamus. Sic enim amor tuus omnia quantumuis dura, ſuauiſsima nobis reddet: onuſque tuum leue, & iugum tuum ſuaue experiemur: quia amanti nihil difficile videtur.

EXERCITIVM QVO

ea quæ petiſti à Deo in articulo ſexto præcedentis exercitij, nunc exerces per actus voluntatis abſolutos, inclinans tuam voluntatem ad ea quæ poſtulaſti, ſcilicet ad Dei amorem, ſuique contemptum & deſiderium omnia agendi propter Deum.

SVPERAMANDISSIME & ſupercolendiſſime IESV, certa fide credo, & congratulans confiteor, quia tu cum patre & ſpiritu ſancto vnus es Deus, vnus es Dominus. Tu ſolus es qui es, & à te ſolo ſubſiſtis. Tu es omnia in omnibus. Tu es fons, origo, author & conſeruator eſſentię & ſubſiſtentiæ omnium quæ ſunt. A te, & in te eſt omne bonum. Extra te, & ſine te nihil eſt bonum. Infinitè & ſuperinfinitè excedis omne bonum, quod amari, deſiderari & quæri poteſt ac debet.

Te ergo ſolum in omnibus & ſuper omnia apretio, æſtimo, præeligo, amo, deſidero, quęro & expecto, Te ſuper omnia glorifico magnifico & ſuperexalto. Tibi potius, quàm mihi omne bonum, gloriam & honorem opto, amo, & procurare volo ac propono. Tuæ voluntatis impletionẽ magis quàm quodcunque bonum quod mihi poſſet contingere, deſidero, quæro & amplector. Et de ea magis quàm de omni bono meo, gaudere volo & propono.

Hic inclinas voluntatẽ tuam ad Deum ſuper omnia amãdum.

Tu verò offenſam, vilipenſionem, contemptum, & omnem erga te ingratitudinem infidelitatem, inobedientiam, omnemque tuæ voluntatis tranſgreſſionem, pluſquàm omne malum & incommodum quod mihi poſſet contingere, odi & deteſtor: credens & ſciens eam eſſe infinitè maius malum cæteris malis pœnæ. Ac propterea illam magis horreo, timeo, & cum maiori ſolicitudine ac ſtudio eam fugere & vitare deſidero & propono. De omni, tuæ diuinæ maieſtatis of-

Hic inclinas voluntatem tuam ad odiũ peccati.

fenſa, tuæque voluntatis tranſgreſsione magis quàm de alio quocumque malo pœnæ temporali vel æterno, quod mihi vel meis poſſet contingere;doleo, triſtor & iraſcor, ſi non ſecundùm ſenſibilem affectionem,certè ſecundùm rationalem voluntatem:& deſidero magis ac magis triſtari, digniſque pœnitentiæ fructibus talem tranſgreſsionem vindicare,punire & vlciſci.

Certa etiam fide credo, agnoſco & humiliter confiteor, quia ego ex meipſo,& à meipſo, nihil prorſus ſum, ſcio, poſſum vel habeo præter peccata innumera: quæ me efficiunt & reddunt coram te & ſanctis tuis prorſus odibilem, & abominabilem, omnique confuſione & pœna digniſſimum. Ac propterea meipſum extra te nihili facio, vilipendo, contemno: & ab omnibus nihili æſtimari,contemni & neſciri,eligo,amo,deſidero, & gaudeo. Et quia non ſolùm nihil ſum, ſed quod peius eſt, peccator ſum maximus, & tibi ingratiſsimus, ac infideliſsimus; ideò meipſum (ſicut veritas & æquitas exigit) odi,deteſtor,arguo,lugeo, caſtigo & abnego: atque ab alijs odio habe i,deteſtari, argui, caſtigari, & pro meis contra te offenſis, infidelitatibus & inobedientijs puniri eligo, amo deſidero,expecto, peto, & inde gaudere & gratias agere propono.

Hic inclinas volũtatẽ tuã ad quærẽdum in omnibus ſolã Dei voluntatem.

Inſuper quia ego extra te nihil ſum, nolo aliter de me cogitare aut ſolicitus eſſe, quàm purè propter te, & ſecundùm te: hoc eſt, quia vis & ſicut vis, vt de me cogitem. Volo igitur & per te propono omnem co-

gitationem & intentionem meam ad hoc ſemper referre & finaliter ordinare, vt tibi placeam, & ex amore gratum tibi obſequium præſtem: tuam in omnibus voluntatem inquirendo, eam que implendo propter ſolam tuam bonitatem, & quia ſuperdigniſsimus es cui ab omnibus ſeruiatur iuxta tuum velle: nihil aſpiciendo ad proprium commodum, niſi quatenus tu volueris me aſpicere. Cùm autem præcipuum tuum deſiderium quod à nobis requiris, & beneplacens tua voluntas quam per nos impleri deſideras, ſit vt omnia purè propter te, ſecundùm te ex amore deſideremus, quæramus, agamus, patiamur & dimittamus. Volo & in te propono, ante quemlibet meæ voluntatis motum conſiderare diligentiùs, an tu velis ſic me moueri. Quod ſi id te nolle intellexero, volo & propono à tali motu propter te abſtinere. Si verò id te velle agnouero, volo & propono ad hoc propter te ſolum moueri:non propter me,meumq́ue comodum:hoc eſt non vt aliquam delectationem aut vtilitatẽ ex hoc mihi conquiram:ſed vt tuam volũtatem implendo, vt gratum tibi obſequium præſtem.

Cæterùm quicquid vel ex mandatis tuis diuinis, aut conſilijs: vel ex debito ſtatus mei & officij: aut ex charitatis vel neceſsitatis exigentia:aut ex mei ſuperioris ſeu patris ſpiritualis & directoris iuſſu & conſilio mihi agendum, dimittendum vel patiendum proponitur: Id omne certo & abſque vllâ hæſi-

tatione aut deliberatione credere debeo te velle à me perfici, dimitti aut pati:teque exigere vt in hoc gratum tibi obſequium præſtem. Ac propterea quoties tale aliquid occurreret:volo & propono id propter te & ſecundùm te confeſtim abſque alia deliberatione inchoare & perficere. In cæteris verò voluntarijs,ad quæ neque præceptum neque conſilium, neque charitas vel neceſſitas,neque aliud debitum me obligat: volo & propono antequam,ea inchoem: diligentiùs diſcutere & deliberare, an tu velis illa per me fieri,vel omitti: & ſi ſub obedientia vel directione alicuius patris ſpiritualis fuero, cõſiliũ ab eo requirere:Aut ſi patrẽ nõ habuero,præmiſſa oratione te conſulere,& matura deliberatione tecum facta, id eligere quod ad honorem tuum magis ceſſerit,tuæque humanæ conuerſationi & ſanctorum exemplis cõformius,ac proximius vtilius,meæque voluntati & ſenſualitati durius fuerit. Adiuua me Domine Deus meus ,quia ſine te vanum & infirmum eſt omne meum propoſitum & deſiderium.

CAPITVLVM VNDECIMVM CONTINENS PARticularia exercitia pro intentionis directione ante quodlibet opus.

Ante opus debitum vel quod certo ſcis Deo placere,vt illud agas,dic.

ſuper-

SVperamandiſſime & ſupercolendiſsime IESV Domine: tui amore multùm deſidero nunc & ſemper quicquid tibi gratius fuerit perficere. Et quia certus ſum te velle vt hoc nunc faciam:ideò abnegans & relinquens omnem meam voluntatem & aliud quodcumque:volo propter te, & vt deſiderio tuo ſatisfaciens, gratum tibi obſequium præſtem, iſtud nunc aggredi & perficere: in vnione omnium operum tuorum;ad tuam laudem & omnium ſalutem.

Si opus fuerit arduum & difficile poteris quæſequuntur addere.

Cæterùm in veritate tua agnoſco & confiteor quia ex me nihil ſum, nihil poſſum & habeo præter innumera peccata:propter quæ (& maximè propter meam ſuperbiam,infidelitatem, inobedientiam, negligentiam,imprudentiam, & morum meorum deformitatem) ad hoc & omne aliud opus bonum non ſolúm ex me ſum inſufficiens,ſed etiam prorſus indignus per quem tu aliquid boni opereris:digniſſimus quem tu abiicias,derelinquas & in infernum detrudas:cùm te optimum & ſuperdigniſſimum toties offenderim:tibiq́ue tam ingratus, infidelis & inobediens fuerim.Sed (ô bone Domine) omnia tibi ſunt poſſibilia, ſi vis potes facilè aptum me & dignum facere. Atque vtinam ſic poſſem ex qualibet creatura facere animam, & ex qualibet anima,maximè mea,facere regnũ cœlorum: in quo tantam gloriam & gaudium haberes;quãtum ab initio habuiſti,habes & in æternum habiturus es, in beatiſſi-

ma Maria matre tua,& omnibus ſanctis.Certè omnia iſta ex toto corde quàm libentiſſimè tibi offerrem & darem:& adhuc centies millies, imò infinities maiora, ſi haberem. Si omnium Angelorũ,& hominum vires poſſiderem:eas libenter ad tuum honorem, iuxta ſupremum tuum beneplacitum expenderem.Si haberem omnium creaturarum amorem, illum ad te ſolum prorſus conuertere vellem. Si omnes homines in mea eſſent poteſtate, eos libenter cogerem tibi ſoli ex amore ſeruire & obedire: quia tu ſolus es omni reuerentia,laude,amore & grato obſequio ſuperdigniſſimus. Atque vtinã poſſem ego ſolus, omnes omnium miſerorum pœnas ſingulis momentis ſufferre: & facere, vt à ſingulis creaturis, ſingulis momentis, tantùm tibi laudis & obſequij tribueretur, quantùm ab initio à ſanctis tuis tibi tributum eſt, tribuitur & in æternum tribuetur. Certè libenter iſta per gratiam tuam ſufferrem. Et nunc ergo (Domine Deus) quia vis vt hoc opus propter te perficiam: I. Obſecro te per diuinitatis tuæ in me præſentiſſimæ, omnipotentiam, ſapientiam & bonitatem: II. Per tuam erga nos nimiam charitatem & omnem eius effectum & plenitudinem: III. Per omnia quæ aſſumpſiſti, feciſti & pertuliſti pro noſtra ſalute: IIII. Per ſacri corporis & ſanguinis tui ſacramentum & ſacrificium ſuperdigniſſimum: V. Per ſeptiformem ſpiritum tuum, & VI. Angelicum miniſterium: VII. Per B.matris tuæ & omniũ ſanctorum ac electorum tuorum preces & merita: Ob-

ſecro, inquam, te: vt quia vis, & ſicut potes, ſcis, & vis; ad hoc opus & ad omne aliud tibi placitum: I. me SANCTIFICES, & ab omni peccato plenè purges & præſerues: II. Excites ab omni torpore, negligentia & puſillanimitate: CONFORTES animę & corporis vires: IIII. COHIBEAS omnia interiora & exteriora impedimenta: V. COMPONAS & prudenter diſponas modum & progreſſum operis: VI. STABILIAS, ne ex leuitate vel tædio opus cœptum intermittam: VII. MONEAS mentem, ſuggerens ei quid ad hoc opus ſit vtile: VIII. ILLVMINES intellectum, vt clarè videat quid ſit conuenientiùs aſſumendum, & quo ordine & modo: IX. ACCENDAS affectum vt ardenti amore & tibi placendi deſiderio iſtud aggrediar: X. ADIVVES me, vt verè propter te, tuæque voluntatis impletionem: XI. SECVNDVM te, & ſapientiæ tuæ dictamen: XII. PER TE, tuique ſpiritus motionem & directionem: Et TECVM, in tua præſentia manens, tuumque tractum audiens & ſequens: hoc opus aggrediar, proſequar & perficiam: in vnione omnium operum & exercitiorum tuorum, & ſanctorum omnium, ad tuam & ſanctorum tuorũ laudẽ & gloriam: noſtramque & omniũ ſalutẽ, totiuſque Eccleſię verã reformationem & pacem. Ad hoc benedicat & confortet me tua omnipotentia; inſtruat & dirigat me tua ſapientia, inflammet & attrahat tua charitas: ſtabiliat tua Trinitas: intrahat & vniat tua dulcis vnitas, O vnitrine Deus omnipotens & miſericors.

Atque vtinam in hoc opere & in cæteris operibus & locis, præſentiam tuam, diuinúmque lumen & tractum tuum ſentiam: & aduertam ex eo quid, quando, quomodo agendum vel omittendum ſit: atque ex eo, non autem ex ſenſibus meis, vel humana prudentia, ſemper operer. Vtinam ex amoris incendio deiformíque voluntate, modo ſupremo & tibi gratiſſimo, hoc opus & cætera opera mea perficiam: tibíque omnipotenti ſuperamandiſſimo & ſupercolendiſſimo Deo amatori meo, ſeruiam & obediam. Vtinam etiam ex hoc opere & cæteris operibus meis per me factis aut faciendis, tu tibimetipſi tam ſupremam laudem trahas & elicias: quàm omnes Angeli & Sancti, imò & omnes creaturæ ſimul præſtare poſſent & impendere.

O Mater Dei, Angele mi cuſtos, patroni mei, & omnes ac ſinguli Angeli & Sancti; orate pro me: & in hoc opere cæteriſque Deo placitis me adiuuate, dirigite, honeſtate & confortate.

¶ Breuior intentionis directio ante opus quod Deo eſſe gratum noſti.

SVperamandiſſime IESV: quia vis vt hoc nunc faciam, ideò abnegans quodcumque aliud, propter te iſtud aggredior: in vnione omnium operum tuorum; ad tuam & ſanctorum tuorum laudem & omnum ſalutem. Adiuua, dirige & conforta me, vt hoc ſecundùm te, per te, & tecum perſequar & perficiam.

¶ *Adhuc breuior intentionis directio.*

BONE IESV, quia vis vt hoc nunc faciam: ideò propter te, ſecundùm te, per te, & tecum iſtud aggredior, in vnione omnium operum tuorum, ad tuam gloriam & omnium ſalutem.

Quando dubitas an Deo placeat vt aliquid agas vel omittas: & non habes ſuperiorem aut directroem aliquem quem conſulere debeas: ſic Deum conſule antequam opus aggrediaris.

Superamandiſſime IESV multùm deſidero nunc & ſemper quicquid tibi gratius fuerit perficere: & nunc Domine dubitans quid in hoc tibi ſit acceptius, ſi haberem aliquem per te mihi aſſignatum directorem, libenter tui & ſimplicis obedientiæ (quæ tibi ſummè placet) amore, quicquid ille conſuleret vellem agere: nunc autem hominem non habeo, ſed habeo te inſtructorem manſuetiſſimum, conſultorem ſapientiſſimum, & adiutorem fortiſſimum: qui ſemper es mihi præſentiſſimus, intentiſſimus & prõptiſſimus: qui ſolus potes, ſcis, & vis me (ſi tibi conſtanter per amorem adhæſero) in omnibus ſalubriter inſtruere, dirigere & adiuuare.

Si arguat te conſcientia quod ſæpiùs acceptum à Deo conſilium transgreſſus fueris, poteris quæ ſequuntur inſerere.

Et quidem benigniſſime IESV agnoſco & humiliter confiteor: quia propter multipli-

cem infidelitatem & inobedientiam meam antiquam & nouiſſimam, indignus ſum cui conſulas & tuum beneplacitum manifeſtes. ſed quia abundantia pietatis tuæ merita ſupplicum excedis & vota: ideò amanter, fideliter, humiliter, & confidenter te obſecro, vt propter bonitatem & paſſionem tuã, omnia peccata mea & inobedientias plenè ignoſcas, corrigas & ab his me præſerues: plenamque pro illis ſatisfactionem de tuæ paſſionis theſauro, Patri tuo offerens, iram eius auertas, & miſericorditer mihi nunc conſulas.

Eya igitur loquere Domine, quia ſeruus tuus deſiderat audire & implere quicquid ei conſulueris. Loquere & aperi mihi aurem, quâ intentè audiam & clarè intelligam quid à me nunc fieri velis.

Hîc recollecto ſpiritu, maturè cum Deo conſidera, expende & delibera, quid in propoſita re dubia, ad maiorem Dei honorem cedat: quid ſit Chriſti & ſanctorum exemplis conformius: quid ſit proximis vtilius: denique quid ſit tuæ propriæ voluntati & ſenſualitati magis contrarium, corporique tuo magis durum & graue: Et quicquid tale eſſe perſpexeris, illud tanquam Deo magis gratum elige: ſic dicens.

Benigniſſime IESV quia ex te aduerto & intelligo, hoc ad maiorem tuum honorem cedere: vel tibi & ſanctis eſſe conformius: vel proximis vtilius: vel meæ propriæ voluntati magis contrarium, & corpori

meo

meo durum : ideò hoc tibi gratius esse iudico : ac propterea fideliter, simpliciter, humiliter & confidenter, propter te, secundùm te, per te, & tecum, illud aggredi, prosequi & perficere volo, obsecro, & propono: in vnione omnium operum tuorum: ad tuam & sanctorum gloriam, meamque & omnium salutem, & Ecclesiæ reformationem & pacem.

Si æqualiter dubitas an Deus velit te aliquid agere velo mittere: ignorans quid cedat ad maiorem Dei honorem, aut proximorum salutem: elige & sequere quod propria voluntati & sensualitati sit magis contrarium: cum resignatione aliud sequendi, si aliud magis placere Deo intelligeres. Quòd si ignores quid ex duobus sit tuæ voluntati magis contrarium: Elige quod primùm occurrerit, cum hac quæ sequitur resignatione.

B. IESV, & si ignorem quid in hac re tibi sit gratius: quia tamen illud est meæ propriæ voluntati magis contrarium: vel quia istud puto tibi æquè placere atque aliud: ideò istud propter te, per te, & tecum aggrediar: resignans & paratum me offerens ad aliud agendum, si aliud tibi magis placere putarem.

Si habes superiorem aut directorem, quem in dubijs & non necessarijs consulere debeas: consilium ab eo petiturus, præmitte quod sequitur. 5.

Superamandissime IESV: quia tibi placet vt in dubijs consilium à directore meo pe-

tam

tam & ſequar: & quia etiam indignum me agnoſco, cui per te ipſum tuam voluntatem reueles: ideò propter te volo eum nunc conſulere: obſecrans te vt per os eius tu ipſe mihi reſpondeas: quod iuxta promiſſum tuum confidenter expectans: propono quicquid ille mihi conſuluerit, id tanquam ex ore tuo prolatum fideliter, ſimpliciter, & vtiliter implere.

Accepto à directore tuo conſilio, dic.

Superamandiſſime IESV, gratias tibi ago quòd dediſti mihi conſilium à patre meo petere & intelligere: Et nunc abnegans omne aliud conſilium, volo propter te, id quod conſuluit, fideliter, ſimpliciter, & viriliter implere: in vnione omnium operum tuorum, ad tuam gloriam & omnium ſalutem.

Si non potes cõſilium patris requirere, quãdo aliquid non iuſſum nec conſultum, eſt agẽdum: elige & ſequere quod magis Deo placere putaueris, cum iſta reſignatione.

B. IESV, libenter ſi commodè poſſem in hoc & alijs omnibus conſilium patris mei peterem & ſequerer: ſed quia non vacat illud nunc petere; & arbitror tibi placere vt hoc agam: ideò hoc propter te aggredior, reſignans me & paratum offerens ad aliud agendum: ſi aliud mihi conſuleretur, aut aliud tibi magis placere putarem.

Etiam ſi habeas directorem, vtiliter tamen antequam eum in dubijs conſulas, apud te cum Deo expendes & conſiderabis quid

possit esse Deo gratius. Et si videris apertè aliquid Deo esse acceptius, illud tamen non presumes aggredi (quando nouum est & insitatum nec debitum) donec à directore tuo sit approbatum & consultum. Quod si director tuus illud reprobauerit aut noluerit te illud aggredi: abnega propter Deum (cui summè placet humilis & simplex obedientia) & relinque illud tuum iudicium, quo iudicabas illud Deo placere: & sequere humiliter, fideliter & simpliciter tui directoris consilium. Tunc enim, & si id quod ipse consuleret, in se & ex suo genere esset minus Deo placens & salutare: tamen ex simplici obedientia propter Deum illud factum, erit Deo longè gratius & amplioris meriti. Tunc ergò poteris quod sequitur Deo dicere.

B. IESV, & si iuxta consultationem & deliberationem tecum maturè factam videatur mihi hoc tibi esse gratius: quia tamen vis vt in rebus non necessarijs vel debitis consilium patris petam & sequar: ideò propter te volo huius directoris mei consilium audire & fideliter ac simpliciter tamquam ex ore tuo prolatum sequi & amplecti: omne aliud iudicium & voluntatem abnegando & relinquendo.

Sic Deum consulendo, antequam directorem consulas: assuesces introuersioni, per quam perfectiùs illuminaberis & inflammaberis prudentiúsque postea directorem interrogabis: & dum post huiusmodi introuersionem & internam cum Deo consultationem, adhuc

directorem consules, & eius iudicio totum te submittes, maiorem abnegationis & humilitatis gratiam consequeris, quàm si Deum intus non consuluisses.

Si in re occurrente aut consimili, aliàs intellexisti consilium Domini, vel directoris tui: & nulla noua ratio vel conditio apparet, quæ dubitare te faciat an consilium aliàs acceptum sit sequendum: sequere simpliciter & fideliter quod aliàs consultum est, dicens.

B. IESV, quia iam aliàs consuluisti, vt iure consimili istud sequerer: & nulla noua ratio mutandi consilij apparet, displicetque tibi instabilitas & infidelitas: ideò propter te fideliter & simpliciter aggredior, quod aliàs consuluisti: in vnione omnium operum tuorum, ad tuam & sanctorum gloriam & omnium salutem Ecclesiæque pacem.

Quando inter agendum aliquid propter Deum inchoatum: senseris te magis aridum ineptum & quasi à Deo derelictum: dic.

Scio B. IESV, & confiteor, quia propter peccata mea & nimiam infidelitatem, superbiam & negligentiam meam, mereor à te derelinqui, & tua gratia (sine qua nihil prorsus boni possum) destitui. Vnde & auxilij optati substractionem (quatenus pœna est) de manu tua paterna suscipio, gaudens, & gratias agens, pro tuæ voluntatis circa me impletione; pro punitione peccatorum meorum; pro mortificatione & afflictione priuati amoris & propriæ voluntatis. Verumtamen doleo quòd te offendi, &

ineptum me reddidi ad operandum quod tibi gratum eſt. Defleo tempus inaniter tranſiens, & omiſſionem operis fructuoſi, quod interim facere deberem. Obſecro vt peccata mea omnia ignoſcas, corrigas, ſanes, & ab illis me preſerues, ac plenè pro me ſatiſfaciens, me iuſtifices, & tibi gratifices, ac adiuues vt quod propter te cępi; propter te etiam, ſecundùm te, per te, & tecum proſequar, & perficiam: in vnione omnium operum tuorum, ad tuam gloriam, & omnium ſalutem. Eya non nobis Domine, non nobis, ſed nomini tuo, quod inuocamus, da gloriam. Da quod vis, & quantum vis, & quando vis, & fac mecum ſicut vis: quoniam in hoc & alijs omnibus deſidero non mihi ſed tibi ſeruire & placere, Amen.

Breuiùs ſic hanc aſpirationem colliges.

Deus meus ne elongeris à me: Deus meus in auxilium meum reſpice: & in ſanguine tuo propter nomen tuum deletis & ſublatis omnibus peccatis meis & gratiæ tuæ impedimentis: adiuua me, vt quod propter te cœpi, propter te, ſecundùm te, per te, & tecum proſequar & perficiam. Non tamen quod ego volo, ſed quod tu, non ſicut ego volo, ſed ſicut tu: non mea, ſed tua voluntas fiat: quoniam non deſidero in hoc opere mihi viuere & placere: ſed tibi, vtinam dignè & perfectè.

CAPITVLVM DVODECIMVM CONTINENS VARIAS post opus quodlibet oblationes.

¶ Oblatio breuis & generalis omnium operum.

IESV, pro tua gloria, Afflictaque Ecclesia,
In tuum cor & meritum, Amoremque dulcissimum,
Offero nos & omnia, Creata corda, studia:
Virginis matris meritis, Sanctorumque suffragijs
Orans, vt mala deleas, Defectus nostros suppleas,
Succurras nobis miseris, Cunctis viuis & mortuis, Amen.

¶ Alia oblatio post certum opus perfectum.

BEnignissime IESV, gratias tibi ago pro omnibus tuis & sanctorum tuorum exercitijs & operibus bonis, Et in horum vnione, offero tibi in cor tuum, hoc meum opus & exercitium; cæteraque meorum specialium & omnium electorum tuorum exercitia & opera bona. Gratias tibi agens pro intentionis directione, tuæ voluntatis impletione, substractione impedimenti, laborioso conatu, & auxilio collato. Fateor quia supra omne

meritum meum mihi benefecisti. Agnosco tamen quia nihil dignum tua maiestate egi. Agnosco multiplicem meam negligentiam, imprudentiam, præcipitationem, & multos alios defectus tibi notos: quos obsecro vt mihi ostendas, méque compungas, abluas, corrigas, suppleas, satisfacias, & ab illis me præserues. Quicquid verò boni actum est, illud velut in cor tuum suscipiens: adiunge tuis operibus, accepta, auge, perfice, absconde, conserua, & offer ad tuam & sanctorum tuorum laudem & gloriam, nostrámque & omnium viuorum & defunctorum salutem, Ecclesiæ & regni reformationem & pacem, omniúmque petitionum salutarium benignam exauditionem. Méque ab his quæ nunc egi abstractum, ad anteriora nouo feruore extende: & dona mihi hanc horam & residuum vitæ meæ in placitis tibi actibus occupare, Amen.

¶ *Alia oblatio breuior.*

SVperamandissime IESV, gratias tibi ago pro tuis & sanctorum tuorum operibus: & in horum vnione, offero tibi hoc opus. In quo quicquid minus dignè ac perfectè actum est, per suauissimum cor & spiritum tuum ignosce, emenda, supple, & satisfac. Si quid verò tibi placens perfectum est, illud, velut tuum, in cor tuum suscipe, adiunge, accepta, absconde, perfice, conserua, & offer ad tuam & sanctorum tuorum laudem, omniúmque salutem & Ecclesiæ pacem: méque ad alia tibi placita opera nouo feruore excita, dirige, & promoue.

¶ Adhuc breuior oblatio post opus.

BEnignißime IESV hoc opus meũ in cor tuum ſuſcipiens, purifica, corrige, ſupple, adiunge, accepta, perfice, conſerua, offer ad tuam laudem & omnium ſalutem: méque ad alia operá bona nouo feruore extende, dirige & promoue. *Vel ſic;*

Benignißime IESV hoc opus commendo mellifluo cordi tuo purgandum, ſupplendum, perficiendum, & offerendum patri tuo in vnione operum tuorum ad S. Trinitatis laudem & omnium ſalutem.

CAPITVLVM TERTIVMDECIMVM CONTINENS

peculiaria exercitia amoris, per flammigeras aſpirationes & multiplicata deſideria ſæpiùs exercenda.

¶ Exercitium amoris.

O VNICVM, ſupremum, & incommutabile bonum: extra quod & ſine quo nihil eſt bonum, quando te ſolum in omnibus diligam? O bonum, in quo, & à quo eſt omne bonum: quando omnia in te ſolo, & propter te ſolum appetam & quæram? O bonum, omnia ſimul bona infinitè ſuperexcedens in

omni bonitate & amabili perfectione: quando te super omnia amabo, quæram, amplectar, & te ipso propter te solum fruar?

Eya, ecce meliori modo quo possum, te super omnia appretio, eligo, amo, desidero, quæro, & amplector: & magis ac magis amare, desiderare, quærere & amplecti te desidero, obsecro & à te expecto.

1 AMO te, ô Amator mihi semper & vbique præsentissime, intentissime, & promptissime. 1.

2 Amo te ô Deus misericordissime, patientissime, & benignissime.

3 Amo te ô Deus placabilissime, clementissime, & beneficentissime.

4 Amo te ô amator amabilissime, amantissime, & dilectissime.

5 Amo te ô amator pijssime, compatientissime & dulcissime.

6 Amo te ô amice esurientissime, fortissime, & constantissime.

7 Amo te ô Deus opulentissime, liberalissime, & munificentissime.

8 Amo te ô Deus potentissime, sapientissime, & sanctissime.

9 Amo te ô amator benignissime, fidelissime, & certissime.

10. Amo te ô amator mihi proxime, inseparabilissime, & charorum omnium charissime ac supercharissime.

1 AMO te, ô Deus superdignissime, superaffabilissime, & superdelitiosissime.

2 Amo te. ô Deus reuerendissime, honorandissime, & desiderabilissime.

3 Amo te, ô Deus maxime, gloriosissime,

Adhuc breuior oblatio post opus.

BEnigniſsime IESV hoc opus meũ in cor tuum ſuſcipiens, purifica, corrige, ſupple, adiunge, accepta, perfice, conſerua, offer ad tuam laudem & omnium ſalutem: méque ad alia opera bona nouo feruore extende, dirige & promoue. *Vel ſic;*

Benigniſsime IESV hoc opus commendo mellifluo cordi tuo purgandum, ſupplendum, perficiendum, & offerendum patri tuo in vnione operum tuorum ad S. Trinitatis laudem & omnium ſalutem.

CAPITVLVM TERTIVMDECIMVM CONTINENS peculiaria exercitia amoris, per flammigeras aſpirationes & multiplicata deſideria ſæpiùs exercenda.

Exercitium amoris.



O VNICVM, ſupremum, & incommutabile bonum: extra quod & ſine quo nihil eſt bonum, quando te ſolum in omnibus diligam? O bonum, in quo, & à quo eſt omne bonum: quando omnia in te ſolo, & propter te ſolum appetam & quæram? O bonum, omnia ſimul bona infinitè ſuperexcedens in

omni bonitate & amabili perfectione: quando te super omnia amabo, quæram, amplectar, & te ipso propter te solum fruar?

Eya, ecce meliori modo quo possum, te super omnia appretio, eligo, amo, desidero, quæro, & amplector: & magis ac magis amare, desiderare, quærere & amplecti te desidero, obsecro & à te expecto.

1 AMO te, ô Amator mihi semper & vbique præsentissime, intentissime, & promptissime. I.

2 Amo te ô Deus misericordissime, patientissime, & benignissime.

3 Amo te ô Deus placabilissime, clementissime, & beneficentissime.

4 Amo te ô amator amabilissime, amantissime, & dilectissime.

5 Amo te ô amator pijssime, compatientissime & dulcissime.

6 Amo te ô amice esurientissime, fortissime, & constantissime.

7 Amo te ô Deus opulentissime, liberalissime, & munificentissime.

8 Amo te ô Deus potentissime, sapientissime, & sanctissime.

9 Amo te ô amator benignissime, fidelissime, & certissime.

10. Amo te ô amator mihi proxime, inseparabilissime, & charorum omnium charissime ac supercharissime.

1 AMO te, ô Deus superdignissime, superaffabilissime, & superdelitiosissime.

2 Amo te, ô Deus reuerendissime, honorandissime, & desiderabilissime.

3 Amo te, ô Deus maxime, gloriosissime,

& optime.

4 Amo te, ô Deus perfectiſsime, illuſtriſsime, & beatiſsime.

5 Amo te, ô amator pretioſiſsime, familiariſsime, & iucundiſsime.

6 Amo te, ô Deus excellentiſsime, victorioſiſsime, & fœliciſsime.

7 Amo te, ô Deus iuſtiſsime, veraciſsime, & gratioſiſsime.

8 Amo te, ô Deus altiſsime, pulcherrime, & ſuauiſsime.

9 Amo te, ô Amator vtiliſsime, honeſtiſsime, & delectabiliſsime.

10. Amo te, ô Deus præſtantiſsime, lucidiſsime, & quietiſsime.

Nomina quibus Dei erga nos beneficia exprimuntur.

1 AMO te, ô mi æterne præcognitor, elector, & prædeſtinator.

2 Amo te, ô mi plaſmator, creator, & aſsimilator.

3 Amo te, ô mi conſeruator, gubernator, & inſpirator.

4 Amo te, ô mi regenerator, redemptor, & viuificator.

5 Amo te, ô mi purgator, illuminator, & inflammator.

6 Amo te, ô mi nutritor, veſtitor, & prouiſor.

7 Amo te, ô mi offenſæ remiſſor, pœnæ perſolutor, & gratiæ reſtitutor.

8 Amo te, ô mi eductor, vocator, & ſuſceptor.

9 Amo te, ô mi adoptator, ſponſe, & ſingularis benefactor.

10. Amo te, ô mi defensor in morte, suscitator, & glorificator.

Alia nomina diuersa Dei erga nos officia designantia quibus ad amorem excitari meritò debemus.

1 AMO te, ô mi pater, frater, & sanctificator.

2 Amo te, ô mi Iudex, aduocate, & iustificator.

3 Amo te, ô mi Rex, princeps, & rector morum.

4 Amo te, ô mi Domine, Emmanuel, & amice.

5 Amo te, ô mi præceptor, magister, & legifer.

6 Amo te, ô mi pastor, hospes, & visitator ac reformator.

7 Amo te, ô mi creditor, fideiussor, & restaurator.

8 Amo te, ô mi protector, custos, & medice.

9 Amo te, ô mi liberator, saluator, & purificator.

10. Amo te, ô mi Deus, homo vere, & omnia in omnibus.

Alia item Dei nomina amorosa.

1 AMO te, ô pater misericordiarum, particeps miseriarum nostrarum, & Deus totius consolationis.

2 Amo te, ô pater futuri sæculi, dux & comes itineris ad patriam, & subleuator in omni pressura.

3 Amo te, ô Rex perennis gloriæ, exilij nostri particeps & socie, Paraclete & consolator optime.

4 Amo te, ô dominator, miniſtrator, & amator.

5 Amo te, ô inſtructor, conſultor, & adiutor.

6 Amo te, ô Imperator, Dux, pugnator, & triumphator.

7 Amo te, ô bonorum omnium largitor, mediator, & conſeruator.

8 Amo te, ô Tutor, Samaritane, & curator.

9 Amo te, ô antique dierum, iuuenis floridiſſime, zelator caſtiſſime & affector ſuauiſſime.

10. Amo te, ô adoptator benigniſſime, promiſſor fideliſſime, & redditor certiſſime.

Poſtquam iſta nomina aut aliqua iſtorum ſic amorosè commemoraueris: vt magis in amore te exerceas, & proficias, poteris addere quod ſequitur.

12. Amo, inquam, te, & ſuper omnia te appretio, præeligo, appeto & quæro. Amo te, & ardenti, atque vtinam efficaci deſiderio, tibi propter te placere concupiſco. Tibi gratum amoris obſequium ſemper & vbique præſtare deſidero. Tuam beneplacentem voluntatem noſſe, & ex amore eam perficere volo, & per te propono. Tuum beneplacitum in me, de me, per me, & in omnibus ſemper & vbique perfici & impleri, in tempore & æternitate, in aduerſis æquè ac in proſperis, opto & poſtulo. Amo te, & tui amore deſidero, aſpiro, & inhio peruenire ad tuæ diuinitatis poſſeſſionem ſecuram, claram viſionem,

&

& laudem, beatificam fruitionem, & vnionem inseparabilem, vt sic modo nobilissimo & gratissimo tibi placeam & seruiam. O superamandissime Deus, tibi omne bonum, omnem gloriam, & tuæ voluntatis impletionem, magis quàm quodcumque bonum quod mihi posset contingere, opto, quæro, & amplector. De omni bono quod habes,& quod es, & de tuæ voluntatis impletione, magis gaudeo & exulto, quàm de omni bono & commodo, quod mihi posset contingere. Pro mea beatitudine reputo, quòd tu tantam gloriam, dominationem, & beatitudinem habeas,quantam habes. Tuas laudes & perfectiones ac virtutes recolo, audio, & prædico, cum maiori gaudio, quàm cuiuslibet mihi amicissimi laudes possem audire aut referre. Ardentissimis desiderijs opto, & continuis studijs procurare volo, te à nobis & ab omnibus agnosci, adorari,glorificari, amari,& ex amore tibi seruiri.

ANNOTATIO.

Non erit necesse simul omnia suprascripta nomina exprimere, sed pauciora vel plura, & modo hæc, modo illa assumes, prout tuæ deuotioni & commoditati conuenientius fuerit. Et ex his illa sæpiùs frequentabis quibus senseris te magis inflammari: præmittendo illis hoc verbum (Amo te) *vel si malueris* (Amem te & ex amore tibi seruiam) *aut* (vtinam amem te) *vel* (quando amabo te?) *vel* (amans adoro te, amans 3.

glorifico te, amans congratulor tibi, gratuſque me totum tibi offero, ô talis &c. *Poteris etiam præmittere nomina Dei & aſpirationem amoris ſic ſubiungere* (O talis, eya fac te amem & ex amore tibi ſeruiam) *Vel* (fac amem te, & tui amore me ipſum abnegem, crucem meam tollam, & ſequar te quocumque volueris.) *Vel* (fac te amem, & tui amore agam & patiar quicquid volueris in tempore & æternitate.) *Vel* (ô talis quando te amabo? quando tui amore me contemnam & crucem meam tollam?) *Inſuper ante quodlibet prædictorum nominum, ſi volueris præmittes* (Aue IESV, talis) *Vel quando communicaturus eris* (Veni IESV, talis.) *quod multum valet ad deuotionem excitandam. Sic mille alijs modis poteris amoroſas aſpirationes his nominibus præponere vel ſubiungere, prout te dulciùs affici ſenſeris: & ad vitandum tædium, nunc hoc, nunc alio modo aſpirare. Cauere autem debebis ne tuus amor mercenarius ſit: Deum ob id amans quod ſit tibi tam vtilis & neceſſarius, ſicut iſta nomina indicant: ſed ex horum nominum conſideratione per gratitudinis affectum conſurge & excita te ad redamandum Deum amore gratuito propter te, ſicut ipſe prior gratis te dilexit. Cæterùm hoc verbum* (Amo te) *vel* (amans congratulor tibi) *& ſimilia potes veraciter dicere, etiam ſi te ſine amoris affectu & dulci ſentimento inuenias, dummodo deſideres Deum amare. Neque enim potes deſiderare Deum amare, quin iam aliquo modo eum diligas. Præterea dum dicis* (Amo te) *intelligere potes,*

amo

amo desideranter & si non efficaciter. Et ita quando desideras Deum amare verè dicis Amo te, (desideranter scilicet): etiam si nec dum efficaciter, & cordialiter ac perfectè Deum diligas. Nulla ergo ariditas mentis te reuocet & impediat, quominus istud amoris exercitium per horum nominum considerationem frequentes, quoties licuerit. Porrò singulis nominibus absolutis, poteris addere epitheta seu superlatiua illis conuenientia: vt Pater piissime, frater amantissime, sanctificator benignissime, & sic de cæteris: prout in exercitijs viæ illuminatiuæ quæ sequenti tractatu traduntur fusiùs exprimitur: vbi etiã nomina prædicta copiosè explicantur, cum obsecrationibus singulis conuenientibus: habes etiam apud Blosium Endologias amatorias quamplures huic exercitio vtilissimas.

Aliud amoris exercitium continens ardentia desideria amandi & colendi Deum sæpiùs repetenda quando vacat.

O Superamandissime & supercolendissime Amator, IESV Christe, Deus meus, & omnia, & super omnia. Multùm desidero tibi soli propter te placere: tibi gratum obsequium ex amore semper & vbique præstare: tuam voluntatem beneplacitam semper inquirere, nosse, & agnitam amanter, fideliter

& integrè perficere. O quando fiet iſtud! O quando per omnia tibi placebo? O quando nihil erit in me quod tibi diſpliceat, nihil quod tibi non ſit gratiſſimum? Eya aufer à me quicquid tibi minus placet: & infunde quicquid gratius eſt. O quando gratum tibi ex puro amore obſequium præſtabo? O quando voluntatem tuam beneplacentem ſolicitè ſemper inquiram, veraciter agnoſcam, & amanter, fideliter ac integrè perficiam? Quando diligam te Dominum Deum meum, toto corde, tota mente, tota anima & ex omnibus viribus meis? O Domine quando nudè te complectar brachijs animæ meæ? Quando tui amore me ipſum & vniuerſum mundum contemnam? Quando ex amore tibi ſeruiam & agam ac patiar quicquid volueris in tempore & æternitate? Quando tui amore me ipſum prorſus abnegabo: proprium ſenſum & voluntatem, vitioſaque deſideria & oblectamenta perfectè mortificabo? Quando tui amore crucem omnem quamcumque inſpiraueris, immiſeris, aut permiſeris, cum gaudio & gratitudine amplectar, & vſque in finem tolerabo? Quando tui amore ſequar te quocumque ieris, & tuas virtutes perfectè imitabor? Quando anima mea in omnibus viribus ſuis tibi vnietur? Quando anima mea totaliter & perfectè in te mergetur & abſorbebitur? O Domine, ego te totum poſſidere, & me totum tibi offerre deſidero: & vnus in vno æternaliter & inſeparabiliter requieſcere.

O Domine quando me totum tuo ſeruitio impendam |& ſuperimpendam ? Eya digneris iſta citiùs perficere in me,ad tuã gloriam, & omnium ſalutem, veramq́ue Eccleſiæ reformationem & pacem. O vtinam tuum beneplacitum ſemper & vbique,in omnibus & per omnes impleretur.Domine, ſi dares mihi optionem petendi & impetrãdi quicquid vellem:non aliud ſanè quam hoc peterem,& hoc millies & centies millies peto & ſupplico, vt laudabiliſſima tua voluntas in me, de me, per me & in omnibus ac per omnes ſemper & vbique fiat & ex amore impleatur. O vtinam omnes te agnoſcerent, te adorarent & glorificarent, te amarent & ex amore tibi ſeruirent. Certè ſi omnes homines eſſent in mea poteſtate: libenter eos inducerem & cogerem te ſolum ſuper omnia adorare, glorificare, amare, & ex puro amore tibi obedire ac ſeruire: quia tu ſolus omni adoratione, laude, amore, & obſequio es propter te ſuperdigniſſimus.

O ſi poſſem ex qualibet creatura facere animam, & ex qualibet anima facere regnum cœlorum, in quo tantam gloriam, laudem, & gaudium haberes, quantum ab initio habuiſti, habes, & in æternum habiturus es in beatis Angelis & ſanctis tuis. Certè omnia iſta ex toto corde quam libentiſsimè tibi offerrem & darem: & adhuc centies millies, imo infinities maiora ſi mihi ſuppeteret.Si haberẽ omnium Angelorũ & hominũ vires,eas libenter in tui ſolius cultum & ſeruitium expenderem. Si

haberem omnium creaturarum affectum & amorem: illum ad te solum, libenter conuerterem & in te transfunderem. Atque vtinam possem ego solus omnes omnium miserorum pœnas, singulis momentis sufferre: & facere vt à singulis creaturis, singulis momentis, tantùm laudis & amoris tibi tribueretur, quantùm ab initio à beatis Angelis & sanctis tuis tibi tributum est, tribuitur, & in sempiternum tribuetur. Certè libenter ista propter te, & per te, tua gratia iuuante perferrem. O quando videbo te ab omnibus adorari, glorificari, amari, tibique ex amore seruiri? O quando ab omnibus nomen tuum sanctificabitur? Quando Regnum tuum omnibus innotescet & dominabitur? Quando voluntas tua beneplacens & perfecta, sic in vniuersa terra & militanti Ecclesia amanter, fideliter & integrè fiet: sicut fit & impletur in cœlo & ecclesia tecum iam triumphanti? Quando tu eris omnia in omnibus.

Habes in exercitio Diuinæ laudis & contemplationis (quod in tertio tractatu ponitur) aspirationes quibus te inflammes & excites, ad amorem & desiderium æternæ & securæ possessionis, claræ visionis & laudis, ac beatificæ fruitionis Dei tui, perfectæque cum eo vnionis, & in ipsum plenariæ transformationis quæ hic non inseruntur, quoniam illæ ad perfectos magis quàm ad incipientes vel proficientes pertinent.

Quoties audis, legis, cogitas, aut pronuntias aliquod nomen Dei, vel factum laudabile: to-

ties gaude & congratulare multò magis (saltem secundùm rationalem affectum) quàm si audires laudes tuas, vel alicuius tibi præ cæteris amicissimi & dilectissimi.

Cum videris aliquem facere aliquid quod Deo placeat & ad eius laudem cedat: statim congaude, Deúmque lauda, & obsecra vt istud conseruet & augeat, téque ad similia sicut voluerit, prouocet, dirigat & adiuuet. Dic ergo:

Gaudeo, dulcissime IESV, & laudans tibi gratias ago: pro eo quòd dedisti aut das huic famulo tuo gratum in hoc obsequium tibi præstare: Obsecrans te vt tu in eo bonum hoc & cætera dona tua conserues, augeas & perficias: méque eius exemplo digneris ad similia sicut volueris excitare, dirigere & adiuuare: ad tuam supremam gloriam, & omnium salutem, verámque Ecclesiæ reformationem & pacem.

Cùm videris aliquem Deum offendere & peccare statim in spiritu tristare, condole, & obsecra in hunc modum.

Ah superamandissime & supercolendissime Deus: doleo quòd tu offenderis, contemneris & irritaris. Condoleo huius famuli te offendentis miseriæ, cæcitati, damnis, & reatibus. Esurio te rehonorare, & illi succurrere. Offero propterea superaffluentissimum meritum & satisfactionem tuæ passionis: & in vnione illius resigno & paratum me offero ad agendum & patiendum quicquid

volueris pro tuo honore, & huius famuli tui cæterorumque peccatorum emendatione & iuſtificatione.

Eya miſerere illius & omnium. Eya nos omnes illumina, compunge, extrahe, ablue, ſana, & iuſtifica: ad tuam gloriam, & omnium ſalutem Eccleſiæque reformationem & pacem.

Ex omnibus etiam creaturis pretioſis & vtilibus, cogita & laudans ama Dei tui, qui eas tales creauit, infinitam pretioſitatem & vtilitatem. Ex omnibus pulchris eius pulchritudinem: ex omnibus delectabilibus, eius ſuauitatem: ex omnibus amabilibus, eius amabilitatem: denique ex omnibus omnium & ſingularum creaturarum perfectionibus, cõtemplare, & cum gaudio laudans ama Dei tui perfectionem, omnes omnium creaturarum perfectiones cauſantem, conſeruantem, in ſe ſupereminenter continentem, ac infinitè ſuper excedentem, Dic ergò:

O Domine Deus ſi creatura hæc pretioſa eſt & vtilis, vel pulchra & præclara, vel delectabilis & ſuauis, vel amabilis & perfecta: quanto tu es in infinitum prætioſior & vtilior, ſpecioſior & præclarior, delectabilior & ſuauior, amabilior & deſiderabilior, melior & perfectior! Qui omnem eius, cæterarumque omnium prætioſitatem, pulchritudinem, ſuauitatem, amabilitatem, & perfectionem, donas, conſeruas, in te ſupereminenter contines, & infinitè ſuperexcedis. Te igitur ſolum in omnibus & ſuper omnia appretiem, præ-

ligam,admirer,amem, desiderem, quæram & amplectar nunc & in æternum.

Sic & multis alijs modis, prout vnctio te docere poterit, exercendo te in Dei amore, gratissimum Deo præstabis obsequium, & inflammari te senties.

Quod si fortè ex occulta aliqua causa, aut dispensatione Diuina, senseris te isto exercitio & his aspirationibus non excitari, nec diuino amore succendi: noli nimium deiici aut contristari: sed in humilitate tua patientiam habe: & aliquoties prædictis aspirationibus insere vel adiunge sequentem orationem, maximè quando te aridiorem solito inueneris.

Superamandissime Domine Deus: scio & confiteor quia peccata mea innumera tibi soli cognita, indignum me faciunt sentimento & affectu tui amoris, omniq́ue pœna & derelictione dignissimum. Vnde hanc ariditatem & duritiem affectus mei erga te (quatenus pœna est iustè pro peccatis meis inflicta) de paterna manu tua libenter suscipio:& quamdiu volueris,aut permiseris paratus sum sufferre. Gaudens & gratias agens pro tuæ voluntatis circa me impletione, pro peccatorum meorum castigatione,pro propriæ voluntatis meæ afflictione, tuiq́ue amoris probatione, & cæteris fructibus, ad quos hanc ariditatis pœnam ordinasti. Veruntamen doleo quòd te offenderim. Doleo defectum amoris & affectionis quam deberem habere erga te

super-

ſuperamandiſſimum. Obſecro te vt me illumines, compungas, extrahas, abluas, ſanes, & iuſtifices: & de tuæ paſſionis theſauro ſatisfactionem Deo patri pro me offerens, iram eius auertas: & iam non in ira, ſed in miſericordia tua mecum facias: & ſicut potes, ſcis, & vis: hanc mentis ariditatem & duritiam à me auferas: vt ſicut ſuperdigniſſimus es, toto corde, & affectu integro, amem te: & ſicut vis & conſulis, in lætitia tibi ſeruiam: & in conſpectu tuo intrem in exultatione, ad tuam laudem & gloriam. Verumtamē in hoc & in omnibus non mea, ſed tua voluntas fiat. Da quod vis, & quantùm vis, & quando vis, & fac mecum in omnibus iuxta ſupremum beneplacitum tuum: quoniam non deſidero mihi viuere, ſed tibi: vtinam dignè ac perfectè, Amen.

Breuiùs hanc Orationem ſic facies.

Superamandiſſime IESV, peccatis meis hanc quam patior ariditatem & derelictionem imputans, doleo quòd te offendi. Doleo quòd amoris erga te, quo es digniſsimus, ſuauem non ſentio affectum. Obſecro, remitte offenſam. Satisfac pro pœna debita. Redde mihi lætitiam ſalutaris tui, vt ſicut vis, in lætitia tibi ſeruiam: verumtamen non mea ſed tua voluntas in hoc & in omnibus fiat.

CAPITVLVM QVARTVMDECIMVM, CONTINENS Exercitium pro ſentienda Dei præſentia.

ANNOTATIO.

Quoniam vtiliſſimum eſt ad fugam omnis peccati, & operationem omnis boni, præſentiam Dei ſentire, non ſolùm in exercitio ſpirituali, vbi habetur cum Deo colloquium: ſed etiam in omni loco, & qualibet alia occupatione: ideo exerce te ad imprimendum cordi & affectui tuo diuinæ præſentiæ ſentimentum. Sic vt ſemper & vbique Deum tibi præſentiſſimum non ſolùm credas: ſed etiam ſentias, & actu cogites. Ad hoc obtinendum, frequenta ſequentes aut conſimiles aſpirationes & conſiderationes.

O vnice & fideliſſime Amator animæ meæ, IESV Chriſte: Deus & homo perfectiſſime, & ſuperamandiſſime: tu ſecundùm diuinitatem tuam es mihi ſemper & vbique præſentiſſimus. Tu mihi es intimus. Tu es eſſentia eſſentiæ animæ meæ. Tu ad oſtium cordis mei ſemper pulſas, & quoties tibi aperio, intras & mecum cœnas. Tu denique in corde meo per fidem & gratiam dignanter inhabitas. O quantum bonum in te habeo! O quàm dignum & ſalutare, quàm deſiderandum & iucundum eſt te ſic præſentem habere! Certè ſi oporteret me maria 1.

transfretare,aut quemlibet laborem assumere;vt te,si absens esses,præsentem possem inuenire & alloqui : meritò deberem ista omnia libenter & feruenter suscipere & perpeti. Quantùm ergo gaudere debeo, tibique gratias agere: quod sic te mihi intimè, insuperabiliterque coniunxeris, vt vbicumque locorum, & quocumque voluero tempore, & quoties mihi placuerit, inueniam te mihi præsentissimum:nec solum præsentissimum,sed etiam intentissimum?

Tu enim mihi intendis; tu me vides: tu me audis;tu sic singulariter & distinctè omnes meas cogitationes, affectiones, locutiones, actiones & passiones, omniaque interiora & exteriora mea consideras, attendis, ponderas & discutis: ac si cæterorum oblitus, mihi soli intenderes,meique solius curam haberes. Tu omnes meas necessitates, tentationes & pericula, infirmitates & miserias clarissimè agnoscis & attendis. Tu es renum meorum testis, & cordis mei verus scrutator, ac linguæ meæ auditor. Et, quod est præcipuum, tu es mei amantissimus, tu es beneuolentissimus; tu es promptissimus ac paratissimus ad mihi succurrendum & auxiliandum in omnibus, semper & vbique: si tamen quod in me est facere non neglexero. Tu ad modicum gemitum vel desiderium cordis mei,te inclinas. Tu quamlibet aspirationem vel orationem meam ad te fusam, benignè acceptas:abundè remuneras; eamque si, & quando expedit, imples & perficis: imò etiam, tu abundantia pietatis tuæ, merita supplicum excedis & vota.Deni-

que tu ſolus potes, ſcis & vis mihi in omnibus ſuccurrere & auxiliari. Tu enim ſolus es potentiſsimus, ſapientiſsimus & mei amãtiſſimus.

O quantùm debeo te mihi præſentiſsimum, ſemper & vbique præſentem cogitare, reuereri & adorare! Quàm reuerenter, humiliter & maturè in tua præſentia ſemper & vbique ſtare, ambulare, & quieſcere debeo! Quàm ſolicitè conuenit me ab omni tua offenſa, etiã minima præcauere. Quàm vigilanter debeo tibi intendere, & quid à me omni tempore exigas inquirere, audire, & addiſcere! Quàm promptè, amanter & viriliter debeo tuam in omnibus implere voluntatem! 1.

Quàm fiducialiter poſſum in omni neceſſitate mea confugere ad te, mihi ſemper & vbique ſic præſentiſsimum, intentiſsimum & promptiſſimum! Quàm confidenter debeo te pro omni re ſalutari, inuocare: qui ſic potes, ſcis & vis me ſalubriter exaudire.

Verè dignum & iuſtum eſt, æquum & ſalutare, me ſemper & vbique te præſentem ſentire, reuereri & adorare: tuam offenſam ſolicitè præcauere, tibi intendere, & quid à me omni tempore exigas vigilanter audire, tibiq́ue promptiſsimè obedire. Denique fiducialiter ad te in omni neceſsitate confugere, teq́ue confidenter inuocare. 2.

Sed quando iſta implebo? quando te præſentem ſemper ſentiam? quando in tua præſentia ſemper & vbique reuerenter aſtabo? quãdo ab omni tua offenſa perfectè præcauebo? quando quid à me exigas iugiter intus 3.

audiam

audiam & intelligam? quando promptissimè & fidelissimè tibi obediam? quando ad te fiducialiter semper confugiam & confidenter inuocabo?

4. O quàm longè sum ab hac perfectione! quàm rarò te præsentem sentio! quàm parùm reuerenter coram te ambulo! quàm parùm solicitè offensam tuam præcaueo! quàm negligenter quid à me exigas audio! quàm tepidè tuis inspirationibus & consilijs obedio! imo quoties, quàmque impudenter tibi sum inobediens, infidelis & rebellis! quàm parùm fiducialiter te inuoco!

5. Quis miserebitur mei? quis alius præter te, quem offendi? qui etiam me à te auersum, multipliciter reuocas: qui postquam cum multis amatoribus abs te sum fornicatus, ad te reuertentem me suscipere non dedignaris: qui prodigo filio tuo ad te redeunti misericorditer occurris, ipsumque amplecteris, oscularis, induis, & reficis.

6. Eya ergo me ad te reuertentem benignè suscipe; & à præteritis peccatis & offensis perfectè abluens & sanans, redde mihi gratiam & lætitiam salutaris tui. Perfice in me ea quæ mihi desunt: & quod dedisti desiderare & petere, da etiam citiùs obtinere.

7. Da ergo, & sicut potes, scis & vis fac, vt amore tuo inflammatus te semper & vbique præsentem sentiam, te reuerear, te timeam, tibique intendam, te consulam & audiam, tibique obediam.

8. Quod de mea voluntate, industria, & virtute prorsus diffidens, sed in tua pietate, liberalissima voluntate & potenti virtute plenè

confidens: facere & implere propono: ad tuam gloriam & omnium ſalutem: veramque Eccleſiæ reformationem & pacem; Amē IESV ſuperamandiſsime & ſupercolendiſſime: intercedente B. Maria matre tua & omnibus Angelis ac Sanctis tuis.

Nota diligenter hanc formulam orandi: qua non ſolùm hîc, ſed etiam quoties pro aliqua virtute aut gratia impetranda, inſtantiùs orare volueris: fructuoſiſſimè vti poteris. Eſt enim efficax ad impetrandum & deuota. Continet autem ſeptem articulos per hæc verba diſtinctos.

1 O quantùm debeo hoc facere!
2 Verè dignum eſt, iuſtum eſt vt ita faciam.
3 Sed quando iſtud implebo?
4 O quàm longè ſum ab hac perfectione!
5 Quis miſerebitur mei?
6 Eya ergo ſuſcipe me.
7 Da igitur.
8. Quod in te confidens propono.

CAPITVLVM QVINTVMDECIMVM, CONTINENS

nens exercitia pro abnegatione ſui,& baiulatione crucis. Et primò ponitur generale exercitiũ, pro vtroque. Deinde pro abnegatione ſui. Et poſtea pro baiulatione crucis ſigillatim peculiaria habentur exercitia. Nota autẽ diligenter hoc generale exercitium, in quo primò ponuntur fructus qui nos excitare debent ad abnegandum nos,& tollendam crucem noſtram. Deinde media ſeu adiutoria, quibus ad hoc iuuemur & confortemur. Tertiò modus abnegandi nos & tollendi crucem generaliter.

¶ Exercitium generale.

1. *Hi ſunt fructus ex abnegatione ſui & baiulatione crucis prouenientes.*

SVPERAMANDISSIME & ſupercolendiſsimd IESV, tui amore multùm deſidero (aut certè concupiuit anima mea deſiderare vehementer, efficaciter & iugiter) facere quod vis, gratumq́ue tibi obſequium prout es ſuperdigniſsimus præſtare. Et ſicut vis

2. Conformari tibi pro nobis paſſo &

crucifixo, qua re nihil poteſt eſſe digniùs & honorabiliùs.

3 Caſtigare & punire peccata mea, quod eſt iuſtiſsimum.

4 Mortificare amorem priuatum cum ſuis vitijs & concupiſcentijs; quod eſt ad ſalutem prorſus neceſſarium.

5 Proficere in amore tuo, & virtutum exercitio.

6 Renouare & applicare nobis fructum tuarum paſsionum.

7 Sicque tecum & per te honorare Patrẽ tuum, quem contempſimus.

8 Auertere iram eius, quam prouocauimus & meruimus.

9. Gratiam eius & amicitiam, quam perdidimus, recuperare: & impetrare nobis & quibus volueris.

1 Illuminationem, contra vitioſam ignorantiam.

2 Iuſtificationem, contra malitiam & affectum mali.

3 Sanctificationem, contra concupiſcentiam terrenorum.

4 Liberationem à captiuitate, diaboli & peccati.

5 Confortationem ad reſiſtendum tentationibus: ad tolerandum dura, & operandum bona tibi placita.

6 Redemptionem à pœnis dãnoſis præſentis vitæ & futuræ.

7 Tuæ diuinitatis ſecuram tentionem & adorationem.

8 Claram viſionem & laudem continuam.

9. Fruitionem beatificam & vnionem inseparabilem.

Ad tuam & Sanctorum tuorum gloriã,& omnium salutem,veramque totius Ecclesiæ reformationem & pacem.

2. Et quia hæc omnia facio & impetro, quãdo (sicut consulis venire post te volentibus) meipsum abnego, & crucem meam baiulo: ideò prædictorum omnium (qui sunt fructus ex vera abnegatione & crucis tolerantia prouenientes: quos etiam à nobis exigis & gratanter acceptas) horum inquam omnium desiderio & intentione, concupisco, eligo & volo meipsum propter te, & secundùm te abnegare: crucemque meam post te tollere. Sed quia sine tua gratia nihil possum ideò de me prorsus diffidens, te confidenter obsecro, vt per

3. *Hæc sunt media & adiutoria abnegãdi nos & crucẽ tollendi.*

Per
1 Tui amoris virtutẽ & feruorem:
2 Tuæ imitationis & conformitatis desiderium:
3 Zelum iustitiæ & virtutis:
4 Tuæ vitæ & passionis exemplum & meritum:
5 Corporis & sanguinis tui sacramentum & sacrificium:
6 Spiritus tui septiforme donum:
7. Angelicum ministerium:
8 Beatissimæ matris tuæ & omnium Sanctorum suffragium & exemplum:
9. Omniumque electorum tuorum, qui in hoc mundo sunt adiutorium.

Per hæc inquam omnia sacra media &

auxilia fortissima, obsecro te, vt me excites; dirigas & confortes, ad hoc quod velim, sciam & possim veraciter & perfectè, propter te, secundùm te, per te, & tecum, meipsum semper & vbique abnegare & crucem meam tollere: in vnione tuæ perfectissimæ abnegationis, & crucis quam iugiter in hac vita pro nobis tulisti.

4. *Abnegatio propri sensus.*

Da igitur in primis, vt abnegem proprium sensum & iudicium meum: quod scilicet non est conforme tuo vel eorum qui erga me tuas vices gerunt, patrum & superiorum iudicio. Et fac vt non quod mihi rectum & bonum videtur, sed quod tu & mei superiores iudicaueritis, eligam & bonum esse credam, proprium sensum relinquens & in obsequium fidei & simplicis obedientiæ humiliter illum captiuans & abnegans.

5. *Abnegatio propria voluntatis.*

Da insuper vt propriam voluntatem meam (quâ aliquid non propter te, nec secundùm te volo) & sensualitatem meam, quæ aduersus spiritum concupiscit: ac priuatum amorem, quo mihi non propter te, nec secundùm te, commoda aliqua expecto & quæro, odio habeam, tanquam hostem meæ salutis pessimum, omnisque peccati & mali in me radicem & causam præcipuam.

6. *Modus abnegandi seipsum & vana oblectamenta.*

METVAM & solicitè præcaueam ne hanc propriam voluntatem & sensualitatem sequar, & ex eius impulsu aliquid operer vel dimittam. Quin potius quicquid illa suggerit & gratum habet (qualia sunt huius sæculi honores, diuitiæ & voluptates superfluæ, id omne quatenus tale, hoc est, quatenus à

propria voluntate quæritur, meæque sensualitati gratum est:

1 REPVTEM malum & mihi nociuum. Ac propterea,

2 Illud ODIO HABEAM & horream:

3 METVAM & fugiam.

4 Vltróque oblatum RECVSEM & abiiciam:

5 Et si contigerit id me quæsisse vel acceptasse, inde DOLEAM:

6 IRASCAR & vlcisci illud appetam:

7 Tuæ passionis satisfactionem pro eo OFFERAM:

8 Et zelo iustitiæ discretam pœnam in huius vltionem voluntariè in vnione passionis tuæ ASSVMAM.

9. Propositum contra illud RENOVEM.

Quod si propter te tuúmque honorem & beneplacitum oportuerit me aliquid recipere vel assumere quod propriæ voluntati & sensualitati gratum & iucundum fuerit (qualia sunt necessaria & spirituali profectui accommoda corporis & animæ oblectamenta & fomenta, cibi, somni, quietis, & similium) Da vt priusquam illud sumam vel acceptem: studeam inclinare rationalem voluntatem meam, ad illud eatenus recusandum, quatenus propriæ voluntati, hosti pessimo, gratum est: & offeram me paratum ad carendum eo libenter: nisi tu velles hoc à me sumi. Nunquam ergo tale aliquid sumam propter delectationem: seu quia propriæ voluntati seu sensualitati gratum est: sed duntaxat

propter te, & secundùm te, hoc est, quia vis, & eo modo ac mensura quibus vis vt illud sumam.

Da insuper (superamandissime IESV) vt quia vis & sicut vis, ad assequendos fructus crucis prædictos, & per media & adiutoria supra expressa: quicquid propriæ voluntati & sensualitati, pessimo meæ salutis hosti, durum & graue est: illud quatenus tale. 7. *Modus tollendi crucé voluntarié assumendam.*

1 IVDICEM esse BONVM & vtilissimum mihi, ex cuius nimirum patienti tolerãtia prædictos fructus crucis assequi possum.

2 AMEM & desiderem illud feruenter.

3 POSTVLEM à te gratiam tale aliquid patiendi.

4 ELIGAM, quod cum tuo vel alicuius te timentis, aut directoris mei consilio putauero me posse discretè sufferre ad tui honorem.

5 VIRILITER ASSVMAM quod te inspirante aut consulente elegero.

6 Et illud donec aliter consulueris vel disposueris.

7 Tolerem FIDELITER, credens tibi gratum esse vt hoc patiar.

8 CONFIDENTER, sperans nihil incommodi ex hoc mihi euenturum.

9 FORTITER, patiendo pœnam & difficultatem illius.

10. ET STABILITER nulla leuitate aut impatientia illud deserens aut abiiciens, donec tu aliter consulueris. 8.

Quoties autem aliquid tale, durum & graue propriæ voluntati & sensualitati, non *Modus tollendi.*

crucem ab alio inflictam mea electione, sed aliundè, à te vel aliqua creatura mihi euenerit aut illatum fuerit: Da vt illud semper

1 SVSCIPIAM de manu & ordinatione tuæ prouidentiæ plusquam paternæ, cum laude eiusdem:

2 GRATIAS agam pro amore quo illud misisti:

3 AMPLECTAR illud tamquam rem à me diu desideratam & postulatam:

4. Tanquam medicinam à te mihi ordinatam:

5 Tanquam pignus tui amoris erga me certissimum:

6 Velut occasionem maximi lucri spiritualis:

7 Nec vnquam ab hoc liberari petam aut procurem:

8 Nisi prius sic illud cum laude & gaudio de manu tua suscepero:

9 Et nisi propter te & secundùm te putauero quærendam esse liberationem ab eo:

10. Sed illud quandiù durauerit, tolerem in vnione tuarum passionum.

1 CVM iugi laude & gratiarum actione:

2 Cum profunda humilitate & perfecta mei ipsius abnegatione:

3 Cum feruenti obsecratione, confidentia & resignatione:

4 Cum charitate & gaudio:

5 Cum pace & patientia:

6 Cum longanimitate & mansuetudine:

7 Cum bonitate & benignitate:

8 Cum fide & modestia:

9 Cum continentia & castitate:

10 Cum

10 Cum innocentia & ſecuritate:
11 Cum prudentia cordis & oris ſapientia:
12. Cum ſimplicitate & perſeuerantia.

Sic vt per ſingula momenta poſsim fructum illum percipere ad quem illud ordinaueris, & quem tuis paſsionibus nobis promeruiſti. Sic

1 Vt gratum tibi obſequium præſtem,
2 Tibi conformer,
3 Caſtigem peccata mea,
4 Mortificem amorem priuatum & vitia,
5 Proficiam in tuo amore & virtutibus,
6 Communicem tuis paſsionibus: ſicque tecum
7 Honorem Patrem tuum,
8 Auertam iram eius,
9. Gratiam eius recuperem,

Et impetrem mihi & alijs

1 Illuminationem,
2 Iuſtificationem,
3 Sanctificationem,
4 Liberationem,
5 Confortationem,
6 Redemptionem,
7 Tuæ diuinitatis tentionem ſecuram,
8 Viſionem claram,
9 Fruitionem,
10 Et vnionem.

Ad tuam & ſanctorum gloriam, meamque & omnium ſalutem, & Eccleſiæ veram reformationem & pacem.

Quod ſi putauero propter te abſtinendum eſſe ab aliquo propriæ voluntati duro, aut quærendam ab eo liberatione: da vt nihilo-

minus offeram tibi desiderium & voluntatem id sumendi & tolerandi, quatenus mihi graue est: nisi tu velles me ab eo abstinere, vel liberari.

Da etiam vt sæpius in die quum licuerit, hoc meum propositum meipsum abnegandi & crucem ferendi, coram te obsecrando renouem & actuem.

Da insuper vt vigilanter ac solicitè aduertam circa infinita desideria quæ singulis fere horis solent occurrere:& antequam aliquod eorum compleam, attendam & videam, an tu velis me illud implere. Quod si non videro te velle vt hoc impleam: statim illud viriliter abiiciam & relinquam. Si verò aduerter id tibi placere, da vt illud sequar, non propter propriam delectationem aut commoditatem: sed purè propter tuum beneplacitum, cum firmo proposito illud omittendi, si non putarem tibi placere.

10. ¶ *Renouatio propositi circa abnegationem & Crucis amplexum sæpius repetenda.*

BONE IESV quia vis & sicut vis, volo & propter te ac per gratiam tuam propono, viriliter fugere, abiicere & relinquere omnem prosperitatem & delectationem, non putauero te velle vt sumam: nullámque omnino quærere aut voluntariè acceptare, nisi quam putauero tibi placere vt acceptem vel sumam.

Volo etiam omnem crucem amare, quærere & cum gaudio assumere, quam putaue-

ro tibi placere, vt aſſumam vel acceptem: hoc eſt quancunque conſulueris, aut immiſeris, vel ſuper me aliunde venire permiſeris: nullámque prorſus recuſare aut abiicere crucem & aduerſitatem, niſi quam putauero tibi placere vt recuſem vel abiiciam.

¶ *Breuiùs ſic poteris hoc propoſitum renouare.*

BOne IESV, quia vis & ſicut vis, volo & per te propono proſperitatem & delectationem omnem fugere & recuſare (niſi quam volueris me aſſumere) & crucem atque auſteritatem omnem amplecti, niſi quam volueris me refugere vel abiicere.

CAPITVLVM SEXTVMDECIMVM, CONTINENS peculiaria exercitia pro abnegatione delectabilium.

¶ *Quoties occurret tibi cupiditas alicuius delectationis non neceſſariæ, ſic te abnega.* 1.

SVPERAMANDISSIME IESV, libenter ſecundùm propriam voluntatem, hanc delectationem ſumerem: ſed quia non video te velle vt illam ſumam, ideo

meipſum propter te abnegans, volo ab ea abſtinere: in vnione tuarum abſtinentiarum: vt ſic faciam quod tibi gratum eſt, & ſicut vis conformer tibi, caſtigem peccata mea, mortificem priuatum amorem, proficiam in amore tuo, & communicans tuis abſtinentijs, earum fructum renouem & applicem ad tuam gloriam & omnium ſalutem, Eccleſiæque reformationem & pacem.

2. *Si delectatio occurrens videatur tibi vtilis pro confortando corpore tuo, vel ſpiritu in Dei ſeruitio: & tamen ab ea debeas abſtinere propter debitum tui ſtatus: aut conſilium tibi à ſuperiore datum: vel propoſitum cum Deo maturè factum: dic,*

Superamandiſsime IESV, hæc quidem delectatio poſſet me in tuo ſeruitio confortare, & libenter ſecundùm propriam voluntatem eam acciperem. Verùm quia non in ſolo pane viuit homo, ſed etiam in omni verbo quod de ore tuo procedit. Et tu vis aut conſulis vt ab ea abſtineam: ideò in vnione tuarum abſtinentiarum meipſum abnegans, ab ea propter te abſtineo: & confido quod tu meliùs me confortabis, ab ea propter verbum tuum & voluntatem abſtinendo: quam ſi præter aut contra voluntatem tuam ea vterer.

3. *Quando ſumere vis aliquam delectationem neceſſariam vel vtilem, puta cibi, ſomni & ſimilium: præmitte quod ſequitur, cùm licuerit.*

Superamandissime & omni obsequio superdignissime IESV: concupiuit anima mea desiderare vehementer, efficaciter &

1 Iugiter tibi propter te gratum obsequium præstare.

2 Et sicut vis conformari tuis abstinentijs & passionibus.

3 Punire peccata mea.

4 Mortificare priuatum amorem cum suis vitijs.

5 Proficere in amore tuo & virtutibus.

6 Renouare & applicare fructum tuæ passionis.

7 Sicque patrem tuum honorare.

8 Iram eius auertere.

9 Gratiam ipsius recuperare.

10 Communicare sanctorum tuorum abstinentijs, & passionibus: Et impetrare mihi & alijs.

1 Illuminationem.

2 Iustificationem.

3 Sanctificationem.

4 Liberationem.

5 Confirmationem.

6 Redemptionem.

7 Tuæ diuinitatis securam tentionem & adorationem.

8 Claram visionem & laudem.

9 Beatificamque vnionem & fruitionem.

Ad tuam & sanctorum tuorum laudem, meamque & omnium salutem, veramque Ecclesiæ tuæ, & regni, domus & ordinis nostri reformationem & pacem.

Et quia ista omnia (quæ tibi sunt gratissima) facio & impetro, quando propter te,

ſcrete abſtineo à delectationibus,& quæ dura ſunt amplector: ideo prædictorũ omnium deſiderio,libenter ab hac & omni alia re delectabili propter te abſtinerem,& quamlibet auſteritatem & crucem aſſumerem. Sed quia tu vis,aut certè arbitror tibi magis placere, vt hanc delectationem nunc ſumam: quatenus per eam in tuo ſeruitio confortet: ideo propter te omne aliud deſiderium meum abnegans, illam volo ſumere, non propter delectationem.

1 Sed PROPTER TE,id eſt bui a vis.

2 Et SECVNDVM TE, hoc eſt iuxta modum & menſuram tibi placitam.

3 Et PER TE, de tua manu & prouidntia paterna.

4 Et TECVM, in tua præſentia manens tibique intendens.

5 HVMILIS, indignum me illa reputans.

6 OBEDIENS tuæ voluntati.

7 MISERANS & impendens miſericordiæ opus meæ infirmitati tamquam vni & tuis minimis.

8 GRATIAS AGENS pro tua pluſquam paterna largitate qua hæc & alia commoda nobis abundè & conuenienter prouides & donas.

9 Et pro charitate qua eadem commoda in te ſanctificaſti: quando eis in aſſumpta humanitate propter nos vti voluiſti.

10 Et pro gratia,quam dediſti ſanctis tuis vt eiſdem ſobriè & meritoriè vterentur.

1 Veruntamen conſideras tuam & ſanctorum tuorum in his commodis parcitatem,

auſteritatem, diſcretionem & deuotionem:

2 Et meam indignitatem, abundantiam & ſuperfluitatem, delectationẽ & lautitiem, indiſcretionem, & indeuotionem, & multa mala ex his ſequentia, deſideranter (& vtinam verè & efficaciter.

3 ERVBESCO de mea à te & ſanctis tuis diſtantia, & diſſimilitudine: & multiplici culpa & exceſſu in his ſumendis.

4 TIMEO ne rurſus te offendam in horum ſumptione: & ne ſicut in his ſum tibi diſſimilis: ſic à tua gloria & cõſortio ſim alienus.

5 DOLEO quòd te offendi, tibi diſſimilis fui.

6 ESVRIO peccata mea punire, tibiq́ue conformari.

7 OFFERO tibi ad hoc meritum tuarum abſtinentiarum & paſſionum.

8 Et in earum vnione RESIGNO me ad quancunque conſulueris, aut immiſeris, vel ſuper me venire volueris, delectabilium ſubſtractionem & abſtinentiã, & crucem quamlibet.

9 OBSECRANS te vt imperfectum meum videant & ſuppleant oculi tui.

10 Et ſicut vis, ſcis, & potes, ad perfectiores abſtinentias & auſteritates me EXCITES & promoueas:

Et interim hanc quam nunc propter te ſumere intendo commoditatem, vnicus acceptes, benedicas: & per eam me in tuo ſeruitio confortes: & in ea ſumenda cæteriſq́ue alijs commoditatibus, præſerues me ab omni ſuperfluitate, nimia Lautitie, & inordinata delectatione & adhæſione:

ab indiſcretione & indeuotione:ſic vt poſſim in his commodis vti,ad tuam & ſanctorum gloriam:meamq́ue,& omnium ſalutem,veramq́ue Eccleſiæ, & regni, huius domus, & ordinis reformationem & pacem.

4. *Ante refectionem cibi poteris addere quod ſequitur.*

Quod vt fiat, Da obſecro,vt ſicut vis, cibum nunc ſumam reuerenter, maturè, cum ſpirituali attentione, cum diſcreta parcitate,& auſteritate, cum compaſſione & pietate erga pauperes, cum abſtractione & deuotione:iuxta menſuram tibi placitam, & meæ ſaluti congruam.

5. *Ante ſomnum verò adde quod ſequitur.*

Quod vt fiat,præſerua me ab omni inquinamento, periculo, & inquietudine corporis & animæ,foue me neceſſario, quieto, & ſobrio ſomno. Fac vt oculis ſomnum capientibus,cor ad te ſemper vigilet:teq́ue laudet: & quicquid minus in hoc egero, tu per cor tuum ſupplere digneris.Excita etiam me tempore opportuno: & adiuua vt excitatus hora conſtituta, tam promptè & alacriter exurgam ad tuas laudes & obſequia:ſicut facerem ſi à te, vel ſuperiore meo viſibiliter excitarer & vocarer: Amen per ſuauiſsimum ſpiritum tuum, & angelicum miniſterium, propter nomen tuum,quod nunc & in æternum ſit benedictum, & cordibus noſtris impreſſum. O Mater Dei, ô Angele mi cu-

ſtos, ô patroni mei, ô ſancti huius diei, & omnes beati orate pro me, in tutelam ac cuſtodiam veſtram me nunc & in hora mortis ſuſcipite.

Exercitium prædictum ante ſumptionem rei delectabilius, ſic poteris breuiùs comprehendere. 6.

Superamandiſsime IESV, libenter ab hac re delectabili abſtinerem, vt ſicut vis tibi & ſanctis tuis conformarẽ: peccata mea punirem, ſenſualitatem mortificarem, & in patientiæ & abſtinentiæ virtute proficerem; cęteroſque abnegationis fructus aſſequerer. Sed quia tu vis vt illam nunc ſumam, ideò abnegans hoc meum deſiderium, volo & per gratiam tuam propono illam ſumere, non propter delectationem quæ in ea eſt: ſed propter te, tuæque voluntatis impletionem, SECVNDVM te, per te, & tecum: humilis & obediens, miſerans, gratiaſque agens tibi: & nihilominus erubeſcens, timens, dolens, eſuriens, reſignans, & obſecrans vt imperfectum meum ſuppleas, & ad perfectiora ſicut vis & quando vis me promoueas: ac interim hanc commoditatem quam propter te ſumere intendo, vnias, acceptes, benedicas, & per eam me in tuo ſeruitio confortes: ad tuam & ſanctorum gloriam: meamque & omnium ſalutem, ac Eccleſiæ pacem & reformationem.

Quando

Quando non tibi vacat tam prolixè orare, dic,

Bone IESV, nisi putarem te velle vt hanc delectationem nunc ſumerem, libenter propter tui amorem & conformitatem, zelumque iuſtitiæ, vellem ab ea abſtinere: ſed quia tibi puto placere vt eam ſumam, id volo, & per gratiam tuam propono illam ſumere purè propter te, ſecundùm te, & tecum in vnione tuarum refectionum & commoditatum, ad tuam gloriam & omnium ſalutem.

Vel ſic.

Bone IESV delectationem hanc quatenus meæ ſenſualitati & propriæ voluntati, peſſimo meo hoſti arridet, odi, deteſtor: & libenter propter te ab ea abſtinerem, vt abnegationis veræ fructus, ſicut vis, aſſequerer: ſed quia arbitror te velle, vt eam ſumam, ideo propter te & ſecundùm te illam ſumere volo, ad tuam laudem & omnium ſalutem.

Vel adhuc breuiùs.

B. IESV quia tu vis vt hoc ſumam: ideo purè propter te & ſecundùm te volo illud ſumere: reſignans me ad carendum eo quoties & quomodocunque volueris.

Quando prosperitas aliqua tua sensualitati & voluntati grata tibi offertur aut euenit, dic,

Superamandissime IESV hanc prosperitatem, quatenus meæ sensualitati pessimo meæ salutis hosti arridet, odi, detestor, & cum auersione ac dolore suscipio: deflens quod interim non conformor tibi pro me passo; nec peccata mea punio, nec cæteros fructus abnegationis & aduersitatis consequor: propter quos, sicut vis, libenter præeligerem hac & cæteris prosperitatibus carere. Veruntamen quatenus ista prosperitas me ad seruiendum tibi confortat & adiuuat: eatenus eam de paterna benignitate tua gratus suscipio: gaudens non de ipsa prosperitate in se & præcipuè: sed de eo quod per illam adiuuor ad tibi seruiendum: sicut gauderem si alteri propter te illa offerretur, obsecrans te vt sobriè illa vtar propter te & secundùm te, ad tuam laudem & omnium salutem, Ecclesiæque reformationem & pacem.

Quando honor aut fauor tibi offertur, dic,

Bone IESV indignissimum me agnosco omni honore & fauore, dignissimum potiùs confusione & pœna, vndè honorem hunc, cum erubescentia & aliquo dolore suscipio:

quatenus

quatenus meæ ſenſualitati arridet, & à fructibus humiliationis & crucis me impedit: veruntamen quatenus hic honor propter te mihi impenditur, & ad honorem tuum cedit & refertur:eatenus inde gaudeo, & gratias tibi ago:ſicut gauderem ſi alteri propter te impenderetur. Tibi igitur, non mihi hunc honorem impenſum arbitror & gaudeo: nihilque mihi prorſus inde arrogo aut attribuo: cùm ſatis ſciam me omni confuſione dignisſimum: ad quam etiam quoties volueris me reſigno.

Vel dic,

Bone IESV tibi ſoli omnis honor & gloria debetur; hunc igitur honorem qui mihi offertur, in te prorſus refundo & ad te ſemper integrè referri opto & ſupplico: mihi enim nihil debetur niſi confuſio & cruciatus: quem etiam, propter tui amorem, zelumque iuſtitiæ præeligo, deſidero: & quoties euenerit, cum gaudio ſuſcipere volo & in te propono, Adiuua & perfice Domine hoc propoſitum meũ ſicut potes ſcis & vis ad gloriam tuam.

CAPITVLVM SEPTIMVMDECIMVM. CONTINENS exercitia peculiaria pro acceptanda & libenter toleranda qualibet cruce & tribulatione.

Qvando voluntariè vis assumere: aut aliunde tibi occurrit crux aliqua, seu affectio tua sensualitati & voluntati multùm dura & grauis, dic, I.

Superamandissime IESV, multùm desidero tui amore quod tibi gratum est facere: & sicut vis, tuis & Sanctorum tuorum afflictionibus communicare & conformari, peccata mea punire, amorem priuatum mortificare, in amore tuo proficere: & cæteros fructus tuæ passionis renouare, & mihi tuisque omnibus applicare. Et quia hæc omnia facio quando tui amore crucem aliquam discretè eligo & amplector: aut occurrentem aliunde, cum gaudio suscipio. Ideò tui amore, & horum omnium (quæ tibi sunt gratissima) desidero, volo, & per gratiã tuam propono hanc crucem vel austeritatẽ cum gaudio spiritus, propter te, secundùm te, per te & tecum suscipere: & quandiu volueris tolerare, in vnione tuarum passionum: ad tuam & Sanctorum gloriam, meamque Ecclesiæ & regni, huius domus & ordinis reformationem & pacem.

Aut breuiùs dic,

BONE IESV crucem hanc, quia vis, &

ſicut vis;tui amore & fructuum tuæ crucis deſiderio,libenter & cum gaudio ſpiritus aſſumo,in vnione tuarum paſſionum, ad tuam & Sanctorum laudem,meamque & omnium ſalutem ac Eccleſiæ pacem.

2. *Si ſuggeratur menti tuæ vt crucem aliquam voluntariè aſſumas, & animaduerteris non tibi expedire neque Deum velle vt eam aſſumas, dic,*

Superamandiſſime IESV, libenter propter te hanc crucem aſſumerem, vt tibi & ſanctis conformarer, peccata mea punirem, & cæteros crucis tuæ fructus conſequerer, ſed quia arbitror tibi non placere vt eam aſſumam, ideo propter te ſolum ab ea abſtineo; dolens quod non licet aut non poſſum crucem poſt te ferre. Et reſignans me ad illam quotieſcumque volueris ferendam. Obſecrans vt imperfectum meum ſuppleas; & ad maiora propter te patienda quando volueris, & ſicut volueris, me confortes & excites.

Aut ſic breuiùs.

BONE IESV,libenter tui amore & fructuum tuæ crucis deſiderio,crucem ſanè amplectèrer: ſed quia id non vis:ideo propter te ab ea abſtineo : reſignans & offerens me ad eam & aliam quancumque quoties volueris ferendam.

3. *Quando infirmitas aliqua aut alia tribulatio tibi accidit, cuius cauſam aliam præter Dei voluntatem non cognoſcis,dic;*

Super

Superamandiſſime IESV crucem hanc immediatè de tua paterna prouidentia ſuſcipio; tanquam ſalutarem medicinam à te pijſſimo medico mihi miſſam; & tanquam pignus tui amoris erga me certiſſimum: occaſionemque maximi lucri ſpiritualis. Et quandiu durauerit, volo & propono illam propter te, ſecundùm te, per te, & tecum tolerare: cum multo ſpirituali gaudio tibi gratias agendo pro tuæ voluntatis circa me impletione: & pro omni bono ad quod crucem iſtam præordinaſti: maximè pro conformitate & communicatione tuarum paſſionum & fructuum ex eis prouenientium: & pro pia peccatorum meorum caſtigatione, tuique amoris probatione & exercitatione.

Si putas talem crucem te impedire à profectu vel debito ſeruitio, adde quod ſequitur.

Veruntamen quatenus hæc crux videtur me impedire à tuo ſeruitio & debitis ſtatus mei: eatenus obſecro, vt, ſi vis, & ſicut potes, ſcis & vis, eam à me transferas: aut ſi non vis transferre, illam tuis paſſionibus adiungens me confortes, conformes, protegas, dirigas, ſuppleas, offeras, & referas: meque totum plenè poſſideas & tibi vnias, Amen.

Item quando contingunt tibi damna rerum temporalium, mortes amicorum & neceſſariorum, aut diffamationes, perſecutiones & cruces aliæ, dic,

Superamandiſſime Domine & ſuperpijſſime medice: hæc damna & cruces iſtas de

manu & ordinatione tuæ plusquam paternæ prouidentiæ & benignitatis suscipio: certò credens & confidens hæc à te medico sapientissimo & saluatore benignissimo, esse electa, ordinata & administrata pro meo bono multiplici: si tibi per amorem adhærere voluero. Ac propterea propono, per gratiam tuam, illa (pro tui amore & sicut vis) quandiu durauerit amplecti cum laude & gratiarum actione: & cum magna complacentia, spiritualique gaudio ea tolerare: multò ampliùs quàm si ista voluntariè propter te assumpsissem ad agendam pœnitentiam. Sic enim facio de necessitate virtutem: & pro certo talia sic de manu tua cum gaudio suscepta & tolerata, erunt mihi magis meritoria, quàm si hæc, vel illis æqualia propter te sponte assumpsissem. In his enim est maior mortificatio propriæ voluntatis, & vanæ gloriæ minus periculum. Propono igitur ista quandiu durauerint, cum gaudio tolerare: nec petere aut procurare vt ab his liberer: nisi quatenus videro te velle, & cedere ad tuam gloriam, meamque vel proximorum salutem, vt liberiùs tibi seruiamus, & honor tuus augeatur. Adiuua, conforta & perfice (pijssime Domine) hoc propositum meum: quoniam sine te nihil possum.

5\. *Quando ex propria culpa te putas aliquam infirmitatem aut tribulationem incurrisse, dic,*

Superamandissime IESV, doleo quòd te offenderim, & causam culpabilem huic meæ infirmitati dederim, meque ad seruien-

dum tibi, & debita ſtatus mei perficienda, ineptum & impotentem reddiderim. Propono per gratiam tuam ab huiuſmodi culpa & offenſa de cætero ſolicitè præcauere. Obſecro vt mihi ignoſcas, pro me ſatisfacias: meque corrigas, ſanes, præſerues, & iuſtifices, hanc autem infirmitatem (quatenus pœna eſt meæ ſenſualitati & voluntati dura & cõtraria) de paterna tua prouidentia & diſpoſitione, in bonum meum ordinatam credo: & cum gratitudine ac gaudio illam quandiu durauerit, propter te, & per tuam gratiam tolerare volo & propono: cum gaudio gratias tibi agens, pro tuæ voluntatis circa me impletione, peccatorum meorum paterna caſtigatione, & cæteris fructibus crucis. Veruntamen quatenus hæc infirmitas me impedit à tuo ſeruitio & debitis ſtatus mei: eatenus obſecro te, vt ſicut vis, ſcis, & potes ab ea me liberes: & dones mihi propter te, & ſecundùm te remedia ad eius curationem & liberationem congrua & tibi placita quærere, & de manu tua ſuſcipere: cum plena reſignatione in tuum beneplacitum, ſiue ad infirmitatem ſiue ad ſalutem.

Quando iniuria aut tribulatio aliqua tibi à proximo infertur, ſi non ſis conſcius te iuſtam ad hoc ei occaſionem dediſſe, dic.

Superamandiſſime IESV: etſi non ſum mihi conſcius quod huic famulo tuo iuſtam dederim occaſionem, hanc mihi iniuriam inferendi: ſcio tamen & confiteor, quia propter innumera peccata mea omni confu-

ſione & pœna ſum digniſſimus. Vnde etiam reputo nullam mihi in hoc iniuriam fieri:ſed potius iuſtitiam. Propterea laudo paternam tuam prouidentiam ac charitatem, quæ fortaſſe iuſſit, aut certè permiſit, huic famulo tuo, mihi crucem hanc inferre, in purgationem mearum contra te offenſarum. Et ex hac paterna tua ordinatione crucem hanc immediatè lætus ſuſcipio; eamque quandiu durauerit, volo & per gratiam tuam propono propter te & tecum tolerare:ſemper gratias tibi agens pro tuæ voluntatis circa me impletione: pro peccatorum meorum pia caſtigatione:amoriſque priuati mortificatione:& pro conformitate & communicatione paſsionum tuarum & fructuum tuæ crucis. Veruntamen quatenus is qui iniuriam hanc ſine cauſa mihi intulit, teipſum offendit, & ſe læſit; eatenus doleo de tua offenſa: compatior eius malo & damno: & offero me ad faciendum & patiendum quicquid volueris pro reparanda tua offenſa:& pro proximi emendatione & iuſtificatione. Obſecrans te vt dones mihi ſcire, velle & poſſe præſtare quicquid ad hoc fuerit vtilius. Fac etiam vt hunc proximum meum qui mihi iniuriam hanc intulit, tanquam tuæ paternæ erga me caſtigationis miniſtrum,propter te & ſecundùm te amem:pro eo ſpecialiùs te exorem: &quocumque beneficio pro ſua ſpirituali ſalute indiguerit, illud ſi poſsim,amanter ei conferam: ſicque corde, verbo, geſtu, & opere erga eum me geram & exhibeam: vt in bono vincam malum: & carbones ignis ſuper caput eius congerens, ipſum lu-

crifaciam, & ad emendationem conuertam.

Quando alium prouocans, iniuriam ab eo recepisti, dic,

Superamandissime IESV, doleo quòd hunc famulum prouocando te offendi, & occasionem te offendendi, seque vindicandi, illi dedi. Propono per gratiam tuam huiusmodi offensa præcauere. Et offero me tibi ad faciendum & patiendum quicquid volueris aut consulueris pro huius tuæ offensæ emendatione & satisfactione, in vnione & virtute tuæ passionis. Obsecrans te vt dones mihi scire, velle & posse implere quicquid ad hoc fuerit vtiliùs. Et per eandem tuam passionem mihi & proximo meo benignè indulgeas offensam contra te admissam: pro nobis satisfacias: nósque paternè corrigas, emendes, sanes, præserues & iustifices. Cæterùm hanc iniuriam ab eo mihi illatam te permittente, & per tuam paternam prouidentiam ad bonum meum illam ordinante: de eadem paterna tua dispositione gratus suscipio: & quandiu durauerit volo & per gratiam tuam propono propter te, & tecum illam in vnione passionum tuarum tolerare: cum iugi laude & gratiarum actione: cum humilitate & mei abnegatione: cum obsecratione, confidentia & resignatione: cum charitate gaudio & pace: cæterisque spiritus tui fructibus: vt sic quod tibi gratum est faciam: tibique conformer, & passionum tuarum fructum renouem & applicem: ad tuam gloriam, & omnium salutẽ, Ecclesiæque veram reformationem.

Breuis in qualibet tribulatione aspiratio.

BONE IESV crucem hanc tui amore, & fructuum tuæ crucis desiderio & expectatione, cum gaudio & gratitudine suscipio: & quandiu durauerit tolerare volo, & per te propono. Sed quia nō sum certus te velle vt ea semper perseueret: ideò cū plena resignatione te obsecrans, dico Abba Pater, &c. Domine, si vis, potes me ab hac cruce liberare. Fiat ergo voluntas tua paterna & benigna. Quod si non vis, aut quandiu non vis eam transferre: tu obsecro, adiungens illam tuis passionibus, conforta me ad tolerandū: conforma me tibi in modo & causa patiendi, vt eadem tecum charitate, humilitate, mansuetudine & benignitate patiar: refice me fructibus spiritus tui: protege me ab omni impatientia, ira & offensa tua: dirige me, vt non nisi propter te, & secundùm te, quæram & assumam remedia congrua & tibi placita: supple quicquid huius crucis occasione omitto: & offer eam ad tuam & sanctorum tuorum laudem, meamque & omnium salutem, veramque Ecclesiæ reformationem & pacem, Amen.

CAPITVLVM OCTAVVM-DECIMVM, CONTINENS exercitium generale pro omnibus omnium miserorum tribulationibus: quod etiam pro qualibet speciali tribulatione poterit exerceri.

¶ *Admonitio, quàm sit utile pro omnibus afflictis simul orare.*



VIA charitatis debitum exigit ut omnes proximos sicut nosmetipsos amemus: requirit etiam ut pro eorum miserijs sicut pro nostris oremus: quod agẽtes exercemus simul opus charitatis & misericordiæ & participes efficimur meriti tolerantiæ earum miseriarum pro quibus oramus: insuper supplemus defectum afflictorum qui non norunt, aut non solent in suis tribulationibus Deum laudare & inuocare. Denique quantò nostra oratio generalior est, & ex charitate pro pluribus fit: tantò Deo gratior est, qui omnes vult saluos fieri: & semper, si non omnibus pro quibus offertur, saltem pluribus ex illis, qui obicem non ponunt, prodest: nobis verò est semper vtilissima, & si aliqua tribulatione premimur, citiùs & salubriùs à Deo exaudimur, orantes non solùm pro ea, sed pro omnium miserorum tribulationibus. Propter hæc vtilissimum est sequens exercitium frequentare. I.

O Domine Deus, pater misericordiarum & Deus totius consolationis: præsentes & imminentes tribulationes Ecclesiæ tuæ, huius regni, ciuitatis, ac diocesis, ac huius domus, prouinciæ, & ordinis nostri: meásque & meorum specialium, omniúmque afflictorum, & quacunque tribulatione oppressorum: de manu & dispositione tuæ paternæ prouidentiæ & benignitatis suscipiens.

2. Ex affectu B. Mariæ, BB. Angelorum, & sanctorum omnium, animarúmque purgandarum: ex mea & omnium afflictorum parte: te cum Patre & Spiritu sancto Trinum & vnum Deum: per suauissimum cor & spiritum tuum, adoro, laudo, amans congratulor, gratiasq; agens, me totum tibi offero: & cum multo spiritus gaudio tibi congratulor, pro paternæ tuæ voluntatis & dispositionis circa nos impletione: sine qua nihil prorsus potest nobis contingere: & per quam omnia conuertis & ordinas in bonum nostrum, si tibi constanter per fidem, spem & charitatem adhæserimus. Gratias ago pro amore quo hæc aduersa nobis misisti: aut certè ea permittens ab alijs inferri, ad bonum nostrum illa ordinasti. Denique gratias ago pro omni bono & fructu ad quem has tribulationes ab æterno preordinasti: & maximè vt eas amanter propter te tolerando, gratum tibi obsequium præstemus: conformemur tibi passo: castigemus peccata nostra: mortificemus priuatum amorem cum suis vitijs: proficiamus in amore tuo & virtutibus: & communicantes tuis passionibus, earum fructum renouemus: sicque tecum Patrem tuum hono-

remus : iram eius auertamus : gratiámque ipsius recuperemus : participemus tuorum sanctorum tribulationibus & meritis, & impetremus nobis & quibus volueris, illuminationem, iustificationem, sanctificationem, liberationem, cõfortationem, redemptionem, & tandem tuæ diuinitatis æternam tentionem, claram visionem & laudem, fruitionémque & vnionem beatificam, ad tuam & sanctorum gloriam, omniúmque salutem, & Ecclesiæ pacem.

Horum omnium fructuum (qui ex patienti & dulci tribulationum tolerantia proueniunt) desiderio & spe, præsentes & imminentes tribulationes cum gratiarum actione & spirituali gaudio, suscipio, amplector, & quandiu durauerint, tolerare volo, & per gratiam tuam propono. 3.

Veruntamen considerans peccata quibus iram tuam meruimus, & his tribulationibus iustam causam dedimus, & peccata quæ harum tribulationũ occasione à nobis vel alijs committuntur: & bona quæ per eas omittuntur aut impediuntur: desideranter (atque vtinam verè & cordialiter) DOLEO de tua multiplici offensa, inhonoratione, vilipẽsione, contẽptu, tuæq; voluntatis transgressione. 4.

CONDOLEO miserijs, damnis, malis, & periculis nostris & omniũ afflictorũ, & affligentium nos. DEFLEO bona quæ per has tribulationes impediuntur. TIMEO ne hæ tribulationes per nostram culpam, & impatientiam sint nobis in ruinam potiùs quam in salutem. 5.

DIFFIDO nos proprijs viribus posse has 6.

tribulationes fructuosè tolerare, aut ab eis liberari. CONFVGIO ad te patrem misericordiarum, qui dixisti: *Inuoca me in die tribulationis, eruam te & honorificabis me.*

7. OBSECRO per omnes perfectiones, passiones & miserationes tuas, & sanctorũ tuorum: vt sicut potes, scis & vis, nos omnes, (maximè eos quos peccatorum cathena constringit) iisdem oculis RESPICIAS, quibus Magdalenam, Petrum, & cæteros pœnitẽtes respexisti, nósque ILLVMINES clara cognitione peccatorum nostrorum: COMPVNGAS, & extrahas per puram & integram confessionem! ABLVAS & emundes in tuo sanguine: SANES & sanctifices in tuis vulneribus: IVSTIFICES & gratifices in tuis virtutibus:

8. Et de passionis tuæ (quam nunc simul cum missæ sacrificio tibi offerimus) infinito thesauro plenam satisfactionem Patri tuo pro nobis exhibeas: sicque iram eius à nobis plenè AVERTAS: & nihilominus non in ira, sed in misericordia tua castigans nos castiges & à peccatis omnibus plenè expies, mortifices & præserues, quia nulla nocebit aduersitas, si nulla dominetur iniquitas.

9. Cæterùm licèt quandiu hæ tribulationes durant & durabunt, credamus eas de paternô corde tuo in bonum nostrum (si voluerimus) esse ordinatas: quia tamen non sumus certi te velle eas diutiùs durare: imò quia existimamus tibi gratum esse vt deprecemur pro earum cessatione, ad hoc vt liberiùs & alacriùs tibi seruiamus. Ideò vt sine tuo desiderio satisfaciamus, & solùm propter te, & secundùm te desiderantes ab eis, si tibi

placuerit liberari.

Obſecramus vt intentionem noſtræ deuotionis, adiungas efficaciæ & feruori tuę illius attentiſſimæ, deuotiſsimæ & efficaciſsimæ orationis, quam tu pro nobis in orto olìueti, cum ſudore ſanguineo Deo Patri obtuliſti. Tuis ergo verbis, & ex affectu tuo (atque vtinam eadem tecum attentione, deuotione & efficacia) te pro me & omnibus afflictis interpellans obſecro. Abba pater, omnia tibi poſsibilia ſunt. O Pater ex quo omnis paternitas in cœlo & in terra nominatur: O Pater qui pluſquàm paterna pietate & benignitate nos perſequeris & noſtræ ſalutis curam habes; ſi vis, potes facillimè ab his imminentibus tribulationibus nos liberare & præſeruare. 10.

Cæterùm ô Pater ſapientiſsime, beneuolentiſsime, & potentiſsime, tu ſcis qualiter, quando & quibus medijs magis expedit ad tuum honorem, & animarum noſtrarum ſalutem, nos à præſentibus & imminentibus afflictionibus liberari. 11.

Tu vis quod expedit ad honorem tuum, cuius es zelator. Tu etiam vis id quod ad animarum ſalutem, quarum es amator, pertinet. Tu potes, id quod vis, quia in ditione tua cuncta ſunt poſita, & non eſt qui poſsit reſiſtere voluntati tuæ.

Ergo ſicut ſcis expedire ad honorem tuum 12.
& animarum ſalutem, ſicut vis, & ſicut potes miſereri noſtri: miſerere Eccleſiæ, regni, ciuitatis, diocesis: miſerere huius domus, prouinciæ, & ordinis noſtri, miſerere tuorum & noſtrorum ſpecialiùm infirmorum,

captiuorum,pauperum,tentatorum & quouis modo afflictorũ,propter temetipſum (Deus) inclina aurem miſericordiæ tuæ, & audi voces & gemitus afflictorum. Aperi oculos paternæ tuæ prouidentiæ,& vide deſolationes, pericula & impedimenta ſalutis,quibus afflicti detinemur & inuoluimur.Neque enim in iuſtificationibus noſtris proſternimus preces noſtras ante faciem tuã : ſed in miſerationibus tuis multis & magnis. Exaudi nos ergò pijſſime Domine, placare offenſis noſtris, Domine clementiſſime.Attende noſtras miſerias & pericula:& fac nobiſcum ſecundùm conſuetam miſericordiam tuam.Ne moreris propter temetipſum,propter nomen tuum,& infinitum tuæ paſſionis meritũ, nobis impartiri miſericordiã tuam multã & magnam, & à præſentibus & imminentibus tribulationibus eatenus liberationem, quatenus expedit ad hoc, vt mente & corpore expediti, liberiùs & deuotiùs tibi famulemur : & vt honor tuus ac cultus veráque religio hîc conſeruetur,creſcat & perſeueret.

13. Et quia tu vis vt ad hoc tibi cooperemur: da nobis ſcire,velle & poſſe ea ſola,& ea omnia remedia aſſumere,quę vis vt aſſumamus, & ſic omnem ſolicitudinem in te proiicere.

14. Ah nõ permittas nos proprio ſenſu,aut quauis alia ſuggeſtione, aliquid agere vel aſſumere quod tibi diſpliceat, aut omittere quod velis.Sed & ſi quid per ignorantiã, negligentiam,aut aliter in hoc deliquerimus,tu(obſecro)per ſuauiſſimũ ſpiritũ tuum,& angelicum miniſteriũ ſupple,& nobis etiã ignorantibus, negligẽtibus,aut renitẽtibus,omnia dirige &

perduc ad eũ finẽ qui sit ad maiorẽ tui gloriã, & animarũ(quam tãtopere cõcupiscis)salutẽ.

Quod à tua plusquàm paterna bonitate, amanter & fideliter petentes, & confidenter expectantes:ecce præsentes & imminẽtes tribulationes & necessitates,nósq; totos & omnia nostra,Ecclesiam, regnũ, ciuitatẽ, diocesim,domum hanc,prouinciam & ordinẽ nostrum,tuósque & nostros speciales,infirmos, captiuos,tẽtatos,pauperes,& afflictos omnes, tuę plusquã paternę pietati,prouidẽtiæ & benignitati:tuę imperiali opulentiæ,liberalitati & magnificẽtiæ,tuæ diuinæ potentiæ,sapientiæ,bonitati, & charitati:& super omnia tuæ supersanctissimæ, superlaudabilissimæ, & superdesideratissimæ voluntati, dispositioni,& ordinationi,cõmendo,permitto,&plenè resigno.Da quod vis,& quantũ vis, & quãdo vis, & sicut nosti magis expedire ad honorẽ tuum & animarũ salutẽ,quia hoc solùm intẽdimus, concupiscimus,obsecramus & expectamus. 15.

O Pater beneuolentissime, si nõ vis transferre has tribulationes,si vis etiã alias grauiores immittere,fiat volũtas tua.Et hæc tuę voluntatis impletio,sit nobis summa exultatio, pro eo quòd ex hac aduersorum dulci tolerantia gratum à nobis obsequium recipis & acceptas,in quo tota nostra perfectio & salus consistit. Nullam ergò de manu tua quancunque crucem recusamus, imò verò in amore quo pater tuus tibi non pepercit, sed pro nobis te in mortem tradidit, & quo tu proposito tibi gaudio sustinuisti crucem, confusione contempta, atque inseparabiles in omni vita tua comites voluntariè elegisti, 16.

& assumpsisti humiliationes,penurias & pœnalitates multiplices: & quo dedisti sanctis tuis, vt tribulationes omnes cum gaudio & gratitudine assumerent & tolerarent: in eodem inquam amore, intentione & fructu, ecce nos totos & nostros omnes offerimus & resignamus, ad præsentes & quascunque alias immiseris aut super nos venire permiseris, humiliationes, confusiones,opprobria, penurias,& damna bonorum,pœnalitates,labores & incommoda:seruitutes,subiectiones & obedientias, dolores, tristitias & compassiones,cruciatus & infirmitates:sanguinis effusiones & bonorum direptiones, sensuum afflictiones & abstinentias, carceres & captiuitates,mortémque quantumuis ignominiosam & crudelem, & alias quascunque cruces externas vel internas.

17. Diffidentes quidem prorsus de nobis, & de nostra hac resignatione & præparatione nihil præsumentes. Sed in te plenè confidentes, & obsecrantes vt tui amore & imitatione, zelóque iustitiæ, tuo merito, & missæ sacrificio, tuo septiformi dono, & angelico ministerio, B. Mariæ & omnium sanctorum ac electorum tuorum exemplis, precibus & auxilijs:

18. Dones nobis præsentes & quascunq; alias super nos aut nostros venire permiseris tribulationes, de manu tua & ordinatione paterna semper suscipere, tanquã medicinã saluberrimam,tanquã pignus tui amoris certissimum,tanquã calicem salutarẽ, tanquã annulũ desponsationis,occasionemq́; lucri maximi: & easdẽ quandiu durauerint in vnione

tuarum paſsionum tolerare:cum iugi laude & gratiarum actione, cum profunda humilitate,& perfecta noſtri abnegatione, cum feruenti obſecratione,plena confidentia, & integra reſignatione,cum charitate, gaudio & pace:cum patientia, longanimitate & manſuetudine,cum bonitate & benignitate: cum fide,fidelitate & modeſtia, cum continentia & caſtitate: cum innocentia & ſecuritate: cum prudentia cordis & oris ſapientia: cum ſimplicitate & finali perſeuerantia.

Sic vt per ſingula momenta poſsimus illum fructum percipere, ad quem ab æterno 19.
illas tribulationes ordinaſti:& quem tuis paſſionibus nobis promeruiſti:ſic vt eas amanter tolerando gratum tibi obſequium præſtemus, tibi conformemur, peccata noſtra caſtigemus,mortificemus amorẽ priuatum, proficiamus in amore tuo & virtutibus, communicantes tuis paſsionibus earum fructum renouemus, ad tuam & ſanctorum gloriam,noſtramque & omnium ſalutem,ac veram Eccleſiæ & regni huius, domus & ordinis noſtri reformationem & pacem.

Sequitur obſecratio pro perſecutoribus & inimicis, omittenda quando orare vis pro tribulatione quæ non à perſecutore, ſed à Deo tibi aut aliis infertur.

Obſecramus etiam te pro his qui nos affligunt,oderunt & perſequuntur, aut qui nos vnquam læſerunt vel poſt hac offendent & perſequentur: tanquam pro præcipuis bene-

factoribus & amabilibus instrumẽtis ac ministris tuis,quibus nos purgas,castigas,exerces, perficis & multis ditas spiritalibus bonis.Obsecramus inquã, ex tuo affectu, tuisque verbis, pro eis te interpellantes: Pater ignosce illis,quia nesciunt quid faciunt: nesciunt planè quàm grauiter te offendunt & irritant:quãtum damnum & reatum sibi acquirunt, & quantum bonum nobis afferunt. Igitur ô Bone Domine,ne statuas illis hoc in peccatum.Sed quia in hoc sunt ministri tuæ erga nos iustitiæ, & paternæ castigationis ac prouidentię: tu pro bonis,quorum occasionem nobis præbent,redde illis septuplum: Infundens eis septiformem spiritum tuum, qui eos illuminet, compungat, iustificet, & beatificet,& fac vt eos propter te, secundùm te,& per te,amemus dulciter,sapienter & efficaciter,bonum illis optemus, & specialiter te pro eis exoremus, & quodcunque potuerimus beneficium saluti eorum conferre, illis exhibeamus:sicque erga eos corde,verbo & opere nos præstemus, vt non vincamur à malo eorum, sed in bono malum vincamus, & carbones ignitæ caritatis super capita eorum congeramus.

Ah Domine purga nos & præserua ab omni ira, indignatione,odio, amaritudine, displicẽtia, murmuratione,quæremonia,detractione,maledictione & vindicta aduersus personam proximorum qui nos persequũtur.

Purga nos etiam & præserua ab omni impatientia, inordinata tristitia, deiectione mentis, pusillanimitate spiritus, diffidentia, timore vano, anxia solicitudine, & pertur-

bation

batione: præserua à perplexitate, indiscretione, imprudentia, extrouersione, vanæ consolationis quæsitione, & omni vitio. Et dona nobis per suauissimum spiritum tuum & angelicum ministerium, velle, scire & posse nos in his & in futuris tribulationibus sic gerere sicut tibi gratiùs fuerit: nec aliter remedia contra has tribulationes quærere vel recipere, quàm purè propter te, idest, quia tu vis, & SECVNDVM TE, id est, sicut & eo modo quo vis, ET PER TE, de manu tua ea sumendo, & TECVM, in tua vnione & præsentia manendo: idque cum plena resignatione recipiendi æquali animo, ac gaudio consimili, harum tribulationum continuationem (si volueris aut permiseris) sicut liberationem ab eis reciperemus. Ah non permittas nos ad remedia illicita aut minus tibi placita confugere, vel ea acceptare.

Obsecramus etiam vt tu per infinitum tuæ passionis thesaurum, & angelicum ministerium, suppleas abundè quicquid boni harum tribulationum occasione, facere impedimur.

Et vt has nostras & nostrorum omnium specialium afflictiones præsentes & futuras, tuis & sanctorum tuorum passionibus & meritis adiungens, acceptes, gratifices, perficias, easdéque sic tuis vnitas & immersas, nûc & in hora mortis nostræ, patri tuo simul cum sacrificio Missæ oblato & offerendo, offeras: in omnigenam hostiam, pro nobis, tuísque & nostris omnibus viuis & defunctis, pro quibus tu nos vis, aut tenemur vel intendimus specialiùs exorare.

Sicque efficaciter Patrem tuum honores, iram eius auertas, gratiam, amicitiam, dona eius & virtutes per peccata nostra deperditas nobis restituas, nosque illumines, iustifices, sanctifices, liberes, confortes, redimas, tandemque perducas, ad tuæ diuinitatis æternam possessionem & adorationem, claram visionem & laudem: beatificamque fruitionem, & vnionem: ad tuam & sanctorum gloriam, nostramque & omnium salutem, veramque Ecclesiæ & regni, huius domus & ordinis nostri reformationem & pacem.

Suauissime IESV, hęc omnia quæ orando postulauimus, de paterna benignitate fidelitate, & omnipotentia tua, fideliter, humiliter, & confidenter expectantes: Ecce nos totos nostrosque omnes & omnia nostra, præsentesque & imminentes tribulationes tibi commendamus, qui es tota fiducia nostra: tibi offerimus, qui es spes nostra certissima: In tuum cor amantissimum omnem nostram solicitudinem proiicientes, qui curã de nobis plusquàm paternam esse non dubitamus. Sicut ergo vis, scis, & potes nostri miserere, & quantò infirmiores sumus, tantò magis per suauissimum spiritum tuum & angelicum ministerium nos semper & vbique conforta, dirige, honesta, pacifica, in te absorbe, transforma, vni, & clementer exaudi ad tuam gloriam & omnium salutem, Amen.

Sequitur Exercitium prædictum breuius comprehensum.

Superamandissime IESV, tribulationes

Eccle

Ecclesiæ,regni,huius domus,& ordinis, tuorumque & nostrorum omnium afflictorum suscipio de manu tuæ prouidentiæ,sine cuius dispositione nihil potest nobis contingere: & per quam ad bonum nostrũ omnia conuertis & ordinas,si tibi adhæserimus, gratias tibi ago pro omni fructu ad quem ordinasti has tribulationes: quas tanquam salutares gaudens amplector, resignans me ad eas tui amore libenter tolerandas quandiu volueris. Verũtamen cõsiderans peccata quibus iram meruimus,de his DOLEO;COMPATIOR miseriis & periculis afflictorũ;DEFLEO bona quæ per has tribulationes impediũtur: TIMEO ne illæ sint nobis in ruinam: DIFFIDO nos posse ex nobis eas vtiliter sufferre, aut euadere: CONFVGIO ad te patrem misericordiarũ:OBSECRANS te per omnes perfectiones & miserationes tuas vt nos illumines, compungas, extrahas,abluas,& emendes, sanes & sanctifices,iustifices & gratifices:& de passionis tuę thesauro pro nobis satisfaciens, iram patris tui à nobis auertas, nobisque placatus,adiungas nostram orationem efficacię tuę orationis in horto Oliueti factæ.Tuis ergo verbis,& ex tuo affectu, te interpellantes obsecramus: Abba pater, omnia tibi possibilia sunt:Pater qui plusquam paterna pietate nos prosequeris,si vis potes nos liberare. Eya ergo pater amantissime, misericordissime & benignissime,si vis,si sit honor tuus,si animarum nostrarum saluti quam tantopere concupiscis,expedit:& sicut potes scis & vis,trãsfer à nobis omnibus has tribulationes: vt liberiùs tibi seruiamus. Veruntamen non no-

stra

ſtra,ſed tua voluntas fiat. Pater ſi non vis has tribulationes transferre: aut ſi vis alias etiam grauiores immittere : fiat voluntas tua, ſed quia nimis fragiles & impatiẽtes ſumus: Tu (obſecro) adiũgẽs noſtras paſſiones tuis:conforta nos, ad patiendũ:conforma nos in modo patiendi,vt eadem tecũ humilitate, patientia, manſuetudine, charitate & benignitate patiamur. REFICE nos fructibus ſpiritus tui inter patiendum. PROTEGE & præſerua ab omni impatientia,ira, amaritudine, puſillanimitate, & extrouerſione,cæteriſque vitijs. DIRIGE nos prudenter in his tribulationibus,vt non niſi propter te & ſecundùm te,licita & conuenientia remedia quæramus & ſuſcipiamus. SVPPLE quicquid per has tribulationes impedimur facere. OFFER illas tuis paſſionibus vnitas Deo patri in omnigenam hoſtiam. REFER nobis & omnibus pro quibus tu nos vis, aut tenemur vel intendimus ſpecialiùs exorare, fructum omnem tuæ paſſionis:noſque totos ſicut vis, & ſcis, & potes, rege, poſſide, transforma, vni & clementer exaudi:ad tuam & ſanctorum gloriam, noſtramque & omnium ſalutem : veramque Eccleſiæ & regni, huius domus, & ordinis noſtri reformationem & pacem, Amen IESV benigniſſimè intercedente Beata Maria & omnibus Angelis & ſanctis tuis.

LAVS DEO.

TRACTATVS SECVNDVS EXERCITIORVM SPIRITUALIUM quæ ad viam illuminatiuam magis pertinent.



INDEX CAPITVLORVM & materiarum seu sententiarum præcipuarum in singulis huius libri capitulis contentarum.

Capitulum primum continet præfationem in qua hæc habentur.

CAPITVLVM SECVNDVM CONTINET ORAtionem præparatoriam ante meditationem in qua hęc habentur.

CAPITVLVM TERTIVM

CONTINET PRAEFATIONEM communem singulis decem meditationibus præmittendam vbi hæc habentur.

Annotatio in hanc præfationem docens quæ in ea, & quo ordine tractentur.

CAPITVLVM QVARTVM CONTINET TAbulam generalem, simul complectentem decem meditationes passionis dominicæ: vbi hæc habentur.

IN CAPITVLO QVINTO HAEC HABENTVR praefatio breuior præmittenda singulis decem meditationibus: quando alia prolixior non assumetur.

IN CAPITVLO SEXTO hæc habentur.

IN CAPITVLO SEPTImo hæc habentur.

IN OCTAVO CAPITVLO hæc habentur.

IN NONO CAPITVLO hæc habentur.

IN CAPITVLO DECIMO hæc habentur.

CAPIT. XV. CONTINET 5. meditationes in hæc 5. ternaria 6. meditationi ascripta.

CAPIT. XVI. CONTINET 5. meditationes in hæc 5. ternaria septimæ meditationi assignata.

CAPIT. XIX. CONTINET

5. meditationes, in hæc 5. ternaria, decimę meditationi aſcripta.

CAP. XX. HÆC CONTINET.

PRÆFA



PRÆFATIO IN SECVNDVM TRACTATVM EXERCITIORVM SPIritualium.

CAP. I.

QVIA passio Domini est cæterorum exercitiorum verũ & firmum fundamentum, ideò iste secundus tractatus continens varia viæ illuminatiuæ exercitia, diuiditur per decem meditationes Dominicæ passionis, quorum singulis alia exercitia adduntur & applicantur, vt ex merito eiusdem passionis, Deo gratiora, & ad impetrandum efficaciora, nobisque fructuosiora reddantur. 1. *Passio Domini est fundamẽtũ aliarum meditationum.*

Ex ipsa enim passione Domini, & in ipsa non solùm habemus exemplar quo instruamur & excitemur: sed etiam meritum & auxilium quo iuuemur & cõfortemur, ad Deum amandum, & pro eius amore patiendum & agendum quicquid ipse voluerit.

Porrò in ipsa Christi passione. Primò, attendere debemus causam quæ ipsum mouit & impulit ad patiendum, quæ est charitas nimia erga nos. Secundò, opus ipsum passionis, seu ea quæ passus est Christus, in quo relucet perfecta abnegatio sui, & crucis amplexus 2. *Quatuor in passione Domini consideranda.*

atque baiulatio. Tertiò, modū cū quo passus est Christus, in quo virtutū omniū perfectissimum exēplar inuenitur. Quartò, fructum & finem propter quem passus est Dominus, qui est nostra redemptio, illuminatio, iustificatio, sanctificatio, & glorificatio.

3. *Quatuor à nobis Christo passo rependenda.*

Vt autē huic passioni gratos nos exhibeamus, & conformemur (quod ante omnia nobis est ad salutem, & omnem profectum spiritualem necessarium) debemus, Primò, charitati eius, per amorē reciprocum respōdere. Secūdò, ex eius amore & imitatione nosipsos abnegare, & crucē nostrā tollere. Tertiò, ex eodem amore virtutes eius imitari & opere exercere. Quartò, pro fructibus eiusdē passionis obsecrare, & gratias agere, atq; ad æternā beatitudinem (quę omniū finis est) aspirare.

4. *Quo ordine hæc quatuor hîc traduntur.*

Quæ omnia in sequentibus exercitijs, studiosè & deuotè frequentatis perficiuntur. In exercitio enim passionis (quod per decē meditationes distinguitur) exprimitur quis & qualis, pro quibus & qualibus, ex quali & quāta charitate, quæ & quàm dura ac indigna: cum quibus & quo fructu ac fine passus sit Christus Dominus. Deinde sequitur peculiare amoris exercitiū, per considerationem diuersorū nominum Dei amabilium, & perferuentē obsecrationē pro impetrādo Dei amore & actibus eius. Tertio loco ponūtur exercitia pro abnegatione suiipsius, & crucis cuiuslibet amplexu & tolerātia. Quarto, subiungitur obsecratio ꝓ imitatione virtutū Christi. Quinto, sequitur deprecatio venię pro defectibus & vitijs cōtra ipsas virtutes commissis. Postremo fit oblatio totius exercitij, cum ob-

ſecratione pro fructib. & fine paſſionis Chriſti impetrandis. Cęterùm cùm hæc exercitia proponantur proficientibus, & in via illuminatiua ſeſe exercere cupiętibus:ab his debent frequentari, qui à carnalibus & mundialibus deſiderijs iam abſtracti, per exercitia contritionis, & alia quæ in primo tractatu ſunt tradita,in via purgatiua ſeſe probè exercuerint. Vanum enim & præſumptoſum eſſet ad hæc ſpiritualia exercitia aſſurgere,& in his ſe exercere,priuſquã peccãdi affectus fuiſſet per verã pœnitẽtiã extinctus, & cõſcientia à peccatis purgata.Quoniã in maleuolã animã non introibit ſapiẽtia, nec habitabit in corpore ſubdito peccatis. Qui verò fuerit ſtudiosè exercitatus in exercitijs primi tractatus quæ ad viã purgatiuã pẽrtinẽt,cũ multa facilitate & promptitudine poterit in ſequentibus exerceri. In quibus amoris exercitia ad hoc aſſumet & diriget,vt per ea diuino amore ſuccenſus,poſſit per eũdẽ amorẽ & propter eũ faciliùs & efficaciùs ſeipsũ abnegare,crucẽ ſuã tollere & Chriſti virtutes ſectari, non autẽ vt ad ſublimẽ illam vnionem & transformationẽ diuinã ſtatim perueniat. Qui enim neglecta ſui ipſius abnegatione & crucis amplexu,virtutũq; exercitatione,pręſumeret ſe totũ tradere exercitio vnitiui amoris per dulces & ardẽtes aſpirationes,quãtò altiùs in cõtẽplatione volaret,tãtò periculoſiùs ſtaret, & occurrente tentatione vel ſenſibilis gratiæ, & deuotionis ſubſtractione,grauiùs caderet.Si tamen aliquis nondum in prædictis ſatis exercitatus, & verſatus, ſenſerit aliquando apertè Dei tractum ad contemplationis guſtum, & amoroſam

5. *Hac exercitia debent aſſumi ab his qui in via purgatiua ſunt exercitati.*

6. *Amoris exercitia qualiter ſunt hic aſſumenda.*

vnioné ipſum inuitantis & trahétis(ſicut aliquando quoſdã dignatur Dominus in ſuis benedictionibus præuenire)nõ debet tractũ illũ contẽnere,vel repellere:ſed humiliter,& cum gratiarũ actione ſuſcipere ac ſequi,quãdiu durauerit, atq; ea eius guſtu ſeſe viriliter poſteà accingere ad ſui ipſius abnegationem, crucis amplexũ & virtutũ exercitationẽ.Si enim ſentiens huiuſmodi tractũ, quieſceret in eius delectatione & dulcedine , & negligeret ſeipsũ abnegare & aduerſa pati,vel ſi inde gloriaretur,& ſibi complaceret, abuteretur dono Dei, grauiterq; Deũ irritaret, atq; niſi reſipiſceret, tãtò grauiùs caderet, quãtò altiùs fuiſſet eleuatus.

7. *Ad amorem vnitiuũ non eſt ſtatim aſſurgendum.*

NVLLVS ergo præſumat ſine ſpeciali tractu Dei, ad amorẽ illũ vnientẽ ſtatim aſpirare,& ſe totum in eius exercitio occupare, niſi prius in vitiorũ , & priuati amoris mortificatione, virtutumq; praxi & ornatu ſe fideliter exercuerit. Et qui ſpeciali tractu præuentus amorẽ illũ vnientẽ guſtauerit,ſtudeat ex eius guſtu proficere in ſui abnegatione & virtutibus, atque inde humilior & timoratior fiat. Quod ſi Deus talẽ tractũ ſpecialẽ ab eo poſteà ſubtraxerit,tũc quaſi nihil antea de diuina dulcedine guſtaſſet,ſubmittat ſe humiliter alterius (ſi quẽ habet ſpiritualẽ patrẽ)directioni,& permittat ſe tãquã nouũ tyronẽ in mortificatione exerceri. Si enim de guſtato Dei tractu elatus & confiſus, neglexerit directoris ſui conſiliũ ſequi,pro certo à dæmone,vel à ſe ipſo decipietur. Ergò quicũque exercitia iſta proficiẽtibus propoſita & accõmodata, ſuſcipere voluerit,contẽtus ſit in exercitio amoris eatenus,& tãdiu ſe exercere,quoád ſenſerit ſe

per illud inflãmatũ ardẽti amore Dei,& desiderio feruẽti sese propter ipsum abnegãdi, & crucẽ omnẽ tolerãdi virtutesq; eius imitandi.

Ceterùm licet sequẽtia exercitia prolixiora videãtur, si tamen modo & ordine infrà præscribendis exerceãtur,facilia & iucunda videbuntur. Neque enim ea proponũtur, vt simul omnia debeant exerceri , sed vt paulatim ab vnoquoq; eatenus assumãtur, quatenus ingenij eius capacitas,deuotio,status,& otiũ ei per mittũt illa assumere,& his sic vacare,vt ab alijs ex suo statu vel officio debitis nõ retardetur.

Porrò in singulis decẽ meditationibus sequentibus hunc ordinẽ & modũ (ô studiose exercitator)seruabis.In primis præmitte orationẽ prolixiorẽ quãdo voles inchoare vnam ex sequẽtibus decẽ meditationibus. Quando verò iam vna hora inchoatã meditationem, sequẽti hora ad meditandũ tibi assignata,voles prosequi,vtere tãtũ breuiori oratione præparatoria.Post orationẽ præparatoriã lege prę fationẽ generalẽ prolixiorẽ,vel breuiorẽ,pro vt tibi per otiũ licuerit & libuerit. Præfationi subiunge vnam meditationẽ de Domini passione , putà primam. Posteà offer passionem meditatã cum obsecratione pro igne diuini amoris obtinendo. Deinde lege & meditare adorationes & obsecrationes super quinque ternarijs amabiliũ Dei nominũ primæ meditationi applicatorũ.Post hæc subiũge exercitia pro diuersis actibus amoris diuini,pro abnegatione sui,&baiulatione crucis,& pro imitatione virtutũ Domini nostri IESV Christi. Deinde peculiariter obsecra pro praxi earum virtutũ quæ primæ meditationi sũt assignatę.

8. *Ordo & modus seruãdus in sequẽtibus meditationibus.*

Postremò pro cõclusione totius meditatiõis, veniã deprecare pro culpis cõtra virtutes meditatas cõmissis. Deinde offer Deo meditationis exercitiũ, & obsecra pro fructibus passionis. Sic primã meditationẽ perficies: qua absoluta, secundã simili ordine & modo exercebis. Deinde tertiã, & reliquas suo ordine: in singulis hęc tria tantũ varians, scilicet meditationẽ Dominicæ passionis, quinque ternariorũ nominũ Dei cõsiderationẽ, & obsecrationẽ pro peculiaribus virtutibus cuilibet meditationi assignatis. Cętera enim in singulis decẽ meditationibus sunt exercenda, sicut in prima meditatione dictũ est illa debere assumi & exerceri. Si tamẽ nolueris toties repetere exercitia pro actibus diuini amoris, & pro abnegatione tui ac crucis baiulatione, poteris illis omissis cętera exercere. Porrò vna meditatio nõ proponitur tibi exercẽda vno die, sed tot diebus, quot videris te necesse habere, vt eã deuota affectione percurras. Hoc obseruãs vt ab eo loco seu articulo, in quo vnã meditationis horã finieris, meditationẽ sequẽtis horę ad meditandũ assignatæ, semper inchoes, pręmissa breuiori præparatione. Sic procedendo, nõ inuenies has meditationes esse prolixiores, nec cũ tædio eas exercebis, sed nouã semper deuotionẽ & gustũ in illis experieris, ex varietate nominũ amabiliũ & virtutũ, aliorũque actuũ qui in singulis meditationib. exercẽtur. Cęterũ numeri qui in sequentib. exercitijs singulis articulis prænotantur, referũtur ad mẽbra Christi in psalterio decachordo notata, vt illis applicẽtur, sicq; faciliùs & deuotiùs memoriæ commendentur, prout decla-

ratum est in libello psalterij Decachordi. Nomina autẽ quæ grossiori charactere scribũtur sunt ea quæ potissimum memoriæ sunt retinenda, in quibus alia facilè subintelligũtur.

CAPITVLVM SECVNDVM.

Oratio præparatoria ante singulas decem meditationes sequentes præmittenda.

Benignissime IESV Domine, credo & certus sum te velle, tibiq́; gratissimũ esse, vt ego orationi mẽtali, & exercitijs spiritualib. insistã, cùm hoc cedat ad maiorẽ tui honorẽ, & per hæc maiorẽ tui notitiã, amorẽ & desiderium assequar, prõptiorq́; & fortior reddar ad omne tuũ beneplacitũ ex amore perficiendũ, in quo salus mea, & beatitudo consistit. Quia ergo id vis, ideò tui amore me ipsũ abnegãs, & ab omni cõtrario desiderio auertẽs, tibiq́; obediẽs, & nihilominus ad aliud quodcũque, & quandocũque volueris, me resignans: ecce volo, desidero, & propono de cętero huic orationi mẽtali, & exercitijs spiritualibus, quantùm & quoties consulueris & donaueris, studiosè & deuotè intendere, & operam dare.

1. Deo gratum est, vt exercitio spirituali insistamus.

2. Ex puro Dei amore & obedientia hæc exercitia sunt assumenda.

Desidero inquã in ipsa oratione mẽtali, & exercitio spirituali, in tua præsentia reuerẽter stare & manere, tibi vacare & intẽdere, quid in me loquaris, & à me exigas, solicitè audire, obseruare, & intelligere, tractũq́; tuũ prõptissimè sequi. Desidero etiã te adorare, glorificare, amare, tibiq́; congratulari, & gratias agendo me totum in perpetuum obsequium, & supremum tuum beneplacitum offerre.

3. Actus qui in his exercitijs spiritualibus sũt exercẽdi.

Desidero tibi perfectè obedire, abnegare meipsum, tollere post te quotidie crucẽ meã,

ſequi te per imitationẽ tuarũ virtutũ,& ſic impetrare fructus tuæ vitæ & paſſionis. Deſidero inſuper te exorare pro me & pro omnibus pro quibus tu vis aut ego teneor vel intendo ſpecialiùs orare, hæc omnia per ſequentium exercitiorũ vſum, & frequẽtationem volo & deſidero exercere & implere, quia vis, & ſicut vis, ſcilicet, vt iſta tibi propter te exhibeã, non autẽ propter meũ cõmodũ, aut propriã quæſitionem, niſi quatenus tu vis me propriã ſalûtem quærere & operari, hæc inquã volo & deſidero, ſed deſpero & prorſus diffido hæc me poſſe aſſequi mea induſtria, labore & virtute. Scio enim in veritate, & humiliter cõfiteor, quod ad hęc tam ſublimia exercitia non ſolùm ſum ex me inſufficiẽs, ſed planè indignus, quẽ tu ad hæc adiuues & admittas, cum tibi hactenus tam infidelis, inobediens & ingratus fuerim, cumq; tam negligẽs, ſenſualis, extrouerſus, tepidus, ignarus, inſipiens inſtabilis, & infirmus adhuc ſim. Sed Abba pater, omnia tibi poſſibilia ſunt. Si vis, potes me facilè ad iſta excitare, dirigere & perficere. Nec dubito quin velis. Tu enim ſcis quã iſta ſint vtilia & neceſſaria ad tuũ honorẽ, meámque & proximorũ ſalutẽ. Tu vis tuũ honorem cuius es zelator, tu vis animarũ noſtrarũ (quarũ es amator ardentiſſimus) ſalutẽ. Sicut ergò ſcis ad vtrũque expedire, & quando, & quantùm, & quibus modis ſcis eſſe vtilius, atque ſicut vis, & ſicut potes, ad hæc exercitia ſpiritualia me & omnes qui tenentur, & cupiunt ſic exerceri, præſertim meos ſpeciales.

Intentionis directio.

4. *Confeſſio propriæ inſufficiẽtiæ & indignitatis.*

5. *Imploratio diuinæ gratiæ.*

6. *His nouẽ verbis petũtur neuem ad meditandum necessaria.*

1 SANCTIFICA, & purga ab omni vitio & indignitate.

2 EXCITA ab omni tepore & negligentia.

3 CONFORTA vires animæ & corporis.

4 COHIBE, omnia impedimenta exteriora & interiora.

5 COMPONE modum & progressum.

6 STABILI nos in istis exercitijs, dans fortem perseuerantiam.

7 REPLE memoriã & mentẽ, placitis tibi speciebus obiectis & cogitationibus, excludens ab ea omnia distrahentia.

8 ILLVMINA intellectum tua veritate & sapientia, ne erret.

9 ILLVMINA voluntatẽ & affectum, vt cũ amore & sapore omnia perficiamus.

7 Et ADIVVANS fac vt verè. I. PROPTER TE, & tuum amorem ac beneplacitum. II. Et SECVNDVM TE, tuæque sapientiæ directionem. III. Ac PER TE, tuæque gratiæ & spiritus motionem & auxilium. IIII. ET TECVM, in tua præsentia manens, & tuæ gratiæ fideliter cooperans, tractumque tuum solicitè attendens & perfectissimè implens, aggrediar, prosequar, & perficiã hæc exercitia spiritualia. V. In vnione omnium orationum & meditationum quas tu. VI. Et deuotissima mater tua. VII. Alijque sancti hîc vnquam fecistis. VIII. Ad tuam sanctorumque gloriam. IX. meamque & meorum ac omnium salutem. Quod à tua plusquàm paterna bonitate, sapientia & potestate oro, supplico, & peto.

7. *Alia nouum meditandi valde vtilia.*

8 AMANTER I. Et quia vis me id petere & impetrare. II. FIDELITER, credens te posse & velle hoc mihi præstare. III. HVMILITER, agnoscens me ad hoc insufficientem, & indignum. IIII. OBSECRANTER.

8. *Notã cõditiones decẽ orationis hic expressas quæ ad impetrãdum sunt efficacissima.*

9 OBSECRANTES TE, I. per diuinitatis

9. *Nota etiã nouẽ sana media per vtilissimè fit obsecratio.*

tuæ in præſentiam, ſapientiam, potentiam, & bonitatem. II. Per tuam erga nos charitatem, prouidentiam & benignitatē, omnemq́; eius affectum & plenitudinē. III. Per tui corporis & ſanguinis ſacrificium & ſacramētum. IIII. Per omnia quæ aſſumpſiſti, feciſti, & pertuliſti pro noſtra ſalute. V. Per ſeptiformē ſpiritū tuum. VI. Per Angelicum miniſterium. VII. Per pijſſimæ matris tuæ amorem, dolorē & interceſſionem. VIII. Per patronorum meorū, & omnium ſanctorum merita, exēpla & ſuffragia. IX. Tuorumq́; ac meorum ſpecialium qui ſunt in hoc mundo preces & auxilia, per hæc inquam omnia te obſecrās. V. Confidēter expecto & ſpero à te exaudiri. Si tamē ſtuduero perſeuerare in hac mea petitione. VI. Feruenter, non tepida nec remiſſa, ſed ardēti voluntate & ſtudio. VII. Patienter, ferēdo laborem & difficultatē horū exercitiorū. VIII. Longanimiter ſuſtinēdo dilationem optatæ & deſideratæ exauditionis. IX. Efficaciter, adhibendo ſtudium & conatum ad hæc neceſſaria. X. Et reſignanter, committendo plenè & perfectè tempus, modum & menſurā mei profectus & ſperatæ exauditionis, tuæ superſanctiſſimæ & ſuperlaudabiliſsimæ ac ſuperdeſiderabiliſsimæ volūtati, ordinationi & diſpoſitioni, quod libenter facio, & ſemper facere propono te donante & cooperante. Nunc igitur ſic de me diffidens, ſed in te plenè confidens, aggredior hæc exercitia, cum integra reſignatione aliud aggredi quoties & quādocumque volueris, & perfectè ſequēdi tractum tuum, quocumque me ducere volueris, quem ſupplico, volo & propono ſoli-

citè obseruare, sentire, intelligere, & promptissimè sequi.

Breuior præparatio præmittenda quoties vis vacare & intendere orationi mentali, seu exercitio spirituali.

Superamandissime & supercolendissime IESV, quia vis vt nunc spirituali exercitio intendam, ideò tui amore meipsum abnegans, tibique obediens, hoc propter te aggredior, diffidens prorsus de me, sed de te plenè confidens, teque amanter & confidenter obsecrãs, vt ad hoc me sanctifices, excites, confortes, cohibeas, componas, stabilias, repleas, illumines, afficias, & adiuues vt hoc prosequar & perficiam, in vnione omnium exercitiorum tuorum, ad tuam & sanctorum tuorũ gloriã, meamque & omnium salutẽ, in tua præsentia semper reuerenter manens, tibi intendens, & quid intus mihi loquaris, aut à me exigas solicitè obseruare, audire & intelligere ac prõptisimè implere desiderans, obsecrans, & in te ac per te firmiter proponens.

Adhuc alia breuior præparatio.

Superamandisime IESV, quia vis, & sicut vis nunc volo mentaliter exerceri. Adiuua me vt hoc purè propter te, secundùm te, per te, & tecum in præsentia tua manens, & tractum tuum perfectisimè sequens, inchoem, prosequar & perficiam, in vnione tuorum exercitiorum: ad tuam & sanctorum laudem, meamque & omnium salutem.

Alia breuisima præparatio.

Superamãdissime IESV, quia vis & sicut vis, volo nũc meditari, adiuua me vt hoc purè & fructuosè faciã, in vnione tuarũ meditationũ.

CAPITVLVM TERTIVM.

Annotatio in ſequentem præfationem docens quæ in ea contineantur.

IN ſequẽti præfatione (ô ſtudioſe exercitator) in primis dirigis tuã meditationẽ ad Ieſũ Chriſtũ: vt dũ Deũ viſibiliter in homine Chriſto cognoſcis, per hũc faciliùs, tutiùs & ſecuriùs ad inuiſibilis diuinitatis cõtẽplationẽ & amorẽ eleueris & ſtabiliaris. I. QVATVOR *autẽ de Chriſto profiteris, ſcilicet quòd ſit amator tuus fideliſſimus, quòd ſit filius Dei & verus Deus, quòd ſit filius virginis & homo perfectus: denique quòd ſit omnia, hoc eſt quòd ſit omniũ auctor & conſeruator, omnia in ſe continens & infinitè ſuperexcedens. Quæ tuã erga ipſum fidẽ & deuotionẽ excitãt.* II. *Deinde decẽ ſuperlatiua nomina exprimis, quibus iuuaris ad ſentiẽdam Dei præſentiam, exhibendámque ei reuerentiam, ad habendũ erga eum certã fiduciã, & confidẽter ipſum exorãdum, ad ſincerè eum amandũ, & gratum obſequium ipſi præſtãdum, quæ omnia ſunt oranti valde neceſſaria.* III. *Poſt hæc confiteris inſeparabilem Chriſti (quatenus Deus eſt) cum Patre & Spiritu ſancto vnitatẽ eſſentialem, & plenum ſuper omnia dominiũ, vt ſic te eleues ad totius ſanctiſſimæ Trinitatis cõtẽplationem.* IIII. *Deinde cõſideras, quam deuotè Eccleſia triumphãs ipſam Trinitatẽ adoret & laudet, vt ad ſimilem adorationẽ exciteris.* V. *Poſteà tuam recolis & profiteris vilitatem & indignitatem ad tam ſublimè exercitium.* VI. *Sed erigeris ad confidentiã ex Dei dignatione.* VII *Sicque dirigis intentionẽ tuã, ex ſola Dei voluntate & obediẽtia tuum exerci-*

tium inchoans VIII. *Et quia affectus tuus nimis est tepidus, assumis affectum & deuotionẽ Beatæ Mariæ & omniũ ſanctorũ.*IX. *Adiungis etiã tecũ, tuos ſpeciales, hoc eſt, eos pro quibus teneris aut intendis exorare, & omnes fideles hîc adhuc viuentes, atque animas in purgatorio detentas, vt hos omnes facias participes tuæ orationis & exercitationis* X. *Deinde vt tua oratio ſit Deo gratior atque ad imperãdũ efficacior, eã facis & offers per cor & ſpiritũ Ieſu, hoc eſt, per eius cordialẽ amorẽ & deuotionẽ, ſpiritualémque mentis exceſſum & contẽplationẽ.* XI. *Poſt hæc ad tres ſimul Trinitatis perſonas exercitiũ tuũ dirigis, eáſque adoras tota mẽte, intellectu, volũtate, corde & anima ac ex totis viribus, vbi per cor, intellige rationẽ inferiorẽ & vim concupiſcibilẽ & iraſcibilem, per animã, intellige animã prout corporis ſenſus viuificat & mouet. Sic autẽ adoras Deũ in ſpiritu & veritate, & prægustas beatorum actus.* XII. *Poſt adorationem, gratias agis pro omnibus bonis Dei & beneficijs ab eo collatis vniuerſæ creaturæ, & teipſum totũ offers Deo in omne eius beneplacitũ & obſequiũ. Prædicta autẽ omnia conueniũt, & vtiliter præmitti poſſunt cuilibet meditationi ſeu orationi mentali, in qua deſideras Deum adorare & glorificare pro quibuſcũque beneficijs, aut nominibus. Quæ verò ſequũtur ab eo loco (ſpecialiter autẽ) propria ſunt meditationi quæ fit de vita & paſſione Domini noſtri Ieſu Chriſti.* XIII. *Atque in primis breuiter cõmemorãtur beneficia prædeſtinationis, creationis, & redemptionis, vt ex horum recordatione animus ad amorem & gratitudinẽ inflãmetur.* XIIII.

Deinde



PRÆFATIO IN SECVNDVM TRACTATVM EXERCITIORVM SPIritualium.

CAP. I.

QVIA passio Domini est cæterorum exercitiorum verũ & firmum fundamentum, ideò iste secundus tractatus continens varia viæ illuminatiuæ exercitia, diuiditur per decem meditationes Dominicæ passionis, quorum singulis alia exercitia adduntur & applicantur, vt ex merito eiusdem passionis, Deo gratiora, & ad impetrandum efficaciora, nobisque fructuosiora reddantur. *1. Passio Domini est fundamẽtũ aliarum meditationum.*

Ex ipsa enim passione Domini, & in ipsa non solùm habemus exemplar quo instruamur & excitemur: sed etiam meritum & auxilium quo iuuemur & cõfortemur, ad Deum amandum, & pro eius amore patiendum & agendum quicquid ipse voluerit.

Porrò in ipsa Christi passione. Primò, attendere debemus causam quæ ipsum mouit & impulit ad patiendum, quæ est charitas nimia erga nos. Secundò, opus ipsum passionis, seu ea quæ passus est Christus, in quo relucet perfecta abnegatio sui, & crucis amplexus *2. Quatuor in passione Domini consideranda.*

atque baiulatio. Tertiò, modũ cũ quo passus est Christus, in quo virtutũ omniũ perfectissimum exẽplar inuenitur. Quartò, fructum & finem propter quem passus est Dominus, qui est nostra redemptio, illuminatio, iustificatio, sanctificatio, & glorificatio.

3. *Quatuor à nobis Christo passo rependenda.*

Vt autẽ huic passioni gratos nos exhibeamus, & conformemur (quod ante omnia nobis est ad salutem, & omnem profectum spiritualem necessarium) debemus, Primò, charitati eius, per amorẽ reciprocum respõdere. Secũdò, ex eius amore & imitatione nosipsos abnegare, & crucẽ nostrã tollere. Tertiò, ex eodem amore virtutes eius imitari & opere exercere. Quartò, pro fructibus eiusdẽ passionis obsecrare, & gratias agere, atq; ad æternã beatitudinem (quę omniũ finis est) aspirare.

4. *Quo ordine hæc quatuor hîc traduntur.*

Quæ omnia in sequentibus exercitijs, studiose & deuotè frequentatis perficiuntur. In exercitio enim passionis (quod per decẽ meditationes distinguitur) exprimitur quis & qualis, pro quibus & qualibus, ex quali & quãta charitate, quæ & quàm dura ac indigna: cum quibus & quo fructu ac fine passus sit Christus Dominus. Deinde sequitur peculiare amoris exercitiũ, per considerationem diuersorũ nominum Dei amabilium, & perferuentẽ obsecrationẽ pro impetrãdo Dei amore & actibus eius. Tertio loco ponũtur exercitia pro abnegatione suiipsius, & crucis cuiuslibet amplexu & tolerãtia. Quarto, subiungitur obsecratio ꝑ imitatione virtutũ Christi. Quinto, sequitur deprecatio venię pro defectibus & vitijs cõtra ipsas virtutes commissis. Postremo fit oblatio totius exercitij, cum ob-

ſecratione pro fructib. & fine paſſionis Chriſti impetrandis. Cęterùm cùm hæc exercitia proponantur proficientibus, & in via illuminatiua ſeſe exercere cupiẽtibus:ab his debent frequentari, qui à carnalibus & mundialibus deſiderijs iam abſtracti, per exercitia contritionis, & alia quæ in primo tractatu ſunt tradita,in via purgatiua ſeſe probè exercuerint. Vanum enim & præſumptoſum eſſet ad hæc ſpiritualia exercitia aſſurgere,& in his ſe exercere,priuſquã peccãdi affectus fuiſſet per verã pœnitẽtiã extinctus, & cõſcientia à peccatis purgata.Quoniã in maleuolã animã non introibit ſapiẽtia, nec habitabit in corpore ſubdito peccatis. Qui verò fuerit ſtudioſè exercitatus in exercitijs primi tractatus quæ ad viã purgatiuã pertinẽt,cũ multa facilitate & promptitudine poterit in ſequentibus exerceri. In quibus amoris exercitia ad hoc aſſumet & diriget,vt per ea diuino amore ſuccenſus,poſſit per eũdẽ amorẽ & propter eũ faciliùs & efficaciùs ſeipsũ abnegare,crucẽ ſuã tollere & Chriſti virtutes ſectari, non autẽ vt ad ſublimẽ illam vnionem & transformationẽ diuinã ſtatim perueniat. Qui enim neglecta ſui ipſius abnegatione &crucis amplexu,virtutũq; exercitatione,prẹſumeret ſe totũ tradere exercitio vnitiui amoris per dulces & ardẽtes aſpirationes,quãtò altiùs in cõtẽplatione volaret,tãtò periculoſiùs ſtaret, & occurrente tentatione vel ſenſibilis gratiæ, & deuotionis ſubſtractione,grauiùs caderet.Si tamen aliquis nondum in prædictis ſatis exercitatus, & verſatus, ſenſerit aliquando apertè Dei tractum ad contemplationis guſtum, & amoroſam

5. Hæc exercitia debent aſſumi ab his qui in via purgatiua ſunt exercitati.

6. Amoris exercitia qualiter ſunt hic aſſumenda.

vnionẽ ipſum inuitantis & trahẽtis(ſicut aliquando quoſdã dignatur Dominus in ſuis benedictionibus præuenire)nõ debet tractũ illũ contẽnere,vel repellere:ſed humiliter,& cum gratiarũ actione ſuſcipere ac ſequi,quãdiu durauerit, atq; ea eius guſtu ſeſe viriliter poſteà accingere ad ſui ipſius abnegationem, crucis amplexũ & virtutũ exercitationẽ.Si enim ſentiens huiuſmodi tractũ, quieſceret in eius delectatione & dulcedine, & negligeret ſeipsũ abnegare & aduerſa pati,vel ſi inde gloriaretur,& ſibi complaceret, abuteretur dono Dei, grauiterq; Deũ irritaret, atq; niſi reſipiſceret, tãtò grauiùs caderet, quãtò altiùs fuiſſet eleuatus.

7. *Ad amorem vnitiuũ non eſt. ſtatim aſſurgendum.*

NVLLVS ergo præſumat ſine ſpeciali tractu Dei, ad amorẽ illũ vnientẽ ſtatim aſpirare,& ſe totum in eius exercitio occupare, niſi prius in vitiorũ, & priuati amoris mortificatione, virtutumq; praxi & ornatu ſe fideliter exercuerit. Et qui ſpeciali tractu præuentus amorẽ illũ vnientẽ guſtauerit,ſtudeat ex eius guſtu proficere in ſui abnegatione & virtutibus, atque inde humilior & timoratior fiat. Quod ſi Deus talẽ tractũ ſpecialẽ ab eo poſteà ſubtraxerit,tũc quaſi nihil antea de diuina dulcedine guſtaſſet,ſubmittat ſe humiliter alterius (ſi quẽ habet ſpiritualẽ patrẽ)directioni,& permittat ſe tãquã nouũ tyronẽ in mortificatione exerceri. Si enim de guſtato Dei tractu elatus & confiſus, neglexerit directoris ſui conſiliũ ſequi,pro certo à dęmone,vel à ſe ipſo decipietur. Ergò quicũque exercitia iſta proficiẽtibus propoſita & accõmodata, ſuſcipere voluerit,contẽtus ſit in exercitio amoris eatenus,& tãdiu ſe exercere,quoád ſenſerit ſe

per illud inflãmatũ ardẽti amore Dei,& desiderio feruẽti sese propter ipsum abnegãdi, & crucẽ omnẽ tolerãdi virtutesq; eius imitandi.

Ceterùm licet sequẽtia exercitia prolixiora videãtur, si tamen modo & ordine infrà præscribendis exerceãtur,facilia & iucunda videbuntur. Neque enim ea proponũtur, vt simul omnia debeant exerceri, sed vt paulatim ab vnoquoq; eatenus assumãtur, quatenus ingenij eius capacitas,deuotio,status,& otiũ ei permittũt illa assumere,& his sic vacare,vt ab alijs ex suo statu vel officio debitis nõ retardetur.

Porrò in singulis decẽ meditationibus sequentibus hunc ordinẽ & modũ (ô studiose exercitator)seruabis.In primis præmitte orationẽ prolixiorẽ quãdo voles inchoare vnam ex sequẽtibus decẽ meditationibus. Quando verò iam vna hora inchoatã meditationem, sequẽti hora ad meditandũ tibi assignata,voles prosequi,vtere tãtũ breuiori oratione præparatoria.Post orationẽ præparatoriã lege prçfationẽ generalẽ prolixiorẽ,vel breuiorẽ,pro vt tibi per otiũ licuerit & libuerit. Præfationi subiunge vnam meditationẽ de Domini passione, putà primam. Posteà offer passionem meditatã cum obsecratione pro igne diuini amoris obtinendo. Deinde lege & meditare adorationes & obsecrationes super quinque ternarijs amabiliũ Dei nominũ primæ meditationi applicatorũ.Post hæc subiũge exercitia pro diuersis actibus amoris diuini,pro abnegatione sui,&baiulatione crucis,& pro imitatione virtutũ Domini nostri IESV Christi. Deinde peculiariter obsecra pro praxi earum virtutũ quæ primæ meditationi sũt assignatę.

8. *Ordo & modus seruãdus in sequẽtibus meditationibus.*

Postremò

Poſtremo pro cõcluſione totius meditatiõis, veniã deprecare pro culpis cõtra virtutes meditatas cõmiſſis. Deinde offer Deo meditationis exercitiũ, & obſecra pro fructibus paſſionis. Sic primã meditationẽ perficies: qua abſoluta, ſecundã ſimili ordine & modo exercebis. Deinde tertiã, & reliquas ſuo ordine: in ſingulis hęc tria tantũ varians, ſcilicet meditationẽ Dominicæ paſſionis, quinque ternariorũ nominũ Dei cõſiderationẽ, & obſecrationẽ pro peculiaribus virtutibus cuilibet meditationi aſſignatis. Cętera enim in ſingulis decẽ meditationibus ſunt exercenda, ſicut in prima meditatione dictũ eſt illa debere aſſumi & exerceri. Si tamẽ nolueris toties repetere exercitia pro actibus diuini amoris, & pro abnegatione tui ac crucis baiulatione, poteris illis omiſſis cętera exercere. Porrò vna meditatio nõ proponitur tibi exercẽda vno die, ſed tot diebus, quot videris te neceſſe habere, vt eã deuota affectione percurras. Hoc obſeruãs vt ab eo loco ſeu articulo, in quo vnã meditationis horã finieris, meditationẽ ſequẽtis horę ad meditandũ aſſignatæ, ſemper inchoes, pręmiſſa breuiori præparatione. Sic procedendo, nõ inuenies has meditationes eſſe prolixiores, nec cũ tædio eas exercebis, ſed nouã ſemper deuotionẽ & guſtũ in illis experieris, ex varietate nominũ amabiliũ & virtutũ, aliorũque actuũ qui in ſingulis meditationib. exercẽtur. Cęterũ numeri qui in ſequentib. exercitijs ſingulis articulis prænotantur, referũtur ad mẽbra Chriſti in pſalterio decachordo notata, vt illis applicẽtur, ſicq; faciliùs & deuotiùs memoriæ commendentur, prout decla-

ratum est in libello psalterij Decachordi. Nomina autẽ quæ grossiori charactere scribũtur sunt ea quæ potissimum memoriæ sunt retinenda, in quibus alia facilè subintelligũtur.

CAPITVLVM SECVNDVM.

Oratio præparatoria ante singulas decem meditationes sequentes præmittenda.

BEnignissime IESV Domine, credo & certus sum te velle, tibiq; gratissimũ esse, vt ego orationi mẽtali, & exercitijs spiritualib. insistã, cùm hoc cedat ad maiorẽ tui honorẽ, & per hæc maiorẽ tui notitiã, amorẽ & desiderium assequar, prõptiórq; & fortior reddar ad omne tuũ beneplacitũ ex amore perficiendũ, in quo salus mea, & beatitudo consistit. Quia ergo id vis, ideò tui amore me ipsũ abnegãs, & ab omni cõtrario desiderio auertẽs, tibiq; obediẽs, & nihilominus ad aliud quodcũque, & quandocũque volueris, me resignans: ecce volo, desidero, & propono de cętero huic orationi mẽtali, & exercitijs spiritualibus, quantùm & quoties consulueris & donaueris, studiosè & deuotè intendere, & operam dare.

1. *Deo gratum est, vt exercitio spirituali insistamus.*

2. *Ex puro Dei amore & obedientia hæc exercitia sunt assumenda.*

Desidero inquã in ipsa oratione mẽtali, & exercitio spirituali, in tua præsentia reuerẽter stare & manere, tibi vacare & intẽdere, quid in me loquaris, & à me exigas, solicitè audire, obseruare, & intelligere, tractũq; tuũ prõptissimè sequi. Desidero etiã te adorare, glorificare, amare, tibiq; congratulari, & gratias agendo me totum in perpetuum obsequium, & supremum tuum beneplacitum offerre.

3. *Actus qui in his exercitiis spiritualibus sũt exercẽdi.*

Desidero tibi perfectè obedire, abnegare meipsum, tollere post te quotidie crucẽ meã,

sequi te per imitationẽ tuarũ virtutũ,& sic im petrare fructus tuæ vitæ & passionis. Deside-ro insuper te exorare pro me & pro omnibus pro quibus tu vis aut ego teneor vel intendo specialiùs orare, hæc omnia per sequentium exercitiorũ vsum, & frequẽtationem volo & desidero exercere & implere, quia vis, & sicut vis, scilicet, vt ista tibi propter te exhibeã, non autẽ propter meũ cõmodũ, aut propriã quæsitionem, nisi quatenus tu vis me propriã salûtem quærere & operari, hæc inquã volo & desidero, sed despero & prorsus diffido hæc me posse assequi mea industria, labore & virtute. Scio enim in veritate, & humiliter cõfiteor, quod ad hęc tam sublimia exercitia non solùm sum ex me insufficiẽs, sed planè indignus, quẽ tu ad hæc adiuues & admittas, cum tibi hactenus tam infidelis, inobediens & ingratus fuerim, cumq; tam negligẽs, sensualis, extrouersus, tepidus, ignarus, insipiens instabilis, & infirmus adhuc sim. Sed Abba pater, omnia tibi possibilia sunt. Si vis, potes me facilè ad ista excitare, dirigere & perficere. Nec dubito quin velis. Tu enim scis quã ista sint vtilia & necessaria ad tuũ honorẽ, meámque & proximorũ salutẽ. Tu vis tuũ honorem cuius es zelator, tu vis animarũ nostrarũ (quarũ es amator ardentissimus) salutẽ. Sicut ergò scis ad vtrũque expedire, & quando, & quantùm, & quibus modis scis esse vtilius, atque sicut vis, & sicut potes, ad hæc exercitia spiritualia me & omnes qui tenentur, & cupiunt sic exerceri, præsertim meos speciales.

Intentionis directio.

4. *Confessio propriæ insufficiẽtiæ & indignitatis.*

5. *Imploratio diuinæ gratiæ.*

6. *His nouẽ verbis petũtur nemem ad meditandum necessaria.*

1 SANCTIFICA, & purga ab omni vitio & indignitate.

2 EXCITA ab omni tepore & negligentia.

3 CON

3 CONFORTA vires animæ & corporis.

4 COHIBE, omnia impedimenta exteteriora & interiora.

5 COMPONE modum & progressum.

6 STABILI nos in istis exercitijs, dans fortem perseuerantiam.

7 REPLE memoriã & mentẽ, placitis tibi speciebus obiectis & cogitationibus, excludens ab ea omnia distrahentia.

8 ILLVMINA intellectum tua veritate & sapientia, ne erret.

9 ILLVMINA voluntatẽ & affectum, vt cũ amore & sapore omnia perficiamus.

7 Et ADIVVANS fac vt verè. I. PROPTER TE, & tuum amorem ac beneplacitum. II. Et SECVNDVM TE, tuæque sapientiæ directionem. III. Ac PER TE, tuæque gratiæ & spiritus motionem & auxilium. IIII. ET TECVM, in tua præsentia manens, & tuæ gratiæ fideliter cooperans, tractumque tuum solicitè attendens & perfectissimè implens, aggrediar, prosequar, & perficiã hæc exercitia spiritualia. V. In vnione omnium orationum & meditationum quas tu. VI. Et deuotissima mater tua. VII. Alijque sancti hîc vnquam fecistis. VIII. Ad tuam sanctorumque gloriam. IX. meamque & meorum ac omnium salutem. Quod à tua plusquàm paterna bonitate, sapientia & potestate oro, supplico, & peto.

7. Alia nouem meditandi valde vtilia.

8 AMANTER I. Et quia vis me id petere & impetrare. II. FIDELITER, credens te posse & velle hoc mihi præstare. III. HVMILITER, agnoscens me ad hoc insufficientem, & indignum. IIII. OBSECRANTER.

8. Notã cõditiones decẽ orationis hic expressas qua ad impetrãdum sunt efficacissima.

9 OBSECRANTES TE, I. per diuinitatis

9. Nota etiã nouẽ fana media per vtilissimè fit obsecratio.

tuæ in præſentiam,ſapientiam,potentiam, & bonitatem.II.Per tuam erga nos charitatem, prouidentiam & benignitatē, omnemq́; eius affectum & plenitudinē. III. Per tui corporis & ſanguinis ſacrificium & ſacramētum. IIII. Per omnia quæ aſſumpſiſti,feciſti,& pertuliſti pro noſtra ſalute.V.Per ſeptiformē ſpiritū tuum.VI. Per Angelicum miniſterium. VII. Per pijſſimæ matris tuæ amorem, dolorē & interceſſionem.VIII.Per patronorum meorū, & omnium ſanctorum merita, exēpla & ſuffragia.IX.Tuorumq́; ac meorum ſpecialium qui ſunt in hoc mundo preces & auxilia, per hæc inquam omnia te obſecrās. V. Confidēter expecto & ſpero à te exaudiri.Si tamē ſtuduero perſeuerare in hac mea petitione. VI. Feruenter,non tepida nec remiſſa, ſed ardēti voluntate & ſtudio.VII.Patienter, ferēdo laborem & difficultatē horū exercitiorū. VIII. Longanimiter ſuſtinēdo dilationem optatæ & deſideratæ exauditionis.IX.Efficaciter,adhibendo ſtudium & conatum ad hæc neceſſaria.X.Et reſignanter, committendo plenè & perfectè tempus, modum & menſurā mei profectus & ſperatæ exauditionis, tuæ superſanctiſſimæ & ſuperlaudabiliſsimæ ac ſuperdeſiderabiliſsimæ volūtati,ordinationi & diſpoſitioni, quod libenter facio, & ſemper facere propono te donante & cooperante. Nunc igitur ſic de me diffidens,ſed in te plenè confidens, aggredior hæc exercitia, cum integra reſignatione aliud aggredi quoties & quādocumque volueris, & perfectè ſequēdi tractum tuum,quocumque me ducere volueris,quem ſupplico, volo & propono ſoli-

citè obſeruare, ſentire, intelligere, & promptiſſimè ſequi.

Breuior præparatio præmittenda quoties vis vacare & intendere orationi mentali, ſeu exercitio ſpirituali.

Superamandiſſime & ſupercolendiſsime IESV, quia vis vt nunc ſpirituali exercitio intendam, ideò tui amore meipſum abnegans, tibiq́ue obediens, hoc propter te aggredior, diffidens prorſus de me, ſed de te plenè confidens, teq́ue amanter & confidenter obſecrãs, vt ad hoc me ſanctifices, excites, confortes, cohibeas, componas, ſtabilias, repleas, illumines, afficias, & adiuues vt hoc proſequar & perficiam, in vnione omnium exercitiorum tuorum, ad tuam & ſanctorum tuorũ gloriã, meamq́ue & omnium ſalutẽ, in tua præſentia ſemper reuerenter manens, tibi intendens, & quid intus mihi loquaris, aut à me exigas ſolicitè obſeruare, audire & intelligere ac prõptiſsimè implere deſiderans, obſecrans, & in te ac per te firmiter proponens.

Adhuc alia breuior præparatio.

Superamandiſsime IESV, quia vis, & ſicut vis nunc volo mentaliter exerceri. Adiuua me vt hoc purè propter te, ſecundùm te, per te, & tecum in præſentia tua manens, & tractum tuum perfectiſsimè ſequens, inchoem, proſequar & perficiam, in vnione tuorum exercitiorum: ad tuam & ſanctorum laudem, meamq́ue & omnium ſalutem.

Alia breuiſsima præparatio.

Superamãdiſſime IESV, quia vis & ſicut vis, volo nũc meditari, adiuua me vt hoc purè & fructuosè faciã, in vnione tuarũ meditationũ.

tium inchoans VIII. *Et quia affectus tuus nimis est tepidus, assumis affectum & deuotionẽ Beatæ Mariæ & omniũ ſanctorũ.* IX. *Adiungis etiã tecũ, tuos ſpeciales, hoc eſt, eos pro quibus teneris aut intendis exorare, & omnes fideles hîc adhuc viuentes, atque animas in purgatorio detentas, vt hos omnes facias participes tuæ orationis & exercitationis* X. *Deinde vt tua oratio ſit Deo gratior atque ad imperãdũ efficacior, eã facis & offers per cor & ſpiritũ Ieſu: hoc eſt, per eius cordialẽ amorẽ & deuotionẽ, ſpiritualémque mentis exceſſum & contẽplationẽ.* XI. *Poſt hæc ad tres ſimul Trinitatis perſonas exercitiũ tuũ dirigis, eáſque adoras tota mẽte, intellectu, volũtate, corde & anima ac ex totis viribus, vbi per cor, intellige rationẽ inferiorẽ & vim concupiſcibilẽ & iraſcibilem, per animã, intellige animã prout corporis ſenſus viuificat & mouet. Sic autẽ adoras Deũ in ſpiritu & veritate, & prægustas beatorum actus.* XII. *Poſt adorationem, gratias agis pro omnibus bonis Dei & beneficijs ab eo collatis vniuerſæ creaturæ, & teipſum totũ offers Deo in omne eius beneplacitũ & obſequiũ. Prædicta autẽ omnia conueniũt, & vtiliter præmitti poſſunt cuilibet meditationi ſeu orationi mentali, in qua deſideras Deum adorare & glorificare pro quibuſcũque beneficijs, aut nominibus. Quæ verò ſequũtur ab eo loco (ſpecialiter autẽ) propria ſunt meditationi quæ fit de vita & paſſione Domini noſtri Ieſu Chriſti.* XIII. *Atque in primis breuiter cõmemorãtur beneficia prædeſtinationis, creationis, & redemptionis, vt ex horum recordatione animus ad amorem & gratitudinẽ inflãmetur.* XIIII.

Deinde ponitur peculiaris gratiarum actio pro Christi passione. XV. Vbi exprimetur tres qualitates Christi patientis, ante singulas meditationes de passione Christi sequentes considerandæ ad excitandam deuotionem & dilectionem.

1. *Quatuor de Christo credēd. & profitēda.*

PRÆFATIO GENERALIS præmittenda ante singulas decem quæ consequenter ponentur, meditationes, ad captandam Dei beneuolentiam, & mentem deuotiùs excitandam & eleuandam.

1 *O Vnice, fidelissime, & certissime amator, IESV Christe, Fili Dei, & semper virginis Mariæ, Deus, & homo perfectissime, & omnia.*

2. *Decē nomina superlatiua Dei, animū meditantis eleuātia.*

1 Tu es mihi PRAESENTISSIMVS, in cuius etiam præsentia & conspectu sto, & stare semper desidero.

2 Tu es REVERENDISSIMVS, quem summè reuereri debeo & volo.

3 Tu es mihi INTENTISSIMVS, singulariter mihi intendens, cordis mei scrutator verus, ac linguæ meæ auditor, cui etiam intendere & vacare desidero.

4 Tu es SAPIENTISSIMVS, sciens quæ mihi necessaria sint & vtilia ad tuum honorem & meam salutem.

5 Tu es PROMPTISSIMVS, & paratissimus me iuuare, & in omnib⁹ salubriter exaudire.

6 Tu es POTENTISSIMVS, potens id facere sicut scis, & vis.

7 Tu es mei AMANTISSIMVS, perpetua & infinita charitate me diligens & amans.

8 Tu es BENEFICIENTISSIMVS, qui im-

mensa beneficia mihi contulisti & conferre non cessas.

9 Tu es SVPERAMANDISSIMVS, quem plusquàm me & omnia, amare debeo & volo.

10 Tu es SVPERCOLENDISSIMVS, Cui super omnia seruire & obedire teneor, & ex amore volo & propono.

3 Tu cum patre & Spiritu sancto, es secūdùm diuinitatem tuam, vnus Deus & vnus omnium Dominus, quem adorant dominationes, & tremunt potestates. 3. *Christus cum patre & spiritu sancto vnus Deus & Dominus.*

4 ANTE cuius conspectum beatissima virgo Maria, throni Cherubin, & Seraphin, omnesque beati Angeli & sancti, cum summa humilitate, reuerentia & tremore procedunt, teque iugiter adorant & reuerentur, te contemplantur & glorificant, te amant & cōgaudentes amplectuntur, atque sese totos in omne obsequium & beneplacitum tuum liberalissimè offerunt. 4. *Quàm reuerèter Ecclesia triūphās sanctissimā Trinitatē adoret.*

5 EGO autem sum vilissimus terræ vermiculus, ego ingratissimus, infidelissimus & prorsus abominabilis sum peccator, qui ex me nihil sum, scio, possum, aut habeo, præter innumera peccata tibi soli plenè cognita. Propter quæ, verè agnosco & confiteor me non solùm indignum coram te assistere, oculos ad te leuare, aut nomen tuum inuocare vel laudare, sed etiam dignissimum quem propter multiplices inobedientias & offensas contra te, tuamque infinitam maiestatem & bonitatem commissas, in gehennam ignis æterni proiicias, aut certè tanquam immundum à te repellas, vel tanquam tepidum ex ore tuo euomas. 5. *Confessio vilitatis propriæ & indignitatis.*

6 Sed

ſpecialibus, vniuerſæque creaturæ à te exhibitis & exhibendis. 13. SPECIALITER autē gratias ago tibi, pro eo quòd tu Deus, tibi ſuperficiētiſſimus & ex te ſuperbeatiſſimus, ex immenſa & prorſus gratuita charitate, ab æterno nos agnoſcens amaſti, & prædeſtinaſti: proponens nobis dare tuam beatitudinē, & omnia ad eam aſſequendam neceſſaria, ſi voluerimus te amare & mandata tua ex amore ſeruare. Et vt huius beatitudinis capaces nos faceres: ad imaginem & ſimilitudinem tuā nos creaſti: dans nobis memoriam, intellectum & voluntatem, quibus te ſummū bonum recolere & poſſidere, cognoſcere & laudare, amare & amplecti, tuaq; fruitione beatificari poſſemus. Beatos etiā Angelos & creaturas omnes in noſtræ ſalutis miniſterium ordinaſti & deputaſti. Et cùm per noſtri primi parentis Adæ peccatū, omnes priuati eſſemus iure & ſpe huius beatitudinis tuæ conſequendæ, naſceremúrque filij iræ, & damnationis æternæ: tu, vt ab hac ira & damnatione nos redimeres, & ad tuam beatitudinem rurſus repatares, voluiſti ex nimia & exceſſiua charitate, humanam noſtram naturam tibi perſonaliter vnire, & perfectus Deus manēs, perfectus homo fieri, pati & mori. 14. GRATIAS igitur ago tibi, per ſuauiſſimum cor & ſpiritū tuum, Domine IESV CHRISTE, Deus & homo perfectiſſime, & amator fideliſſime: 15. PRO eo quòd tu Deus omnium creator & Dominus ſuperreuerendiſſimus, & ſuperlaudabiliſſimus & ſuperbeatiſſimus: pro nobis viliſſimis, contemptibilibus & miſerrimis creaturis tuis, voluiſti humiliari, vilipendi & con-

13. Specialis oratio gratiaris pro beneficiis prædeſtinationis, creationis, gubernationis, & Chriſti incarnationis.

14. Peculiaris gratiarū actio pro Chriſti paſſione

15. Tres Chriſti patiētis conditiones omnibus & ſingulis meditationibus ſequentibus præmittendæ.

temni. Tu homo, omnium hominum perfectissimus, nobilissimus, tenerrimus, sanctissimus & amabilissimus: pro nobis abiectissimis, turpissimis & sceleratissimis peccatoribus, voluisti crudelissimè affligi. Tu amator ardentissimus, fidelissimus & beneficentissimus, pro nobis tepidissimis, infidelissimis & ingratissimis, voluisti indignissimè tractari.

CAPITVLVM QVARTVM,

CONTINENS TABVLAM, simul complectentem & ob oculos ponentem decem meditationes passionis Dominicæ: in quarum singulis hæc nouem puncta variantur & diuersa ponuntur, videlicet,

QVIS & qualis est Christus qui pati dignatus est. II. Pro quibus & qualibus. III. Qua charitate id fecit. IIII. Quæ & qualia passus est. V. Cum quibus virtutibus. VI. Pro quibus vitijs expiandis. VII. Pro quibus inferni pœnis redimendis. VIII. Pro quibus cœli præmijs obtinendis. IX. Et cum quibus Angelorum & sanctorum choris & ordinibus. Hæc enim nouem puncta singula, distinguuntur per decem numeros: & quæcumque primo numero prænotantur, pertinent

ad primam meditationem: quæ ſecundo, ad ſecundã; quæ tertio, ad tertiam: & ſic conſequenter, vſque ad ea quæ decimo numero prænotata decimam faciunt meditationem.

¶ I. Quis & qualis Chriſtus: II. Et pro quibus & qualibus eſt paſſus.

1 Tu pater noſter ſuperpijſsimus: pro nobis filijs tuis prodigis.
Tu vnicus Dei Patris naturalis filius, per incarnationem factus frater noſter primogenitus, pro nobis adoptatis & indignis fratribus tuis.
Tu ſanctus ſanctorum: pro nobis ſceleratis & immundis.

2 Tu Creator & poſſeſſor omniũ opulentiſsimus: pro nobis pauperibus creaturis tuis.
Tu Iudex ſupremus & æquiſsimus: pro nobis criminoſis reis.
Tu aduocatus & patronus noſter: pro nobis ingratis clientulis tuis, meritò condemnandis.

3 Tu rex glorioſiſsimus: pro nobis læſæ tuæ maieſtatis reis, & exulibus miſerrimis.
Tu Princeps noſter ſupremus: pro nobis ſubditis & vaſſallis tuis rebellibus.
Tu rector morum ſuauiſsimus: pro nobis peruerſis & diſtortis.

Tu Dominus ſupremus & ſuperco-
lendiſsimus:pro nobis ſeruis tuis inuti-
libus,infidelibus & malis.
Tu Emanuel,Deus nobiſcum , carne
4 noſtra veſtitus:pro nobis miſerrimis ho
minibus ingratis.
Tu amicus noſter certiſsimus: pro
nobis cùm adhuc inimici tui , tibíque
rebelles,& à te auerſi eſſemus.

Tu præceptor reuerendiſsimus: pro
nobis ſubditis inobedientibus.
Tu magiſter ſapientiſsimus : pro no-
5 bis diſcipulis inſipientibus.
Tu legifer noſter ſanctiſsimus , pro
nobis legis tuæ tranſgreſſoribus.

Tu paſtor bonus , & prouiſor noſter
benigniſsimus : pro nobis ouibus tuis
errantibus,perditis & fame oppreſsis.
Tu imperator ſupremus , & dux no-
ſter inuictiſsimus: pro nobis militibus
6 tuis ignauis, profugis, & tui proditori-
bus.
Tu viſitator noſter & reformator:
pro nobis difformatis, diſſolutis & irre-
gularibus.

Tu creditor noſter, & bonorum om-
niũ largitor munificentiſsimus:pro no-
bis debitoribus tuis ingratis , bonorum
tuorum diſsipatoribus,pauperibus, nec
habentibus vnde debita tibi reddamus.
7 Tu fideiuſſor fideliſsimus:pro nobis
obligatis,& egenis.
Tu ſummus ſacerdos & pontifex no-
ſter:pro nobis plebe tua ingrata & per-
uerſa.

Tu protector & custos potentissimus: pro nobis vndique obsessis & tentatis, ac imbecillibus.

8 Tu medicus benignissimus: pro nobis ægrotis & moribundis.

Tu tutor noster & caput: pro nobis orphanis & membris tuis.

Tu liberator fortissimus: pro nobis captiuis miserrimis.

9 Tu IESV Saluator: pro nobis perditis, & damnationis æternæ reis.

Tu sponsus zelantissimus: pro nobis indignissimis sponsis tuis, adulteris, & multis fornicationibus abs te auersis.

Tu Deus optimus & beatissimus: pro nobis malis & miserrimis.

Tu mortuorum suscitator: pro nobis per peccatum mortuis & ab æterna

10 morte merito plectendis.

Tu glorificator sanctorum: pro nobis impuris & confusione dignis, sanctificandis & glorificandis.

3 *Qua charitate passus est Christus.*

Tu inquam tantus & talis ex charitate

1 Paterna, fraterna, æterna & sancta:

2 Profundissima & prorsus incomprehensibili:

3 Patientissima, longanimi & indeficiẽte:

4 Cordialissima & suauissima:

5 Veraci, sapientissima, fortissima, & constantissima:

6 Esurientissima, feruentissima, fortissima & constantissima:

7 Communiſſima & latiſſima, liberaliſſima & prorſus gratuita:
8 Altiſsima & extatica, nimia & exceſſiua:
9 Singulari, ſponſali, continua & inſeparabili:
10. Diuina, infinita, & perpetua.

4 *Quæ & quanta paſſus ſit Chriſtus.*

Dignatus es pati

1 Humiliationes voluntarias, contemptum, opprobria, ludibria, comitia & blaſphemias.
2 Penurias & neceſſariorum indigentias: iudicia contra te iniuſta, & damnationem ad mortem crucis.
3 Huius exilij pœnalitates, moleſtias, labores & miſerias:
4 Summam ſubiectionem & ſeruitutem, odia & inuidias.
5 Triſtitias & agonias mortis, contritiones cordis pro peccatis noſtris, compaſsiones, & anguſtias pro noſtris miſerijs.
6 Eſuriem, & ſitim, cruciatus, vulnera, flagella, crucis baiulationem & fatigationem.
7 Nudationem & ſpoliationem omnimodam: veſtium tuarum direptionem & partitionem: omnium bonorum priuationem, & proprij tui ſanguinis totalem effuſionem.

8 Hoſtium obſeſsionem & inſultationem: langores & infirmitates totius corporis: ſpineam capitis tui coronationem, faciei velationem, conſpuitionem, & percuſsionem, ſenſuúmque omnium afflictionem.

9 Captiuitatem & vincula, clauorum confixionem & cruciatum immenſum.

10 Mortem crucis ignominioſiſsimam & crudeliſsimam & paſsioné generaliſsimam.

5 *Quomodo & cum quibus virtutibus paſſus eſt Chriſtus.*

Tu inquam paſſus es tot & tanta

1 Cum humilitate cordis, reuerentia ſumma, taciturnitate, verecundia & modeſtia.

2 Cum paupertate voluntaria, interiori, & exteriori, cum ſobrietate, caſtitate & deuotione.

3 Cum auſteritate diſcreta, patientia inuicta, manſuetudine, pietate, & benignitate.

4 Cum charitate Dei & proximi, intentionis rectitudine, abnegatione tui commodi, & obedientia.

5 Cum pio luctu, & contritione ſancta: compaſsione intima, & oratione continua.

6 Cum eſurie & zelo iuſtitiæ, diſcreta ſeueritate, & benignitate: ſtrenuitate & feruore: magnanimitate, fortitudine & conſtanti perſeuerantiã.

7 Cum miſericordia, veritate & iuſtitia: cum gratitudine, liberalitate & magnificẽtia.

8 Cum temperantia & abſtinentia: cum ſenſuũ puritate & cõtinentia, cũ cordis munditia, & ſpiritus eleuatione ac contẽplatione.

9 Cum prudentia,ſapientia,& eloquentia: cum ſimplicitate,pudicitia,& pace, ac pacificatione.

10 Cum tolerantia perſecutionum propter iuſtitiam,cum innocentia,ſecuritate, gaudio ſpirituali,& finali perſeuerantia.

¶ *Vitia prædictis virtutibus contraria, pro quibus diluendis paſſus eſt Christus.*

Tu inquam cum his & cæteris virtutibus, tot & tanta paſſus es: vt honorares, placares, & nobis reconciliares Deum patrem tuum: quem inhonoraueramus, offenderamus, & irritaueramus noſtris peccatis,videlicet,

1 Noſtris ſuperbijs,irreuerentijs,iactantijs & loquacitatibus, oſtentationibus, & arrogantijs, præſumptionibus, & vana gloria,ac ambitionibus.

2 Noſtris proprietatibus,cupiditatibus,ſuperfluitatibus & curioſitatibus, noſtríſque gulæ & luxuriæ concupiſcentijs & immunditijs,ac indeuotionibus.

3 Noſtris inordinatis voluptatibus & delectationibus,impatientijs,iracundijs,impietatibus & malignitatibus.

4 Noſtris priuato & inordinato amore, contemptu Dei,odijs,maleuolentijs,propria quæſitione,voluntate & ſenſu, ac inobedientijs.

5 Noſtris inepta lætitia, riſu, cordis duritia,incompaſsione,inuidia,orandi negligentia,& indeuotione.

6 Noſtris tepiditatibus,torporibus, pigritijs,ſomnolentijs,negligentijs,acedijs,tędijs, remiſſionibus, indulgentijs, puſillanimitate, fragilitate, inconſtantia, inſtabilitate, imperſeuerantia, & ingratitudine.

7 Noſtris immiſericordijs,mendacijs,dolis, tenacitate, auaritia, prodigalitate & paruificentia.

8 Noſtris intemperantijs, linguæ & ſenſuum incontinentijs,cordis immunditijs,ſpiritus depreſſione.

9 Noſtris imprudentijs,ſtultitijs, multiplicitatibus, impudicitijs,perturbationibus,diſcordijs.

10 Noſtris impatientijs in perſecutionibus,vanis timoribus & ſæculi triſtitijs: mundanis fauoribus, & proſperitatibus.

¶ Pœnæ Inferni à quibus vt redimeret nos Chriſtus paſſus eſt.

Tu paſſus es vt placares patrem irritatum noſtris præfatis vitijs, & vt nos redimeres ab infernalibus pœnis prædictis peccatis noſtris debitis: ſcilicet,

1 A ſuperbię & proprię exaltationis & honoris affectu perpetuo,& continua confuſione, opprobrijs & inſultationibus dæmonum: & contemptu à Deo & Sanctis.

2 Ab inſatiabili cupiditate habendi,& gulæ ac luxuriæ ſatisfaciendi: & perpetuis ac continuis periurijs, indigentijs, eſurie,ſiti, & pœnali confuſione.

3 A continuis & perpetuis pœnis innumeris, à ſpiritu procellarum, & ſumma impatientia,ira, furore, & blaſphemia continua.

4 A proprio amore & volũtate dominandi: ac perpetua ſeruitute dæmonum crudeliſſimorum: odióque Dei & inobedientiæ affectu, & coacta ac multum inuita ſubiectione eidẽ cũ perpetuo murmure & indignatione.

5 A voluntate peccandi continua, & eiuſdem voluntatis punitione, cum nimia triſtitia: ab inuidia & triſtitia iugi de fœlicitate Dei & ſanctorum, odióque eorum: à deſperatione omnis ſolatij & liberationis ac exauditionis: à verme conſcientiæ.

6 Ab acedia & faſtidio omnis boni Deo placiti: à frigore immoderato & torpore ac ponderoſitate: à flagellis & cruciatibus infinitis & intolerabilibus, & paſſibilitate ſumma: à carentia ſomni & quietis, à ſubiectione dęmonũ, à quibus dãnati ſunt victi & captiui.

7 Ab immiſericordiæ & iniuſtitiæ affectu continuo, & miſericordiæ impetrandæ deſperatione: ab igne gehennæ inextinguibili & intolerabili: à continua maledictione & blaſphemia in Deũ & Sãctos, & in proximos.

8 Ab generali & continua ſenſuum omnium afflictione: ſcilicet à tenebris exterioribus & viſu dæmonum & corporum ſuorum deformium: ab auditu inſultationum & maledictionum: ab omni fœtore: à fame, ſiti, & cibis ac potu amariſſimo: à cruciatu omnium membrorum: à cordis immunditia: à carentia perpetua viſus Dei & Sanctorum.

9 A carcere & fœtore horribili & perpetuo: à miſerrima dæmonum captiuitate, à damnatorũ ſocietate miſerabili, & prorſus diſcordiæ plena: à perturbatione mentis continua.

10 A damnatione seu carẽtia & priuatione beatitudinis Sanctorum perpetua; sine spe vlla : à depastione mortis & vitæ immortalitate, seu continua reparatione ad nouam pœnam : à labore & persecutione dæmonum perpetua & continua sine intermissione, ab infinitis, perpetuis & intolerabilibus tormentis quæ in cor hominis non ascenderunt.

¶ Gaudia & præmia beatitudinis pro quibus nobis promerendis & conferendis Christus Dominus passus est.

Passus es etiam bone IESV, tot & tanta vt nos faceres participes.

1 Æternæ exaltationis, gloriæ, honoris, & laude filiorum tuorum.

2 Regni tui cœlestis opulentissimi : sufficientiæ plenissimæ : refectionis suauissimæ, & puritatis Angelicæ.

3 Securæ & pacificæ possessionis corporis & animæ nostræ, ac terræ viuentium: multitudinis pacis.

4 Dominij pleni : perfectæ ac suauissimæ charitatis Dei & proximi : & plenissimæ impletionis propriæ voluntatis, diuinæ iam prorsus conformis.

5 Conscientiæ pacis & serenitatis : perpetuæ lætitiæ : risus, exultationis & iubili : plenæ congratulationis bonorum omnium : perfectæ exauditionis votorũ & orationum.

6 Perpetuæ ſatietatis & inebrietatis ſine faſtidio : ſubtilitatis & agilitatis corporis: triumphalis gloriæ & victoriæ de mũdo,carne & diabolo ſuperatis:ſanitatis & ſuauitatis totius corporis.

7 Miſericordiæ ſempiternæ , & ſupereffluentis retributionis : ſecuræ tentionis & adhęſionis ac adorationis ſuperſanctiſſimę Trinitatis & tuæ humanitatis glorioſæ:eiuſdémque continuæ laudis & gratiarum actionis.

8 Æternæ ſenſuum glorificationis, in auditũ cãticorum laudis,in viſu glorificatæ tuæ humanitatis & claritatis corporũ beatorum, pulchritudiníſque vniuerſi : in olfactu iucundiſſimi odoris:in guſtu ſuauiſſimi ſaporis : in caſtiſsimo amplexu & oſculo ſanctorum : in plena ſanitate , & ſuauitate totius corporis, perpetuæ claritatis, & intuitionis tuæ diuinitatis facie ad faciem : ac transformationis in eandem claritatem.

9 Pleniſſimæ & ſecuræ libertatis:nominis & hęreditatis filiorum Dei:tranquillæ & beatæ fruitionis diuinæ bonitatis & charitatis: delitioſiſsimæ cõmunionis & ſocietatis ſanctorum omnium, & beatorum ſpirituum:pacis quæ exuperat omnem ſenſum.

10 Æternæ , ſecuræ , & fœliciſsimæ vitæ, gloriæ , ſuauitatis , & omnimodæ beatitudinis : & omnis deſiderij impletionis perfectiſſimæ : ac infinitorum , perpetuorum & inexcogitabilium bonorum omnium,abſque vlla miſeria.

¶ Angelorum & Sanctorum ordines in decem classes distincti: ad quorum societatem Christus suæ passionis merito nos perducit.

Passus es insuper bone IESV, vt nos post hanc vitam, perduceres ad societatem, præsentiam & communionem iucundissimam, Beatissimæ virginis Mariæ matris tuæ, Beati Michaëlis, Beati Ioannis Baptistæ, cæterorúmque patronorum nostrorum specialium & Beatorum

1 Angelorum & Patriarcharum.
2 Archangelorum & Prophetarum.
3 Principatuum, ac Regum & Iudicum.
4 Potestatum, & Apostolorum.
5 Virtutum, ac Euangelistarum & Discipulorum.
6 Dominationum & Martyrum.
7 Thronorum & Pontificum & Sacerdotum.
8 Cherubin, & Religiosorum.
9 Seraphin ac Virginum.
10 Omniúmque ac singulorum spirituum & sanctorum glorificatorum.

ANNOTATIO.

Actus & exercitia Beatorũ, ad quæ vt tandem perueniamus Christus suæ passione nobis promeruit: quæ licèt sint per numeros decem distincta ad iuuandam memoriam, sunt tamen post singulas decem meditationes simul omnia recolenda, hoc qui sequitur modo.

Denique passus es ô bone IESV;vt possimus tandem cum prædictis Angelis & Sanctis, sine fine te cum patre & Spiritu sancto vnum in essentia Deum, & trinũ in personis.

1 Stabiliter & inauertabiliter recolere, recogitare, & præsentem nobis sentire.

2 Securè & absque vllo amittendi metu tenere, ac plenè possidere.

3 Adorare & reuereri, cum profundissima humilitate & submissione.

4 Clarè, absque medio,& facie ad faciem videre & contemplari.

5 Continuè laudare, glorificare & superexaltare.

6 Admirari & in tuam claritatem transformari.

7 Perfectè amare, tibiq; omne bonum ardentissimè desiderare.

8 Fruitione plenissima,& gaudio tuę omnimodæ beatitudinis & gloriæ repleri, satiari, potari, & inebriari.

9 Absorberi & transformari in te,sicut ferrum ignitum in ignem.

10 Tibiq; absque medio vniri, & in tua pace in idipsum dormire & sine fine requiescere.

Passus es autem benignissime IESV, vt hæc & alia prædicta consequamur.

Si tamen voluerimus & studuerimus hîc in præsenti vita, te syncerè amare: tuiq; amore crucem nostram patienter ferre, & te in præfatis virtutibus imitari:& nũc Domine Deus superamandissime & supercolendissime:quia vis, & sicut vis, desideramus & proponimus te amare: tuiq; amore nostram qualemcum-

que volueris crucem post te libenter portare: & te in prædictis virtutibus, quantum tu dederis, imitari. Adiuua nos quia sine te nihil possumus.

CAPITVLVM QVINTVM.

Quia fortasse quibusdam videretur difficile ex præfata tabula singulas decem meditationes seorsim colligere & exercere: ideo vt rudioribus consulatur singulæ meditationes hîc seorsim ponuntur.

PRÆFATIO BREVIOR singulis sequentibus decem meditationibus præmittenda, quando præfatio prius posita prolixior videbitur.



O Vnice & fidelissime amator Iesu Christe, Deus & homo vere & perfecte: mihi semper & vbique præsentissime, intentissime, & promptissime: superreuerendissime, superamandissime, & supercolendissime Deus meus: ex affectu deuotissimæ matris tuæ, & omnium angelorum & sanctorũ, animarúmque purgãdarum: ex mea tuorúmque & meorum specialium & omnium creaturarũ parte: per suauissimum cor & spiritũ tuũ: te cum patre & Spiritu sancto trinũ & vnum Deũ adoro & reuereor: laudo & glorifico: amans congratulor: gratiasq; agẽs me totũ tibi in omne

beneplacitum tuum offero: pro omnibus ac ſingulis nominibus & perfectionibus tuis: & pro beneficijs tuis mihi tuisq; & meis omnibus ac vniuerſis creaturis à te collatis & adhuc conferendis. Et ſpecialiter pro eo quòd tu Deus beatiſsimus, bonorum noſtrorũ non egens, ex immenſa & prorſus gratuita charitate, ab æterno nos prænoſcẽs, amaſti & prædeſtinaſti, ac tempore tibi placito ad imaginem, & ſimilitudinem tuam nos creaſti: beatos etiam angelos & cęteras creaturas in noſtræ ſalutis miniſteriũ deputaſti: & nos tibi pro his omnibus ingratos & rebelles, non damnaſti, ſicut iuſtiſsimè merueramus: ſed vt ab æterna damnatione & gehenna nos redimeres, & ad beatitudinem tuam perpetuam repárares & perduceres: tu perfectus Deus manens, ex nimia prorſus & exceſsiua charitate dignatus es verus homo fieri, pati & mori. Gratias igitur ago tibi (ô Ieſu Chriſte) Deus & homo perfectiſsime: pro eo quòd tu Deus ſuperdigniſsimus, & ſuperbeatiſsimus, noſter creator & Dominus: pro nobis viliſsimis & miſerrimis creaturis tuis, voluiſti humiliari & deſpici. Tu homo, omnium hominum nobiliſsimus, pulcherrimus, tenerrimus, innocentiſsimus, manſuetiſsimus, & amabiliſsimus: pro nobis turpiſsimis, ſceleratiſsimis & omni odio digniſsimis peccatoribus, voluiſti crudeliſsima pati tormenta.

Tu amator fideliſsimus, beneuolentiſsimus & beneficentiſsimus: pro nobis ingratiſsimis & infideliſsimis voluiſti indigniſsimè tractari.

¶ *Alia præfatio communis adhuc breuior.*

O præſentiſſime & reuerendiſſime, intentiſſime & ſapientiſſime, promptiſſime & potentiſſime, Domine Ieſu Chriſte: quia vis, & ſicut vis, ex affectu compatientiſſimæ matris tuæ, beatorũm Angelorum & Sanctorum omnium: ex mea tuorumque & meorum ſpecialium & omnium fidelium viuorum & defunctorum: per pijſſimum cor & ſpiritum tuum; te adoro, laudo & amo: tibique gratias agens me tibi totum offero, pro eo quòd tu Deus omnium creator & Dominus omni reuerentia & laude digniſſimus voluiſti pro nobis viliſſimis creaturis tuis humiliari, deſpici & opprobrijs affici: tu homo nobiliſſimus, tenerrimus & innocentiſſimus pro nobis ſceleratiſsimis peccatoribus voluiſti crudeliſſimè affligi: tu amator noſtri ardentiſsimus & beneficentiſsimus: voluiſti pro nobis ingratiſsimis & infidelisſimis indigniſsimè tractari.

PRIMA MEDITATIO.

De Chriſti humiliationibus & opprobrijs, eiúſque cordiali humilitate.

2 Tu denique pater noſter ſuperpijſsimus, pro filijs tuis prodigis & impijs: tu frater primogenitus, Dei patris vnicus naturalis filius, pro adoptatis & ingratis: tu ſanctus ſanctorum, pro ſceleratis & immundis; ex charitate pluſquam paterna & continua.

Dignatus

Dignatus es pati ſummam humiliationem, deſpectum, cõfuſionem, infinita opprobria, & ludibria, contumelias, & blaſphemias, aliasque cruces: cũ perfectiſsima humilitate, reuerentia, taciturnitate, verecundia, modeſtia, cæterisque virtutibus.

Vt patrem tuum omnipotentem noſtris ſuperbijs, irreuerentijs, loquacitatibus, arrogantijs, præſumptionibus, cæterisque vitijs contemptum, irritatum & à nobis auerſum, pro nobis honorares, placares, & eius amicitiam & gratiam nobis reſtitueres: atque ab æternis ſuperbiæ affectibus, perpetuisque opprobrijs, dæmonum inſultationibus, confuſionibus, cæterisque damnatorum pœnis nos redimeres.

Et ad æternam filiorum Dei exaltationem, gloriam immarceſsibilem & omnimodam beatitudinem nos perduceres.

Cum beata Maria, ſanctis Angelis, Patriarchis & omnibus ſanctis: ſi tamen ſtuduerimus te amare, tuique amore, libenter pati omnem humiliationem, confuſionem & crucem: teque imitari in humilitate, reuerentia, taciturnitate, verecundia, modeſtia, cæterisque virtutibus.

Et nunc Domine Deus, quia vis & ſicut vis, deſideramus te amare: tuique amore libenter pati omnem humiliationem, confuſionem & crucem, teque imitari, in humilitate, taciturnitate, modeſtia, cæterisq ue virtutibus. Sed quia ſine tua gratia &c. vt ſuprà.

SECVNDA MEDITATIO.

De Christi penurijs & abstinentijs, eiúsque voluntaria paupertate.

3 Gratias ago tibi bone IESV, pro eo quòd tu creator & possessor omnium opulentissimus: pro nobis pauperrimis & indignissimis creaturis tuis. Tu iudex supremus, & aduocatus noster fidelissimus: pro nobis criminosis, reis & ingratis clientulis tuis: dignatus es ex purissima, profundissima, & incomprehensibili charitate, pati extremam omnium rerum penuriam, interiorem & exteriorem, & abstinentiæ laborem: ac crudelissimæ mortis iudicium & damnationem subire. Cum perfecta paupertate spiritus, sobrietate, castitate, deuotione, cæterisque virtutibus.

Vt patrem tuum omnipotentem, nostris cupiditatibus, proprietatibus, superfluitatibus, curiositatibus, gulæ concupiscentijs, luxurijs & immunditijs cæterisque vitijs, contemptum, irritatum & à nobis auersum, pro nobis honorares, placares, eiusque amicitiam & gratiam nobis restitueres: atque ab æternis cupiditatibus & penurijs, gulæ & luxuriæ stimulis & confusionibus: iudicio mortis æternæ, cæterisque damnatorum cruciatibus nos redimeres: & ad æternam regni cœlorum opulentiam & possessionem: refectionem plenissimam: claritatem angelicam & omnimodam beatitudinem perduceres: cum beata Maria, beatis Archangelis, Prophetis & sanctis omnibus. Si tamen te amare, tuique

amore

amore penuriam omnem, abstinentias, labores, iniusta iudicia, & crucem quamlibet patienter tolerare, teque in paupertate spiritus, sobrietate, castitate & deuotione, cęterisque virtutibus imitari studuerimus.

Et nunc Domine Deus, quia vis & sicut vis, desideramus te amare: tuique amore penuriam omnem, abstinentias, & iniusta iudicia, & quamcumque immiseris, inspirateris, aut permiseris, crucem libenter pati: téque in paupertate, sobrietate, castitate, cæterisque virtutibus imitari. Sed quia sine tua gratia, &c.

TERTIA MEDITATIO.

De Christi in hoc exilio laboribus, pœnalitatibus, & incommodis, eiúsque patientia.

Gratias ago tibi Iesu bone, pro eo quòd

Tu rex regum gloriosissimus, princeps principum sapientissimus, & rector morum suauissimus.

Pro nobis exulibus tuis miserrimis, læsæque tuæ maiestatis reis sceleratissimis: ex purissima patientissima & longanimi charitate, dignatus es pati exilij nostri labores & pœnalitates, in fame & siti, in frigore & æstu, in fatigationibus & vigilijs, cæterisque similibus: cum austeritate discretissima, perfectissimáque patientia, mansuetudine & benignitate, cæterisque virtutibus: vt Deum patrem nostris inordinatis delectationibus, impatientijs, iracundijs, & malignitatibus cæterisque

vitijs irritatum, contemptum & offensum, honorares, placares, eiúsque gratiam nobis restitueres: atque ab æternis laboribus & pœnis, iræ & impatientiæ, furijs, ac spiritu procellarum, cæterisque damnatorum pœnis nos eriperes: & ad æternas delicias, securámque terræ viuentium possessionem pacísque multitudinem & securitatem nos transferres: cum angelicis principatibus, sanctis regibus, & omnibus sanctis. Si tamen studuerimus te amare: tuíque amore labores & incommoda huius exilij libenter ferre: téque imitari in austeritate discreta, in patientia, mansuetudine & benignitate cæterísque virtutibus.

Et nunc Domine Deus, quia vis, & sicut vis, desideramus te amare, tuíque amore omnes làbores & pœnas huius exilij libenter pati: téque imitari in austeritate discreta, in patiẽtia, mãsuetudine & benignitate, cæterisq; virtutibus. Sed quia sine te & gratia tua &c.

QVARTA MEDITATIO.

De Christi subiectione, seruitute & perfecta obedientia.

Gratias ago tibi Domine Iesu Christe, pro eo quòd

Tu Dñs superdignissimus, & Emanuel suauissimus, pro nobis inutilibus seruis tuis, pigris, infidelissimis & nequissimis. Tu amicus fidelissimus, pro nobis inimicis tuis, tibi rebellibus téque offẽdentibus: ex purissima, cordiali & dulcissima charitate, dignatus pati, summã subiectionẽ & seruitutẽ ac obe-

dientiam vſque ad mortem:& hoc cū amore Dei & proximi ſinceriſsimo: cum intentione deiformi, perfectáque tui abnegatione & amoroſa obedientia.

Vt Deum patrem noſtris priuatis & inordinatis amoribus & odijs;peruerſis intentionibus,proprijsque quæſitionibus,iudicijs,voluntatibus,& inobedientijs, cæterisque peccatis contemptum & irritatum, honorares, placares, eiúſque amicitiam & gratiam nobis reſtitueres.

Atque à propriæ voluntatis vitio, æternáque dæmonum, & vitiorum ſubiectione & ſeruitute duriſsima:ab odio infernali, verme conſcientiæ indebili,cæterisque infernalibus pœnis,nos redimeres.

Et ad æternam libertatem ſpiritus, plenum dominium,perfectam charitatem:Deique & ſanctorum familiaritatem & ſuauiſsimã amicitiã ac gloriã produceres:cū B. Maria,poteſtatibus,Apoſtolis & ſãctis omnibus.

Si tamen ſtuduerimus, te amare : tuique amore omnem ſubiectionem, ſeruitutem & obedientiam quantumuis grauem & durã libenter ferre: téque inuitari in ſyncero Dei & proximi amore,Deiformi intentione, noſtri abnegatione & odio ſancto,perfectáque obedientia & cæteris virtutibus.

Et nūc Domine Deus,quia vis, & ſicut vis deſideramus te amare : & tui amore omnem ſubiectionem,ſeruitutem,& obedientiam libenter ferre:téque imitari in ſyncero Dei & proximi amore,Deiformi intentione, noſtri abnegatione & obedientia, cæteríſque virtutibus.Sed ſine te & gratia tua &c.vt ſup.

QVINTA MEDITATIO.
De Christi tristitijs & lachrymis.

Gratias ago tibi bone Iesu pro eo quòd

Tu præceptor obseruandissimus, magister sapientissimus, & legifer sanctissimus: pro nobis indignissimis discipulis tuis, discolis, insipientibus & malis: ex purissima, veraci, sapienti, & fideli charitate: dignatus es pati acerbissimos cordis dolores, contritiones, tristitias, pauores, angustias & pressuras internas, tædia, ac compassiones: cũ sancto luctu, iugi contritione, compassione pijssima, & interna ac deuotissima oratione, cæterisque virtutibus: vt patrem tuum nostris duritijs & cordis insensibilitatibus, ineptis lætitijs, incompassione, inuidentijs, ac orandi negligentia & indeuotione, cæterisque vitijs contemptum, & irritatum honorares, placares, eiúsque gratiam nobis restitueres: atque ab æternis tristitijs, fletibus, inuidiæ stimulis, desperatione perpetua, cæterisque infernalibus pœnis nos eriperes: & ad æternam sanctorum lætitiam, risum, gaudium, plenũ iubilum, congratulationem, & votorum plenã exauditionem nos perduceres: cum B. Maria, virtutibus Angelicis, Euangelicis, discipulis, & sanctis omnibus. Si tamen studuerimus te purè & ardenter amare, tuique amore tristitias & angustias cordis, crucésque omnes hilariter tollerare: téque imitari in sancto luctu, compassione, & oratione interna, continua & deuota, cæterisque virtutibus.

Et nũc Domine Deus, quia vis & sicut vis, desideramus te amare, tuiq; amore tristitias &

angustias cordis, omnésque cruces libenter ferre: téque imitari in sancto luctu, compassione, deuota oratione & cæteris virtutibus. Sed quia &c.

SEXTA MEDITATIO.

De Christi flagellis, vulneribus & cruciatibus, eiúsque esurie iustitiæ & fortitudine.

Gratias ago tibi bone IESV, pro eo quòd

Tu pater bonus, nutritor ac prouisor omnium sufficientissimus: pro nobis ouibus tuis errantibus, dispersis, egentibus & afflictis: tu Imperator summus, dux & pugnator inuictissimus, triũphatórque semper magnificus: pro nobis militibus tuis ignauis, profugis & proditoribus tuis: ex esuriẽtissima, fortissima, feruentissima & cõstantissima charitate: dignatus es pati summos cruciatus, flagella, vulnera, crucis baiulationem & diram in ea extensionem, confixionem & suspensionem, fellis & aceti amaritudinem, cæterásque cruces & afflictiones.

Cum summa esurie iustitiæ, strenuitate, vigilantia, & feruore: cum zelo, seueritate, & benignitate: cũ magnanimitate, fortitudine & cõstanti perseuerãtia, cæterisq; virtutibus.

Vt patrẽ tuũ nostris tepiditatibus, torporib⁹, accedijs, remissionibus, indulgentijs, negligẽtijs, pusillanimitate, infirmitate, incõstãtia, cæterísque vitijs contemptum & irritatum honorares, placares, eiúsque gratiã nobis re-

ſtitueres: atque ab æterna eſurie,ſiti,& frigore,à torpore,& ponderoſitate, à varijs cruciatibus & dæmonum flagellis,cæteriſq; inferni pœnis nos redimeres:&-ad æternam ſatietatem,ſpiritualẽ ebrietatem,ſubtilitatẽ & agilitatem, impaſsibilitatẽ, perfectam ſanitatem, perennémque victoriam & triumphum nos perduceres:cum B.Maria,dominationibus & martyribus, ſanctíſq; omnibus. Si tamen ſtuduerimus te amare,tuíq; amore libenter pati, eſuriem,ſitim, flagella, cruciatus, & vulnera, cæteráſque cruces: & te imitari in eſurie iuſtitiæ,ſtrenuitate,& feruore:in zelo,ſeueritate & benignitate,in magnanimitate,fortitudine & conſtantia,cæteriſque virtutibus.

Et nunc Domine Deus, quia vis, & ſicut vis,deſideramus te amare,tuíque amore, eſuriem, flagella, & cruciatus omnes libenter pati,téque imitari in eſurie iuſtitiæ,cæteríſq; prædictis virtutibus.

SEPTIMA MEDITATIO.

¶ De Chriſti nudatione & ſanguinis totali effuſione,eiúſque miſericordia & liberalitate.

Gratias ago tibi bone IESV, pro eo quòd,

Tu creditor & bonorum omnium largitor, opulentiſsimus & liberaliſsimus: tu fideiuſſor & mediator noſter fideliſsimus: Pro nobis egenis & pauperibus, tuíſq; debitoribus, tibi ingratiſsimis, tuorúmque bonorum iniquis diſsipatoribus,tu ſummus ſacerdos & Pontifex noſter ſanctiſsimus: pro

nobis populo tuo ſcelerato & impio, irã Dei patris promerẽte & prouocãte:ex cõmuniſsima,latiſſima,liberaliſſima & prorſus gratuita charitate, dignatus es omnino nudari, & totus nudus in cruce mori:atque nõ ſolùm externa omnia bona, ſed etiam proprium ſanguinem prorſus effundere, téq; ipſum totum in iuge ſacrificium & oblationem perfectiſſimam offerre, cum miſericordia, veritate,& iuſtitia, cum gratitudine, liberalitate & magnificentia,cæteriſque virtutibus.

Vt patrem tuum noſtris immiſericordijs, mendacijs,dolis, & iniuſtitijs,ingratitudine, auaritia, tenacitate, prodigalitate, & cæteris vitijs contemptum & irritatum, honorares, placares,eiuſq; nobis gratiam reſtitueres: atque ab æterna miſeria, bonorúmque omniũ indigentia,ab igne gehẽnę,iugi blaſphemia, & maledictionibus, cæteríſque infernalibus pœnis nos redimeres, & ad æternã miſericordiam, iuſtorum retributionem & menſuram ſupereffluentem,laudémque & gratiarum actionẽ continuam, atque ſecuram tuæ diuinitatis poſſeſſionem nos perduceres:cum B.Maria,thronis,pontificibus,ſacerdotibus & confeſſoribus & ſanctis omnibus. Si tamen ſtuduerimus te amare, tuíque amore nuditatem,direptionémq; bonorũ noſtrorũ libenter ferre:& eadẽ bona noſtra, & proprium etiam ſanguinẽ,ſi opus fuerit,pro te fũdere,téq; imitari in miſericordia,veritate & iuſtitia,liberalitate & magnificentia ac cæteris virtutibus.

Et nunc Domine Deus,quia vis & ſicut vis deſideramus te amare, tuíq; amore bonorum noſtrorũ profuſionem & direptionẽ,proprijq;

ſanguinis effuſionem libenter ſufferre, téque imitari in prædictis virtutibus. Sed quia &c.

OCTAVA MEDITATIO.

¶ De Chriſti ſpinea coronatione & ſenſuum omnium afflictione, eiuſq; temperantia & cordis munditia.

Gratias ago tibi bone IESV, pro eo quòd,

Tu protector & tutor potẽtiſſimus, cuſtos vigilantiſſimus, & medicus pijſſimus, pro nobis varijs & crudeliſſimis hoſtibus obſeſſis, orphanis, tentatis, infirmis & ægrotis, ex nimia, altiſsima, & extatica charitate, dignatus es ſpinis crudeliſſimè coronari, velari facie, conſpui, & cædi, ſenſibus omnibus affligi, ab hoſtibus viſibilibus & inuiſibilibus circundari, infirmitatéſque noſtras in te ſuſcipere.

Cum perfecta ſenſuum tuorum continentia, puritate, & exercitatione ſancta: cũ cordis mũditia, & ornatu, ſpiritúſque eleuatione & contẽplatione, cæteriſq; virtutibus, vt patrem tuum noſtris incontinentijs & inordinatis oblectationibus ſenſuum, cordis immũditia, ſpiritus depreſſione, negligentiáque reſiſtẽdi tentationibus & cæterijs vitijs contemptum & irritatũ honorares, placares, eiúſque gratiã nobis reſtitueres, & ab æterna ſenſuum afflictione, tenebris interioribus & exterioribus, à carentia viſionis diuinæ, à viſu & inſultatione dæmonũ, cæteriſq; infernalibus pœnis nos redimeres, & ad perpetuam ſenſuũ omnium glorificationẽ, ſpiritus trãsformationem, Dei viſionem claram & admirationem, ęternámque ab hoſtibus ſecuritatem nos perduceres.

Cum B. Maria, Cherubin, Anachoretis, monachis & sanctis omnibus; si tamen studuerimus te amare, tuiq; amore omnem sensuum afflictionem & hostium tentationes patienter ferre: téque imitari in sensuum continentia, cordis munditia, & contemplatione, cæterísque virtutibus.

Et nunc Domine Deus, quia vis, & sicut vis desideramus te amare, tuíque amore libenter pati omnem sensuum afflictionem, & hostium tentationes patienter ferre: téque imitari in sensuum continentia, cordis munditia & contemplatione. Sed quia (vt suprà, &c.

NONA MEDITATIO.

¶ De Christi captiuitate & vinculis, eiúsque pacificatione.

Gratias ago tibi bone IESV, pro eo quòd,

Tu liberator potētissimus & saluator pijssimus, pro nobis captiuis & perditis. Tu sponsus nobilissimus, pulcherrimus & amantissimus, pro nobis indignissimis tuis sponsis, adulteris & infidelissimis: ex spōsali, singulari, inseparabili & vnitiua charitate, dignatus es pati vincula, & durissimam captiuitatem, clauorum crudelem confixionem & cæteras pœnas: cum prudentia, sapientia, & eloquentia: cum simplicitate, pudicitia, pace & pacificatione, cæterísque virtutibus.

Vt patrem tuum nostra imprudentia, insipientia, stultitia, loquendi imperitia, duplicitate, multiplicitate, impuritate, perturbatione, discordia, susurrationibus, cæterisq; vitijs

contemptum & irritatum, honorares, placares, eiúſque gratiam nobis reſtitueres, & ab æternis vinculis,carceribus,fœtore,ſulphure, miſerrima captiuitate, & dæmonũ ſocietate, & furijs nos redimeres, & ad æternam libertatem,pacem,tranquillitatem,& cõcordiam, filiorum Dei nomen,ſanctorum communionem,& iucundiſsimã ſocietatem,diuinitatiſque fruitionem beatificam perduceres : cum B. Maria, Seraphin & virginibus, ſanctíſque omnibus.Si tamẽ ſtuduerimus te amare,tuiq; amore libẽter pati captiuitatem,vincula, carceres, & quaſcunq; cruces:téq; imitari in prudentia,ſapientia,eloquentia, ſimplicitate,puritate,pace & pacificatione,cæteriſq; virtutibus. Et nunc Domine Deus quia vis & ſicut vis deſideramus te amare, tuiq; amore captiuitatem, vincula & carceres,& quaſcumque cruces libenter pati : téq; imitari in prudẽtia, ſapientia,eloquẽtia,ſimplicitate, puritate,pace & purificatione.Sed quia,&c.vt ſup.

DECIMA MEDITATIO.

¶ De Chriſti paſſione generaliſsima & morte,eiuſq; tolerantia propter iuſtitiã.

Gratias ago tibi bone IESV, pro eo quòd,

Tu Deus optimus, maximus, æternus & immortalis,mortuorũ ſuſcitator, & ſanctorũ omnium glorificator, pro nobis viliſsimis creaturis tuis,propter noſtras contra te offenſas mortis æternæ reis,ex diuina,immenſa & infinita charitate: dignatus es pati mortem crucis ignominioſiſsimam & acerbiſsimam

paſsionémque generaliſſimã, & puriſsimam, cũ ſumma tolerantia paſsionũ propter iuſtitiam, cũ laude & gratiarũ actione, cum charitate & gaudio, cum innocentia & ſecuritate cæteriſque fructibus ſpiritus & virtutibus.

Vt patrẽ tuum noſtris impatientijs, in perſecutionũ tolerãtia, & in proſperũm ſucceſſu vanitatibus & voluptatibus, inordinatis amoribus, cæteriſque vitijs cõtemptum, irritatum & offenſum, honorares, placares, eiúſque nobis gratiã reſtitueres, atque ab æterna morte, gehenna & damnatione perpetua, & infernalibus tormẽtis nos redimeres, & ad omnimodam beatitudinem nos perduceres, cum Beata Maria, B. Michaele, B. Ioanne Baptiſta, & omnibus Angelis & ſanctis. Si tamen ſtuduerimus te amare, tuíque amore pati mortem & paſsionem quamlibet, téque imitari in tolerantia perſecutionum propter iuſtitiam, cum iugi laude & gratiarum actione, cæteriſque fructibus ſpiritus tui.

Et nunc Domine Deus, quia vis, & ſicut vis, deſideramus te amare, tuiq; amore quãlibet mortem & paſsionem libenter perpeti, téque imitari in hilari & grata tolerãtia paſſionum propter iuſtitiam. Sed quia &c. vt hîc infrà.

CAPITVLVM SEXTVM.

¶ *Quæ ſequuntur, ſunt poſt ſingulas decem meditationes ſubiungẽda. Obſecratio pro diuino amore, ſimul cum oblatione paſſionis meditatæ.*

SED quia ſine tua gratia nihil ſumus aut poſſumus, obſecramus te vt in ea charitate,& per eam charitatem qua tu tantus & talis,pro tantis & tam indignis , tot & tanta, támque probroſa & pœnoſa,cũ tanta virtutum exemplaritate & perfectione, propter tantos fructus, ſubire & pati dignatus es, eadem nũc & ſemper,& maximè in hora mortis noſtræ,patri tuo digneris obtendere,& in omnigenam hoſtiã offerre,pro nobis tuíſq; & noſtris omnibus vniuerſiſque fidelibus viuis & defunctis , pro impetratione omniũ ſalutariũ petitionum noſtrarũ:ſimul cum ſacra oblatione pretioſi corporis & ſanguinis tui, quæ in ſacrificio Miſſæ hactenus oblata eſt, & adhuc offertur,aut offeretur, ſimul etiã cũ omnibus quæ aſſumpſiſti, feciſti, aut pertuliſti pro ſalute noſtra,& quæ operatus es in omnibus ac ſingulis ſanctis & electis tuis, & etiam in nobis,ſicque tali oblatione, patrẽ tuum pro nobis omnibus ſupremè honora:iram eius efficaciter à nobis auerte , & gratiam ac amicitiam eius nobis impetra & reſtitue, noſque ad amorem & imitationem tui miſericorditer & feruenter excita & reſtaura.

¶ *Exercitiũ amoris ſpeciale hic incipit.*

Eya igitur amãtiſsime & benigniſſime IESV, ignẽ tui amoris quẽ veniſti in terrã mittere, & quẽ in cordibus electorũ tuorum hactenus vehemẽter accẽdiſti,& in nobis omnibus ardere deſideras,quia vis, & ſicut potes; ſcis & vis,immitte(obſecramus)& vehemẽter accẽde in cordibus noſtris,quo accẽſi amemus te.

Hic exprime quinque ternaria nominum Dei amabilium conuenientia meditationi quam exerces, iuxta ordinem, quo hic ſunt per decem claſſes diſtincta: & ſingulis decem meditationibus ſingula quinque ternaria ſunt aſſignata.

PRO PRIMA MEDITATIONE.

Amemus te noſtrum

1 Æternum præcognitorem & amatorem,
2 Electorem & gratificatorem,
3 Prædeſtinatorem.

Amemus te noſtrum

1 Patrem ſuperpiiſſimum,
2 Fratrem amantiſsimum,
3 Sanctificatorem benigniſsimum.

Amemus te

1 Patrem miſericordiarum,
2 Participem noſtrarum miſeriarum,
3 Deum totius conſolationis.

Amemus te amatorem noſtrum nobis

1 Præſentiſsimum,
2 Intentiſsimum,
3 Promptiſsimum.

Amemus te Deum

1 Superdigniſsimum,
2 Affabiliſsimum,
3 Delicioſiſsimum.

Hic ſubiunge Adorationes & Obſecrationes ſuper his quinque ternariis, quæ habentur *pag. 337. 338. & ſequentib. vſque ad 354.*

PRO SECVNDA MEDITATIONE.

Amemus te noſtrum

1 Plaſmatorem,
2 Creatorem &
3 Aſsimilatorem.

Amemus te noſtrum

1 Iudicem æquiſsimum,
2 Aduocatum fideliſsimum,
3 Iuſtificatorem benigniſsimum.

Amemus te

1 Patrem futuri ſæculi,
2 Ducem & comitem itineris noſtri,
3 Subleuatorem in huius viæ & vitæ neceſsitate.

Amemus te amatorem

1 Miſericordiſsimum,
2 Patientiſsimum,
3 Benigniſsimum.

Amemus te Deum

1 Reuerendiſsimum,
2 Honorandiſsimum,
3 Deſiderabiliſsimum.

Hic ſubiunge Adorationes & Obſecrationes ſuper his quinque ternariis, quas reperies *pag. 354, & ſequentib. vſque ad 365.*

PRO TERTIA MEDITATIONE.

Amemus te noſtrum

1 Conſeruatorem potentiſſimum,
2 Gubernatorem prudentiſſimum,
3 Inſpiratorem pijſſimum.

Amemus te noſtrum

1 Regem ſupremum,
2 Principem ſapientiſſimum,
3 Rectorem morum dulciſſimum.

Amemus te

1 Regem perennis gloriæ,
2 Exilij noſtri ſocium & participem,
3 Paracletum & conſolatorem optimum.

Amemus te amatorem

1 Placabiliſſimum,
2 Clementiſſimum & indulgentiſſimum,
3 Beneficientiſſimum.

Amemus te Deum

1 Maximum,
2 Glorioſiſſimum,
3 Optimum.

Hîc ſubiunge Adorationes & Obſecrationes ſuper iſtis quinque ternariis, quas inuenies pag. 365. 366. & ſequentib. vſque ad 377.

PRO QVARTA MEDITATIONE.

Amemus te noſtrum

1 Regeneratorem,
2 Redemptorem,
3 Viuificatorem.

Amemus te noſtrum

1 Dominum amantiſsimum,
2 Emmanuelem ſuauiſsimum,
3 Amicum fideliſsimum.

Amemus te

1 Dominatorem mitiſsimum,
2 Miniſtratorem officioſiſsimum,
3 Amatorem ardentiſsimum.

Amemus te amatorem

1 Amandiſsimum,
2 Amantiſsimum,
3 Amatiſsimum.

Amemus te Deum

1 Præſtantiſsimum,
2 Lucidiſsimum,
3 Quietiſsimum.

Hic ſubiunge Adorationes & Obſecrationes ſuper iſtis quinque ternariis, quas reperies *pag.377. & ſequentib. vſque ad 388.*

PRO QVINTA MEDITATIONE.

Amemus te noſtrum

1 Purgatorem,
2 Illuminatorem,
3 Inflammatorem.

Amemus te noſtrum

1 Præceptorem obſeruandiſsimum,
2 Magiſtrum ſapientiſsimum,
3 Legiſlatorem ſanctiſsimum.

Amemus te noſtrum

1 Inſtructorem manſuetiſsimum,
2 Conſultorem prudentiſsimum,
3 Adiutorem fortiſsimum.

Amemus te amatorem

1 Pijſsimum,
1 Compatientiſsimum,
3 Dulciſsimum.

Amemus te Deum

1 Pretioſiſsimum,
2 Familiariſsimum,
3 Iucundiſsimum & ſecretiſsimum.

Hic ſubiunge Adorationes & Obſecrationes ſuper his quinque ternariis, quas inuenies, pagina 388. & ſequent. vſque ad 399.

PRO SEXTA MEDITATIONE.

Amemus te nostrum

1 Nutritorem suauissimum,
2 Vestitorem & hospitẽ honestissimum,
3 Prouisorem sufficientissimum.

Amemus te

1 Pastorem bonum,
2 Hospitem & cõuiuam iucundissimum,
3 Visitatorem & reformatorem optimum.

Amemus te

1 Imperatorem supremum,
2 Ducem & pugnatorem inuictissimum,
3 Triumphatorem semper magnificum.

Amemus te amatorem

1 Esurientissimum,
2 Fortissimum,
3 Constantissimum.

Amemus te Deum

1 Excellentissimum,
2 Victoriosissimum,
3 Lætissimum & fœlicissimum.

Hic subiunge Adorationes & Obsecrationes super istis quinque ternariis, quæ habentur infra *pag. 399. & sequentib. vsque ad 413.*

PRO SEPTIMA MEDITATIONE.

Amemus te

1 Culpæ dimiſſorem & mundatorem,
2 Pœnæ perſolutorem & relaxatorem,
3 Gratiæ retributorem.

Amemus te

1 Creditorem opulentiſsimum,
2 Fideiuſſorem ſufficientiſsimum,
3 Reſtauratorem benigniſsimum.

Amemus te

1 Bonorum omnium largitorem,
2 Mediatorem, ſacerdotem & pontificem maximum,
3 Conſeruatorem datorum, & multiplicatorem.

Amemus te amatorem

1 Opulentiſsimum,
2 Liberaliſsimum,
3 Magnificentiſsimum.

Amemus te Deum

1 Iuſtiſsimum,
2 Veraciſſimum,
3 Gratioſiſsimum.

Hic ſubiunge Adorationes & Obſecrationes ſuper iſtis quinque ternariis, quas inuenies *pag. 413. & ſequentib. vſque ad 426.*

PRO OCTAVA MEDITATIONE.

Amemus te noſtrum

1 Eductorem admirabilem,
2 Vocatorem & conſiliarium prudentem,
3 Suſceptorem, Deum fortem.

Amemus te noſtrum

1 Protectorem potentiſsimum,
2 Cuſtodem vigilantiſsimum,
3 Medicum optimum.

Amemus te noſtrum

1 Tutorem pijſsimum,
2 Samaritanum miſericordiſsimum,
3 Curatorem ſuauiſsimum.

Amemus te amatorem

1 Potentiſsimum,
2 Sapientiſsimum,
3 Sanctiſsimum.

Amemus te Deum

1 Altiſsimum,
2 Pulcherrimum,
3 Dulciſsimum.

Hic ſubiunge Adorationes & Obſecrationes ſuper his quinque ternariis, quas reperies infrà pag. 426. & ſequentib. vſque ad 437.

PRO NONA MEDITATIONE.

Amemus te noſtrum

1 Patrem filio tuo nos deſponſantem,
2 Sponſum fideliſsimum,
3 Datorem & fœcundatorem.

Amemus te

1 Liberatorem potentiſsimum,
2 Ieſum, ſaluatorem pijſsimum,
3 Libertatis conſeruatorem & pacis.

Amemus te

1 Antiquum dierum & conſpectorem ſeculorum,
2 Iuuenem floridiſsimum, & præ millibus electum,
3 Zelatorem caſtiſsimum & fortiſsimum.

Amemus te amatorem

1 Benigniſsimum,
2 Fideliſsimum,
3 Certiſsimum.

Amemus te Deum

1 Vtiliſsimum,
2 Honeſtiſsimum,
3 Delectabiliſsimum.

Hic ſubiunge Adorationes & Obſecrationes ſuper his quinque ternariis, quas inuenies, pagina 437. & ſequentib. vſque ad 448.

PRO DECIMA MEDITATIONE.

Amemus te noſtrum

1 Suſceptorem & deffenſorem in morte,
2 Suſcitatorem,
3 Remuneratorem.

Amemus te

1 Deum verum,
2 Perfectum hominem,
3 Omnia continentem, & ſuper omnia præcellentem.

Amemus te

1 Adoptatorem benigniſſimum,
2 Promiſſorem fideliſſimum,
3 Redditorem certiſſimum.

Amemus te Amatorem

1 Nobis proximum, & omni affinitate coniunctiſsimum,
2 Inſeparabiliſsimum,
3 Charitate pleniſſimum & feruentiſsimum.

Amemus te Deum

1 Perfectiſsimum,
2 Illuſtriſsimum,
3 Beatiſsimum.

Hic inſere & ſubiunge Adorationes & Obſecrationes ſuper his iſtis quinque ternarÿs, quas reperies infra pag. 448. & ſequentibus, vſque ad 460.

Post Adorationes & Obsecrationes super quinque ternariys cuilibet meditationi assignatis, subiungenda sunt in singulis meditationibus omnia quæ hic consequenter ponuntur, vsque ad obsecrationem pro specialibus virtutibus cuilibet meditationi ascriptis.

Denique Amemus te vnicum supremum & incommutabile bonum.

4. *Obsecratio pro amore Dei obtinẽdo, cõtinens diuersos modos quibus Deus est amãdus.*

1 In quo & à quo est omne bonum,
2 Extra quod nihil est bonum,
3 Et quod infinitè excellit omne bonum.

Amemus ergo

4 Te solum in omnibus, nihil in vlla creatura diligentes, nisi quod tuum est, & cuius auctor es & conseruator.

5 Amemus OMNIA IN TE SOLO, quatenus aliquid tuum sunt, & in te subsistunt, ac inueniuntur.

6 Amemus TE SVPER OMNIA, qui in bonitate & omni amabili perfectione infinitè superexcellis omnia.

Amemus te

7 TOTO CORDE, hoc est tota voluntate, desiderio & affectione.

8 TOTA MENTE, id est tota memoria, intellectu, ratione & intentione.

9 TOTA ANIMA, corpus viuificante: & ex omnibus viribus & ſenſibus eius interioribus & exterioribus.

10 Iſtas omnes vires occupando ſolum propter te,& ſecundũ te,& numquã cõtra te.

Amemus te

1 DVLCITER,abſque contradictione:omni vanæ delectationi propter te renuntiãtes.

Amemus te

2 VERACITER, abſque errore:non aliud propter te amãtes,nec fictè te diligẽtes.

Amemus te

3 PRVDENTER,abſque indiſcretione: ne zelus tui amoris nos præcipitet ſi non ſecundum ſcientiam fuerit.

Amemus te

4 EFFICACITER,non verbo tantùm & lingua, ſed operis exhibitione noſtrum erga te amorem comprobantes.

Amemus te

5 FORTITER,reſiſtendo hoſtibus tuis & peccatis & concupiſcentijs.

Amemus te

6 MAGNANIMITER, ardua propter te aggrediendo.

Amemus te

7 CONSTANTER,aduerſa quæque & dura tui amore tolerando.

Amemus te

8 PERSEVERANTER, vſque in finem in his perſeuerando: ſic vt charitas tua à nobis numquam excidat, ſed creſcat iugiter, & in æternum perſeueret.

5 *Alia obſecratio pro diuerſis actibus amoris exercendis.*

1 Eya ergo benigniſſime IESV Chriſte, igne tui amoris ſic nos ſuccēde & affice, VT TE SVPER OMNIA APPRETIEMVS, pluris æſtimemus, præeligamus, amemus, & appetamus.

2 OPTEMVS continuo, & ardenti deſiderio, tibi, propter te, placere.

3 TIBI GRATVM OBSEQVIVM, ex puro amore, abſque intuitu mercedis vel proprij commodi, ſemper PRAESTARE.

4 Ac propterea tuam voluntatem beneplacentem & perfectam ſemper & vbique INVESTIGEMVS & attendamus.

5 Eamque cognitam non ſolùm cum amore, ſed ex amore IMPLERE FESTINEMVS.

6 Tuum beneplacitum in aduerſis æquè ac in proſperis, in tempore & in æternitate, optemus ſemper impleri in nobis, de nobis, per nos, & in omnibus, ac per omnes creaturas.

7 Ardentiſſimis etiam & continuis deſiderijs aſpiremus, ad ſecuram tuæ diuinitatis poſſeſſionem & adorationem continuam.

8 Ad claram tui viſionem, laudem & admirationem.

9 Ad fruitionem tuî beatificā, & vnionem inſeparabilem.

10 Vt ſic gratiſſimum tibi obſequium præſtemus, hoc enim tibi ſummè placet, & hoc eſt tuum ſupremū beneplacitum, in quo

gaudium tuũ impletur in nobis: quod propter te (quia vis, & sicut vis) summè desiderare & continuo studio requirere debemus & volumus.

6 *Alia item obsecratio pro alijs actibus amandi.*

1 Da insuper benignissime Iesu, & fac, vt amore tuo succensi, TIBI, (quem tenemur amare plusquam nos & plusquam omnia) omne bonum, gloriam, beatitudinem, tuæque voluntatis impletionem multò ardentiùs OPTEMVS, ET PROCVREMVS, quàm vllum bonum nobis optare possemus.

2 GAVDEAMVS & congratulemur tibi de omni bono quod es, & quod habes, & de tuæ voluntatis impletione: multò ampliùs quàm gauderemus de quocumque bono nostro, quod habemus aut quod posset nobis contingere.

3 TVAS PERFECTIONES, nomina, beneficia, virtutes & laudes cum gaudio RECOGITEMVS, audiamus, legamus, & alijs prædicemus: multò ampliùs quàm nostras, aut alicuius nobis amicissimi laudes & perfectiones gauderemus audire aut referre.

4 Pro NOSTRA BEATITVDINE REPVTEMVS, quòd tu habeas infinitam gloriam, beatitudinem, & plenum super omnia Dominum.

5 OFFENSAM TVAE maiestatis & tuæ voluntatis transgressionem, plusquàm omne malùm & incommodum quod nobis posset contingere, ODIO HABEAMVS, fugiamus & horreamus.

6 Et DE IPSA tuæ maieſtatis OFFENSA DOLEAMVS & iraſcamur: pluſquàm doleremus & iraſceremur de quocũque malo & incommodo quod nobis poſſet euenire, ardentiſſimis etiam deſiderijs & continuis optemus, & totis viribus ac ſtudijs procuremus te à nobis & ab omnibus.

7 Credi, præſentem vbique ſentiri, & adorari.

8 Agnoſci, laudari & glorificari.

9 Amari, deſiderari, & fruitiuè poſſideri.

10 Tibique ex puro amore ſemper & vbique iuxta tuum ſupremum beneplacitum ſeruiri & obediri.

11 Et cum hoc fieri viderimus, intimè gaudeamus, & cum laude gratias tibi inde agamus.

12 Cum verò id omitti vel contrariũ fieri agnouerimus, doleamus, iraſcamur & hoc vlciſci optemus, & ſupplere.

7 *Obſecratio pro ſentienda Dei præſentia & recta intentione in omnibus habenda.*

1 Sic etiam (benigniſſime IESV) igne tui amoris nos reple, & tam ardenti, continuo, & efficaci deſiderio tui nos ſuccende: vt te ſemper & vbique nobis PRAESENTISSIMVM, intentiſſimum, & promptiſſimum, non ſolùm credamus, ſed etiam SENTIAMVS & cogitemus.

2 TE REVEREAMVR, & cum profunda humilitate & reuerentia coram te ſte-

mus,& ambulemus ſemper & vbique.

3 TE TIMEAMVS, vel in modico offendere: & ſolicitè præcaueamus & fugiamus quicquid tibi diſplicet.

4 INTENDAMVS te, tuúmque honorem & beneplacitum, ante omnia, & in omnibus: nihil vnquam niſi propter te, & ex amore tuo aggredi vel proficere præſumẽtes.

5 CONSVLAMVS TE, & ſine tuo conſilio, & interna vel externa licentia tua nihil agere præſumamus.

6 AVDIAMVS ſolicitè, inter agendum aliquid foris, quid tu intus in nobis loquaris, & quid à nobis fieri vel omitti exigas.

7 ELIGAMVS, in dubijs, id quod tibi & ſanctis tuis magis conforme & honorificum, proximis vtilius, & propriæ voluntati ac ſenſualitati noſtræ magis contrarium fuerit.

8 INQVIRAMVS in grauioribus & difficilioribus conſilium ſenioris, vel alicuius te timentis: idque HVMILITER, diffidentes de nobis: DEVOTE, obſecrantes te, vt per alterius conſilium nobis tuam voluntatem manifeſtes: ET FIDELITER, credentes, ac confidentes, quod per alium tuipſe nobis reſpondebis & tuam voluntatẽ notam facies.

9 CREDAMVS FIDELITER, tuæ inſpirationi & electioni tecum factæ, vel conſilio per alterum nobis dato.

10 Et ſine errore, perplexitate, & obſcuritate, verè & apertè, VIDEAMVS & intelligamus quid acceptius tibi ſit in omni re & tempore.

11 ABNEGEMVS etiam proprium ſenſum & voluntatem, tuo conſilio, & voluntati

minus conformem:

8. *Obsecratio pro perfecta ergà Deũ obedientia conditionibus.* 12 ET OBEDIAMVS tibi & tuis vicarijs, AMANTER, ex amore, & propter amorem tuum.

1 Obediamus etiam FIDELITER, ſine hæſitatione: non amplius dubitando an id velis; quod iam conſuluiſti per te aut tuos vicarios.

2 SIMPLICITER, abſque diſcuſſione: non amplius diſcutiendo, & examinãdo an hoc quod conſuluiſti ſit melius.

3 HVMILITER, de nobis diffidendo, ac propriam gloriam inde non requirendo.

4 CONFIDENTER, in te, & auxilio gratiæ tuæ ſperando.

5 MAGNANIMITER, proſpera propter hoc contemnendo.

6 FORTITER, aduerſa quæque propter hoc tolerando.

7 LIBERALITER, abſque intuitu mercedis & proprij cõmodi.

8 HILARITER, cum ſpirituali gaudio, abſque tædio.

9 FERVENTER, abſque tempore.

10 VELOCITER, abſque mora.

11 INTEGRE, & in omnibus, abſque imperfectione.

12 PERSEVERANTER, abſque defectionè.

Da etiam vt quicquid tibi placere & te à nobis exigere agnouerimus, quantumcumque nostro iudicio & propriæ voluntati id contrarium fuerit, tamen propter te nos abnegantes.

9 Obsecratio pro impletione eorũ quæ Deus vult nos agere.

1 Illud APPRETIEMVS, & bonum iudicemus.

2 Ac tanquam verè bonum AMEMVS & desideremus.

3 Atque DESPERANTES ex nobis.

4 A te illud SPEREMVS & expectemus.

5 MAGNANIMITERQVE.

6 ET FORTITER illud prosequamur & perficiamus.

7 Atque vbi id obtinuerimus & perfecerimus, tibi illud acceptum ferentes laudes ET GRATIAS tibi, pro eo REFERAMVS.

8 Inde non in nobis, sed IN TE SOLO GAVDEAMVS.

9 NOS HVMILIEMVS, & arguamus quod nimis imperfectè illud impleuerimus.

10. Atque ad perfectiora semper opera pro tui amore facienda NOS TOTOS tibi offeramus ET EXTENDAMVS.

Quicquid verò tibi displicere cognouerimus, quantumcumque nostro iudicio & voluntati id gratum fuerit, da vt propter te nos abnegantes,

10 Obsecratio pro odio & fuga eorũ quæ Deus vult vt fugiamus.

1 Illud MALVM ESSE CREDAMVS.

2 Et tanquam verè malum & nociuum ODIO HABEAMVS.

3 METVAMVS & ſolicitè præcaueamus ne illud contingat.

4 MAGNANIMITER & fortiter illud perſequamur & fugiamus.

5 De eo ſi euenerit DOLEAMVS ET TRISTEMVR.

6 IRASCAMVR, vltionem de eo appetentes.

7 PASSIONIS tuæ meritum in eius ſatisfactionem & punitionem OFFERAMVS.

8 RESIGNEMVS nos ad patiendum pro hoc quicquid tibi placuerit.

9 Pœnam aliquam pro hoc ſponte ASSVMAMVS.

10. Et propoſitum contra illud de nouo INSTAVREMVS: ac cautiùs & fortiùs de cætero illi reſiſtamus.

CAPITVLVM SEPTIMVM, CONTINENS EXERCItium pro odio & abnegatione sui & crucis baiulatione. In quo exercitio primò commemorantur fructus inde prouenientes: vt ex eorum intuitu magis incitemur ad hoc odium & crucis baiulationẽ. Deinde exprimuntur media & adiutoria per quæ ad hoc iuuamur & confortamur. Postremò ponitur modus & progressus in odio sui & crucis baiulatione seruandus.

ET quoniam tu (bone IESV) consulis & à nobis exigis, vt si post te venire voluerimus, nosmetipsos abnegemus, & crucem nostram tollamus, ideò desideramus, & confidẽter te obsecrantes à te expectamus, atq; in te firmiter proponimus, de cætero in omnibus nosmetipsos abnegare & crucem quamcumque volueris baiulare & tollere, vt hæc faciendo.

1 TVAM VOLVNTATEM IMPLEAMVS, & gratum tibi obsequium ex amore præstemus, provt es superdignissimus. *I. Fructus ex abnegatione sui, & crucis baiulatione prouenientes.*

2 VT CONFORMEMVR tibi pro nobis passo & crucifixo, quare nihil potest esse dignius & honorabilius.

3 VT CASTIGEMVS peccata nostra, quod est iustissimum.

4 VT MORTIFICEMVS amorem priuatum, cum suis vitijs & concupiscentijs, quod est ad salutem prorsus necessarium.

5 VT PROFICIAMVS in amore tuo, & virtutum exercitio; quod est vtilissimum.

6 VT RENOVEMVS & applicemus nobis fructum tuarum passionum.

7 VT HONOREMVS patrem tuum, quem contempsimus.

8 AVERTAMVS iram eius, quam prouocauimus & meruimus.

9 Vt gratiam eius & dona, quæ perdidimus, RECVPEREMVS.

1 VT ILLVMINEMVR, & purgemur ab ignorantia & errore.

2 VT IVSTIFICEMVR, & mundemur à malitia & affectu peccati.

3 VT SANCTIFICEMVR, & sanemur à concupiscentia mala.

4 VT LIBEREMVR, à captiuitate diaboli, & peccati.

5 VT CONFORMEMVR contra infirmitatẽ.

6 VT REDIMAMVR à pœnis nociuis quas peccando meruimus.

7 Denique vt tandem perueniamus ad tuę diuinitatis SECVRAM TENTIONEM & adorationem.

8 CLARAM visionem & laudem.

9 FRVITIONEM beatificã & vnionem.

Hæc enim omnia assequimur aut meremur, quoties tui amore nosmetipsos abnegamus, vel crucem aliquã toleramus. Ideò horum omniũ (quæ tibi gratissima sunt, & quæ tu vis à nobis desiderari & quæri) horum inquam omniũ desiderio, volumus & proponi-

mus de cætero nosmetipsos abnegare in omnibus,& crucem quamcunque volueris tolerare,ex puro tui amore.Sed quia ex nobis nihil possumus,ad hæc (obsecramus) nos excita & adiuua.

1 Per ignem & virtutem tui amoris, hoc est per ardens & efficax desiderium tibi placendi,tuámque voluntatem implendi. *2 Adiutoria ad abnegationẽ & crucis baiulationem.*

2 Per tuæ conformitatis desiderium.

3 Per zelum iustitiæ & virtutis,hoc est per desiderium vlciscendi & castigandi peccata nostra,mortificandi vitia, & acquirendi virtutes.

4 Per tuæ vitæ & passionis meritum.

5 Per corporis tui sacramentum & sacrificium.

6 Per spiritus tui septiforme donum.

7 Per Angelicum ministerium & adiutorium.

8 Per Beatissimæ Mariæ matris tuæ & patronorum specialium.

9. Omniumque Sanctorum & electorum tuorum,exempla,merita & suffragia.

Per hæc inquam adiuua nos,& sicut potes, scis,& vis,fac,vt verè & perfectè abnegemus nosmetipsos, hoc est proprium sensum, propriámque voluntatem & sensualitatem tibi repugnantem.

Sic inquam abnegemus proprium sensum & iudicium nostrum,vt quoties tuo vel vicariorum tuorum & sanctorum patrum iudicio contrarium, vel minùs conforme fuerit, illud statim relinquamus, & in obedientiæ obsequium captiuemus:id rectum & bonum credentes, quod tu vel tui vicarij rectum & *3 Modus abnegandi propriũ sensum.*

bonum iudicaueritis, quantumcunque proprio ſenſui noſtro aut iudicio contrarium videatur.

9 *Obſecratio pro abnegatione propriæ voluntatis & eorum quæ ſunt ei grata.*

Voluntatem verò propriam & ſenſualitatem (quâ aliquid cupimus aut refugimus, non propter te, neque ſecundùm te, ſed propter nos aut quodcumque aliud à te, & quæ non eſt conformis tuæ & vicariorum tuorum voluntati.)

1 ODIO HABEAMVS tanquam hoſtem noſtræ ſalutis peſſimum, omníſque peccati & mali in nobis cauſam & radicem præcipuam.

2 METVAMVS & ſolicitè præcaueamus ne hanc ſequamur, & eius impulſu aliquid operemur, vel dimittamus, quin potiùs quicquid illa ſuggerit & gratum habet (qualia ſunt huius ſæculi honores, diuitiæ, & voluptates) id omne quatenus tale (hoc eſt quatenus à propria voluntate quæritur, noſtræque ſenſualitati gratum eſt.)

3 MALVM & nobis nociuum iudicemus.

4 Ac propterea ODIO HABEAMVS, & horreamus.

5 METVAMVS & fugiamus.

6 Vltro oblatum RECVSEMVS & abiiciamus.

7 Et ſi contigerit id nos quæſiſſe vel acceptaſſe, inde DOLEAMVS.

8 IRASCAMVR nobis, & eius vindictam appetamus.

9 Pro eo tuam paſſionem OFFERAMVS.

10 RESIGNEMVS nos ad omnia quæcumque volueris aduerſa.

11 Atque ex zelo iustitiæ discretam POENAM in huius vltionem & satisfactionem voluntariè assumamus.

12. PROPOSITVMQVE contra illud fortius renouemus.

Quod si propter te, tuúmque honorem & beneplacitum oportuerit nos aliquid recipere vel assumere, quod propriæ voluntati & sensualitati gratum & iucundum fuerit (qualia sunt necessaria & salubria corporis & animæ oblectamenta & fomenta) da vt priusquam illud assumamus vel acceptemus, consideremus fructus ex abnegatione delectabilium prouenientes, & ex horum desiderio.

5 *Oratio pro necessariis delectationibus recta intentione & modo sumendis.*

1 INCLINEMVS rationalem nostram voluntatem ad illud eatenus recusandum, quatenus propriæ voluntati gratum est.

2 ET OFFERAMVS nos paratos ad carendum eo libenter, nisi tu velles hoc à nobis sumi.

3 Nunquam ergo tale aliquid sumamus PROPTER delectationem, seu quia propriæ voluntati & sensualitati gratum est.

4 Sed dumtaxat PROPTER TE, id est, quia vis, vt illud sumamus.

5 ET SECVNDVM TE, id est eo modo & mensura quibus fieri vis.

6 ET DE MANV tuæ prouidentiæ & liberalitatis.

6 *Obsecratio pro acceptatione & voluntario amplexu crucis quam sponte assumimus*

Da superbenignissime IESV, vt quia vis, & sicut vis, ad assequendos fructus crucis prędictos, & per media & adiutoria superiùs declarata, crucē omnē & quicquid propriæ voluntati & sensualitati, pessimo salutis nostræ

hosti, durum & graue est, illud quatenus tale (dummodo spirituali perfectui non sit impedimento.)

1 APPRETIEMVS & bonum & vtilissimum nobis esse iudicemus, ex cuius nimirum dulci tolerantia, prædictos fructus crucis assequi possumus.

2 AMEMVS illud & tanquam bonum ac conueniens acceptemus.

3 DESIDEREMVS feruenter, & à te petamus, sicut videbis nos posse sufferre, illud nobis immitti, aut inferri.

4 ELIGAMVS & cum tuo vel alicuius vicarij tui, aut te timentis consilio, consideremus quid tale possimus discretè assumere, aut sufferre, pro tui nominis amore & honore.

5 Et quicquid te inspirante aut consulente elegerimus, aut proposuerimus propter te pati: illud ASSVMAMVS viriliter.

6 TOLEREMVS FIDELITER, credentes tibi gratum esse, vt id patiamur.

7 CONFIDENTER, sperantes nihil incommodi ex hoc nobis euenturum.

8 FORTITER, patientes pœnam & difficultatem illius.

7 *Oratio pro susceptione & fructuosa tolerantia crucis quæ nobis cōtigit aliūde quàm à nostra volūtate.*

9. ET STABILITER, nulla leuitate aut impatientia illud deserentes vel abijcientes, nisi tu aliter consulueris.

Quoties autem crux aliqua aut aliquid aduersum aut durum propriæ voluntati, non à nostra electione, sed aliunde, à te videlicet vel aliqua creatura, nobis euenerit.

1 Da vt illud ſemper SVSCIPIAMVS de manu & ordinatione tuæ paternæ prouidentiæ & benignitatis, cum eiuſdem tuæ paternæ prouidentiæ, adoratione & laude.

2 GRATIAS AGAMVS, pro amore quo illud nobis miſiſti, & pro fructu ad quem ordinaſti.

3 ET AMPLECTAMVR illud cum ſpirituali gaudio, tanquam rem diu à nobis deſideratam & poſtulatam.

4 Tanquam PIGNVS tui amoris certiſſimum, & annulum deſponſationis.

5 Tanquam MEDICINAM, à te pijſsimo medico miſſam, & calicem ſalutarem à te patre datum.

6 Tanquam OCCASIONEM prõptam maximi & multiplicis lucri ſpiritualis.

7 Nec vnquam ad remedia, quibus à tali cruce & tribulatione liberari poſsimus, confugiamus: niſi prius ſic voluntatem noſtram inclinauerimus ad ſuſcipiendam & amplectendam hanc crucem cum gratiarum actione & laude.

8 Et niſi purè PROPTER TE, quia ſcilicet tu vis nos talia remedia ſumere.

9 ET SECVNDVM TE, id eſt, iuxta modum tibi placitum.

10 ET PER TE, hæc remedia ſumendo tanquam à te data.

11 ET TECVM, in tua præſentia, & vnione manendo.

12 Cum PLENA & integra RESIGNATIONE ad ſuſcipiendam (ſi volueris, aut ita diſpoſueris) huius crucis poſt ſuſcepta remedia continuationẽ, æquè ac liberationem

ab ea: vtrobiq; æqualiter gaudentes de tuæ circa nos voluntatis impletione, quæ nobis debet semper esse gratissima.

Modus fructuose tolerandi quæcumque crucem.

❧ Cæterùm quandiu durauerit crux illa: da vt tui amore, & imitatione tuóque dono & merito, angelicóque & sanctorum adiutorio, eam in vnione passionum tuarum toleremus.

1 Cum iugi laude & gratiarum actione.
2 Cum humilitate & abnegatione.
3 Cum feruenti obsecratione, confidentia & resignatione.
4 Cum charitate & gaudio.
5 Cum pace & patientia.
6 Cum longanimitate & mansuetudine.
7 Cum bonitate & benignitate.
8 Cum fide & modestia.
9 Cum continentia & castitate.
10 Cum innocentia & securitate.
11 Cum prudentia cordis & oris sapientia.
12 Cum simplicitate & finali perseuerãtia.

Oratio pro fructib. crucis percipiendis.

Sic vt per singula momenta possimus illum fructum percipere, ad quem perordinasti talem crucem, & quem tuis passionibus nobis promeruisti: videlicet,

1 Sic vt tibi gratum obsequium præstemus.
2 Tibi conformemur pro nobis passo.
3 Castigemus peccata nostra.
4 Mortificemus priuatum amorem.
5 Proficiamus in amore tuo.
6 Et communicantes tuis passionibus.
7 Tuum Patrem tecum honoremus.
8 Iram eius auertamus.
9 Gratiam eius impetremus.

1 Et illuminationem.
2 Et iuſtificationem.
3 Et ſanctificationem.
4 Et liberationem.
5 Et confortationem.
6 Et redemptionem.
7 Et tuæ diuinitatis ſecuram tentionem.
8 Claram viſionem.
9 Et beatificam fruitionem.
10 Ad laudem tuam & gloriam ſupremam, Amen.

CAPITVLVM OCTAVVM,

CONTINENS EXERCITIVM pro imitatione virtutum IESV Chriſti Domini noſtri, præcedenti exercitio ſubiungendum poſt ſingulas meditationes.

OBſecramus etiam te (ô benigniſſime IESV) virtutum Domine, omniſq; veræ virtutis fons, eſſentia, exemplar, amator, largitor, & remunerator, & quia vis, & ſicut vis,

Decem ſacra media ad impetrandam imitationem virtutum Chriſti.

1 Tui amore,
2 Et imitatione,
3 Zelo iuſtitiæ & virtutis.
4 Tuo etiam merito,
3 Et corporis & ſanguinis tui ſacramento & ſacrificio:
6 Tuo ſeptiformi dono,

7 Et angelico ministerio:

8 Tuæq; matris,

9 Et patronorum meorum,

10 Sanctorúmque & electorum tuorum omnium exemplo, merito & suffragio facias nos tuarum virtutum veros, deuotos & strenuos imitatores. Eya ergo, quia vis & sicut potes, scis & vis, & quando vis, & quantùm vis: fac nos scire velle, & posse efficaciter imitari tuam & sanctorum tuorum, hanc & hanc virtutem.

Hic exprime virtutes eas, quæ respondent illi ex decem meditationibus quam tu exerces: prout eas distinctas inuenies in sequenti tabula continente diuersas Christi virtutes, per decem classes distinctas, vt singulis decem supradictis meditationibus Dominicæ passionis certæ virtutes respondeant, & à Deo petantur.

Sunt autem hîc virtutes enumeratæ & distinctæ iuxta ordinem & numerum euangelicarum beatitudinum, quas Christus Dominus in monte docuit, & singulis beatitudinibus adiunctæ sunt virtutes illæ quæ eis magis conuenire visæ sunt, vt autem singulis decem meditationibus suprà descriptis, singulæ beatitudines cum adiunctis virtutibus meditando proponerentur, octo euangelicis beatitudinibus, additæ sunt humilitas & charitas cum virtutibus illis conueniẽtibus.

PRO PRIMA MEDITATIONE.

Da nobis inquam imitari tuam & Sanctorum tuorum
Humilitatem,
Timorem & reuerentiam,
Taciturnitatem,
Verecundiam & modestiam.

Hic subiunge Obsecrationes peculiares pro istis virtutibus, quas reperies, pag.465. & sequentib. vsque ad 481.

PRO SECVNDA MEDITATIONE.

Da nobis imitari tuam
Paupertatem,
Sobrietatem,
Castitatem,
Deuotionem.

Hic subiunge Obsecrationes peculiares pro istis virtutibus, quas reperies, pag.481. & sequentib. vsque ad 492.

PRO TERTIA MEDITATIONE.

Da nobis imitari tuam
Austeritatem,
Patientiam,
Mansuetudinem,

Pietatem,
Benignitatem.

Hic ſubiunge Obſecrationes peculiares pro his virtutibus, quas inuenies infrà, pag.492. & ſequentib. vſque ad 499.

PRO QVARTA MEDITATIONE.

Da nobis imitari tuam
Charitatem,
Intentionis rectitudinem,
Abnegationem,
Obedientiam.

Hic ſubiunge Obſecrationes peculiares pro his virtutibus, quas reperies, pag.499.& ſeq. vſque ad 506.

PRO QVINTA MEDITATIONE.

Da nobis imitari tuam
Scientiam,
Contritionem pro peccatis,
Pium luctum,
Compaſſionem,
Orationem.

Hic ſubiunge Obſecrationes peculiares pro iſtis virtutibus, quas inuenies, pag. 506.507. & ſequentib. vſque ad 515.

PRO SEXTA MEDITATIONE.

Da nobis imitari tuam
Eſuriem iuſtitiæ,
Strenuitatem,
Vigilantiam,
Diligentiam,
Deuotionem,
Feruorem,
Zelum & ſeueritatem,
Benignitatem,
Diſcretionem,
Magnanimitatem,
Fortitudinem & conſtantiam.

Hic ſubiunge Obſecrationes peculiares pro iſtis virtutibus, quas infrà reperies pag. 515. & ſequentib. vſque ad 522.

PRO SEPTIMA MEDITATIONE.

Da nobis imitari tuam
Miſericordiam,
Veritatem,
Iuſtitiam,
Gratitudinem,
Liberalitatem,
Magnificentiam.

Hic ſubiunge Obſecrationes peculiares pro iſtis virtutibus, quas infrà reperies, pag. 522. & ſequent. vſque ad 532.

PRO OCTAVA MEDITATIONE.

Da nobis imitari tuam
Temperantiam,
Sensuum continentiam &
Puritatem,
Cordis mundiciem,
Spiritus eleuationem,
Contemplationem diuinorum.

Hic subiunge Obsecrationes peculiares pro his virtutibus, quas infrà reperies, pag. 532. & sequentibus vsque ad 536.

PRO NONA MEDITATIONE.

Da nobis imitari tuam
Prudentiam,
Sapientiam,
Eloquentiam,
Simplicitatem,
Pudicitiam & puritatem,
Pacem &
Pacificationem.

Hic subiunge Obsecrationes peculiares pro his virtutibus, quas reperies pag. 536. & sequentibus vsque ad 549.

PRO DECIMA MEDITATIONE.

Da nobis imitari tuam

Tolerantiam passionum propter iustitiã,
Innocentiam,
Securitatem,
Finalem perseuerantiam.

Hic subiunge obsecrationes peculiares pro istis virtutibus, quas reperies infra, pag. 549. & sequentibus, vsque ad 556.

Quæ sequuntur sunt post singularum decem meditationum virtutes meditatas & postulatas, subiungenda, pro cuiuslibet meditationis conclusione.

CAPITVLVM NONVM.

1 ET quoniam (superamandisse IESV) in prædictis & alijs virtutibus exercendis hactenus nimis negligentes fuimus, I. *Obsecratio pro venia, & expiatione peccatorũ contra virtutes Christi commissorũ.*

2 Et in multis, contraria illis vitia sequentes, te grauiter offendimus.

3 Te per omnes perfectiones, nomina & beneficia tua.

4 Per perfectissimas tuæ vitæ & passionis virtutes & merita.

5 Per omnia quæ assumpsisti, fecisti, ac pertulisti pro nostra omniumque salute.

6 Per Beatissimæ Mariæ matris tuæ.

7 Et omnium Angelorum,

8 Et Sanctorum,

9 Ac electorũ tuorũ virtutes, preces & merita.

10 Obsecramus te, vt quia vis, & sicut potes, scis & vis, iisdem oculis,

1 Quibus respexisti Petrum, Magdalenam, latronem, & cæteros verè pœnitentes nos RESPICIAS,

2 Tuoque respectu nos ILLVMINES, dans claram & integram notitiam peccatorum nostrorum.

3 COMPVNGAS, infundendo veram de illis contritionem & firmam ab ijs præcauendi propositum.

4 EXTRAHAS & absoluas, per puram & integram eorum confessionem & sacramentalem absolutionem.

5 Sicque perfectè nos ABLVAS, & emũdes in tuo pretioso sanguine à culpis & maculis peccatorum nostrorum.

6 SANES & sanctifices, in tuis vulneribus, à peccatorũ reliquijs & prauis inclinationibus, nosque à recidiuo præserues.

7 IVSTIFICES & gratifices in tuis miserationibus & virtutibus.

2. Oblatio paßionis Christi cũ sui ad omnem crucem resignatione.

8 ATQVE DE INFINITO tuæ passionis thesauro plenam satisfactionem patri tuo pro nobis offeras.

9 Sicque IRAM eius & pœnam omnem quam iustè meremur auertas.

10 Et nihilominus nõ in ira, nec in furore: sed in misericordia tua multa & magna hîc nos castigans, castiges: & à peccatis nos perfectè cessare, dignosque pœnitentiæ fructus

facere

facere concedas.

1 Ad quod perficiendum: ex amore tuo, & in vnione charitatis illius qua te ipſum ad crucis paſſionem pro nobis voluntariè obtuliſti.

2 Offerimus nos, ad quamcumque immiſeris per te ipſum, vel inſpiraueris atque conſulueris vt nos aſſumamus, aut ſuper nos aliunde venire permiſeris, pœnam & crucem, in tempore & in æternitate ſuſtinendã.

3 DIFFIDENTES quidem de nobis: ſed in te plenè confidentes.

4 Et OBSECRANTES, vt quantò tepidiores, & fragiliores ſumus; tantò magis per ſuauiſſimum ſpiritum tuum & angelicum miniſterium, aut humanum adiutorium, nos excites, dirigas & confortes ad faciendos dignos fructus pœnitentiæ. 3. *Obſecratio pro faciendis dignis fructibus pœnitentia.*

5 Et quicquid in hoc minus nos fecerimus, tuipſe, ſicut potes, ſcis & vis, ſuppleas: per te ipſum, aut per quoſcumque alios nos caſtigando & purgando.

6 Noſtraſque cruces omnes & paſſiones tuis paſſionibus ADIVNGAS & vnias:

7 Nóſque CONFORTES ad patiẽdum:

8 CONFORMES tibi in medio patiendi:

9 PROTEGAS & ab omni impatientia & vitio inter patiendum præſerues:

10 DIRIGAS, ad remedia & ſolatia in ipſis tribulationibus propter te duntaxat, & ſecundùm te aſſumenda:

11 SVPPLEAS quicquid boni (occaſione & impedimento tribulationis) agere omiſerimus:

12 PERFICIAS, & fœlici fine concludas passiones nostras: easque tuis passionibus vnitas & immersas, per suauissimum cor tuū, OFFERAS Deo patri: ad totius TRINITATIS, & omnium sanctorum gloriam: REFERAS, omnibus viuis & defunctis optatam misericordiam & gratiā: nosque totos semper possideas, tegas & inseparabiliter tibi vnias, Amē.

5. *Oblatio meditationis factæ & aliorū bonorum operum.* Si quid autem in prædictarum virtutum exercitio & vitiorum mortificatione per gratiam tuā hactenus profecimus, aut post hac profecerimus: illud amandissime IESV, velut tuum, simul cum præsenti exercitio meditationis, & cum omnibus quæ vnquam operatus es, & adhuc operaberis in nobis, tuisque & nostris omnibus:

1 SVSCIPE & intrahe in suauissum cor tuum.

2 PVRGA ab omnibus impuritatibus.

3 SVPPLE quicquid in eo neglectum est.

4 PERFICE eius imperfectum.

5 ABSCONDE illud ab omni vana gloria.

6 ADIVNGE illud tuis, tuorumque omnium sanctorum virtutibus, exercitijs & meritis.

7 Et hæc omnia simul vnita, OFFER per idem cor & spiritum tuum, nunc & semper & maximè in hora mortis nostræ.

8 Pro nobis tuisque, & nostris omnibus viuis & defunctis.

9 Sumus cum oblatione corporis & sanguinis tui, quæ pet totum modum vnquam est oblata, offertur & offeretur.

10. Offer inquam ista omnia patri tuo in omnigenam oblationem, scilicet,

1 IN HOSTIAM placationis, pro remittendis peccatis & hostibus repellendis.

2 IN VICTIMAS expiationis, pro cordis impuritatibus & vitiorũ reliquijs tollendis, tentationibusque vincendis.

3 IN DECIMAS plenariæ subiectionis & recognitionis tui super nos supremi dñij.

4 IN PACIFICVM reconciliationis, & amorosæ tecum vnionis.

5 IN SACRIFICIVM laudis, & supremæ adorationis.

6 IN PRIMITIAS deuotæ gratiarum actionis.

7 IN MVNVS nostræ deuotionis & debitæ seruitutis obsequium.

8 IN HOLOCAVSTVM perfectæ mortificationis & resignationis.

9 IN INCENSVM ardentissimi amoris.

10 Sicque plene & efficaciter pro nobis omnibus HONORA patrem tuum, quem peccando in honorauimus.

11 RESTITVE nobis gratiam & amicitiam eius, ac dona quæ perdidimus.

12 Nosque omnes sic ILLVMINA ET IVSTIFICA.

1 Vt tuam MAIESTATEM & dignitatem summam agnoscamus, ADOREMVS, & revereamur.

2 Tuam SAPIENTIAM & æquitatem CONTEMPLEMVR, laudemus & glorificemus.

3 Tuam BONITATEM, charitatem, & beneficiẽtiam sapiamus; AMEMVS, tibique ex amore seruiamus.

4 Nostram VILITATEM, & nihilum,

5. Nouem oblationũ genera notanda.

6. Obsecratio pro fructibus passionis Christi percipiẽdis.

7. Nouem illuminationes & iustificationes quas per Christi passionẽ consequimur.

SCIAMVS, VILIPENDAMVS, & nos propterea ab alijs cõtemni, & pro nihilo haberi desideremus & gaudeamus.

5 PECCATORVM nostrorum multitudinem, turpitudinem & grauitatem ponderemus, HORREAMVS, fugiamus, persequamur, & puniamus, ab alijsque ea puniri & castigari optemus & gaudeamus.

6 POENARVM inferni vel purgatorij pro illis meritarũ acerbitatẽ & multitudinẽ prospiciamus, TIMEAMVS, & dignis pœnitẽtiæ fructib⁹ præuenire & euadere studeamus.

7 TVAE ASSVMPTAE HVMANITATIS & in hoc exilio conuersationis sanctitatem & amabilitatem contemplemur, AMOROSO AFFECTV sæpiùs RECOGITEMVS, attendamus, laudemus, & pro exẽplari perfectissimo nobis ad imitãdum semper proponamus.

8 VIRTVTVM TVARVM (quas in eadem humanitate & vita tua perfectissimè exercuisti) perfectionẽ & NOBILITATEM ATTENDAMVS & imitari desideremus & conemur.

9 GLORIAE ET BEATITVDINIS diligẽgentibus & sequentibus te præparatæ & promissæ, immensitatem consideremus, SPEREMVS, ad eã; iugiter & ardẽter aspiremus.

1 SANCTIFICA ETIAM (sanctissime IESV) & purga nos ac prę serua ab omni superbia vitæ.

2 A CONCVPISCENTIA oculorum & inordinata cupiditate.

3 A VITIOSA CONCVPISCENTIA carnis & voluptate immunda.

4 LIBERA NOS à misera captiuitate & seruitute DIABOLI.

5 PECCATI.

6 Et PRAVAE conſuetudinis ac corruptionis.

7 CONFORTA noſtram infirmitatem ad reſiſtendum mundo,carni,& Diabolo.

8 AD TOLERANDVM propter te omnem ignominiam, penuriam & pœnalitatem.

9 AD AGGREDIENDVM,proſequendum, & perficiendum ſemper , vbique & in omnibus tuum beneplacitum.

10 REDIME nos & præſerua ab omnibus & ſingulis inferni pœnis & damnis.

11 Et perduc ad æterna & infinita beatitudinis tuæ præmia.

Vbi cum Beata Maria & Angelis & ſanctis omnibus poſſimus te cum patre & Spiritiuſancto trinum & vnum Deum ſtabiliter & inauertibiliter. 8.

Obſecratio pro actibus & exercitiis beatorum obtinendis.

1 Cogitare & præſentem ſentire.

2 Adorare & reuereri.

3 Securè tenere & poſſidere.

4 Te clarè facie ad faciem videre.

5 Continuè laudare & glorificare.

6 Admirari & in te ſuſpendi.

7 Te amare perfectè , tibique omne bonum ſummè deſiderare.

8 Gaudere,ſatiari, inebriari , de tua omnimoda gloria & beatitudine.

9 In te abſorberi & transformari.

10 Tibiq; abſq; medio inſeparabiliter vniri,& in tua pace in æternũ requieſcere.Quod vtinã des omnib⁹ nobis,ardẽter deſiderare & quærere , fiducialiter à te expectare,& citiùs obtinere , ad tuam gloriã & omniũ ſalutem.

Amen benigniſſime IESV ,quia vis, & ſicut potes,ſcis & vis.

CAPITVLVM DECIMVM.

Sequitur explicatio nominum Dei quæ in exercitio amoris sunt supra commemorata & per decem classes distincta, in quarum singulis quinque ternaria nominum sunt nudè posita, quæ hic explicantur, & conuenientibus sibi obsecrationibus illustrantur, eo ordine quo ibi fuerunt commemorata: vt singulis decem meditationibus supra scriptis faciliùs possint coaptari & adiungi. Postquam ergo exercitium amoris prosequens (prout suprà habetur) quinque ternaria nominum meditationi quam exerces conuenientia nudè & simpliciter commemoraueris, ante Adorationes & Obsecrationes illis respondentes præmitte quod hic sequitur.

Præfatio ante Adorationes super quinque ternariis cuiuslibet meditationis præmittēda.



ET nunc superamãdissime Domine Deus IESV Christe, vt in amore tuo magis exercear & proficiã: ecce ex affectu amãtissimæ matris tuæ, B. Angelorum patronorum & omnium Sanctorum tuorum, ex mea tuórumque & meorum specialium ac omnium creaturarum parte: ad tuam gloriam & omnium salutem: per suauissimum cor & spiritum tuum: te cum patre & spiritu sancto trinum & vnum Deum adoro & reuereor, glorifico, amo, tibique gratias ago pro omnibus & singulis nominibus & beneficijs tuis.

¶ *Primum ternarium primæ meditationis.*

Eya igitur amans adoro te & reuereor, ô æterne præcognitor, præuisor & amator,

Primum ternariũ primæ meditationis

1 Qui ab æterno quales futuri eramus præcognouisti;

2 Ingratitudinem nostram, & offensas contra te multiplicies clarè præuidisti:

3 Et nihilominus nos amasti, nobísque benefacere proposuisti.

Amans laudo & glorifico te, ô segregator, elector, & gratificator,

4 Qui ab æterno in tua præscientia nos (vt piè speramus) à numero reproborum segregasti,

5 Nósque elegisti, & inter electos tuos in libro vitæ descripsisti,

6 Atque gratificasti, & gratos & tibi acceptos nos habuisti.

Amans congratulor tibi, ô prædestinator æterne,

7 Qui ab æterno volens nos saluare & tecum glorificare, ad hoc consequendum prædestinasti & firmiter proposuisti nos VOCARE ad fidem.

8 IVSTIFICARE per gratiam, & virtutes.

9 Et tandem GLORIFICARE, per tuæ beatitudinis securam & perpetuam communicationem.

Gratiásque agens me totum tibi ex amore offero (ô vnitrine Deus) pro his cæterísque

nominibus,& pro omni bono quod es, quod habes,& quod operaris. Atque vtinam (quia vis,& ſicut vis,ſcis, & potes) ad tuam & ſanctorum tuorum gloriam,noſtrámque & omnium ſalutem, Eccleſiæ & regni, domus & ordinis veram directionem & pacem,horum tuorum nominum virtutem & efficaciam nobis manifeſtes, & fructuosè communices, ſicque ad amorem tuum nos excites.

ANNOTATIO.

Hic per id quod dicis Deo (quod habes) *intellige omne bonum quod eſt in creaturis (hoc enim Deus habet & poſſidet tanquam ſuum,à ſe procedens & dependens) Per id verò quod dicis* (quod operaris) *intellige omnia bona quæ Deus in omnibus & ſingulis creaturis, & per ſingulas creaturas operatur & perficit.*

Eya ergo ô æterne præcognitor, præuiſor & amator,

Obſecrationes ſingulis nominibus primi ternarii reſpondētes.

1 Fac vt te ſemper & vbique præſentem nobis,ſentiamus & adoremus.

2 De præteritis offenſis contra te commiſſis pœniteamus,& futuras præcaueamus.

3 Te amemus, & ex amore gratum tibi obſequium ſemper & vbique præſtare, deſideremus & ſtudeamus.

O ſegregator, elector,& gratificator,

4 Eya à reprobis nunc vitæ merito nos ſegrega.

5 Electorum tuorum numero efficaciter adiunge.

6 Nósque gratifica, & per tuæ gratiæ infusionem tibi gratos & acceptos facito.

O æterne prædestinator.

7 Eya per singula momenta liberè & efficaciter operare in nobis, id quod ab æterno pro nostra salute disposuisti, magis ac magis nos VOCANS & dirigens ad salutaria quęque.

8 IVSTIFICANS nos per gratiæ tuæ, & bonorum operum augmentum cõtinuum.

9 Et ad spem & desiderium tuæ æternæ gloriæ nos excitans, promouens & tandem perducens.

O vnitrine Deus omnipotens & misericors, (quia vis, & sicut potes, scis & vis) nos totos tuo amore purga, illumina, succende, excita, adiuua, perfice, & in te absorbe, transforma, vni, & clementer exaudi, ad tuam & sanctorum gloriam nostrámque & omnium salutem, regni & domus ac ordinis veram directionem & pacem, Amen. Ita quæso fiat, sicut amanter & confidenter petimus, ô benignissime Pater, per Iesum dilectum filium tuum, in Spiritu sancto, intercedente B. Maria & omnibus Angelis, sanctis & electis tuis, ô mater Dei, ô Angeli, ô Sanctj & electi omnes orate pro nobis, & magnificate Dominum nobiscum.

3. *Admonitio docens qualiter sit procedendum in adoratione & obsecratione super singulis ternarijs sequentibus.*

Sicut in hoc primo ternario factum vides, sic in singulis sequentibus obserua vt ante explicationem primi nominis ternarij cuiuslibet præmittas hæc verba (Amans adoro te, ô talis N.) *ante explicationem secundi nominis* (Amans glorifico te, ô talis N.) *ante explicationem tertij nominis* (Amans tibi congratulor, ô talis N.) *denique post explicationem cuiuslibet ternarij semper subiungas clausulam illam*, (Gratiásque agens me totum tibi offero &c.) *Deinde iterum resumas per ordinem singula ternarij nomina: primo nomini præmittendo* (Eya ô talis) *& subiungens obsecrationes ei conuenientes: postea secundum nomen ternarij repetens subiunge obsecrationes ei conuenientes. Idémque obserua in tertio nomine. Denique post obsecrationes tertio nomini congruas semper subiunge clausulam illam* (ô vnitrine Deus omnipotens & misericors &c.) *Quod si volueris aliud ternarium statim consequẽter meditari, sufficiet vti hac præfatione* (Eya iterum atque iterum millies & centies millies ex affectu quo supra amans adoro te ô talis.) *Talis autem modus hæc ternaria meditandi est quidem prolixior, sed efficaciùs nos Deo coniungit, per actus amoris, adorationis, laudis, congratulationis, gratiarum actionis, obsecrationis & resignationis quæ in eo exercentur. Nec debet ab eo prolixitas deterrere aut reuocare: quoniam non est necesse multa ternaria vno meditationis tempore percurrere. Imo magis expedit vnicum ternarium sic morosè meditari, quàm multa ternaria leuiter commemorando cogitare. Elige tamen modum meditandi*

tandi quo senseris te magis ad Deum affici. In his enim voluntarijs exercitijs, vnusquisque potest eum modum seruare, quo senserit se deuotiùs moueri. Cæterùm quoties volueris, & vbicumque fueris, poteris te in his ternarijs exercere multipliciter, præmittendo singulis nominibus solum hoc verbum (Amemus te ô talis) *vel* (te talem) *& post illius expositionem, præmittendo ante obsecrationem & respondentem hæc verba* (atque vtinam hæc & hæc præstes) *Aut omittere poteris obsecrationes, si sola expositione nominum senseris ad amorem meliùs excitari. Ex ipsis etiam solis nominibus, omissa eorum expositione & obsecratione, poteris sæpe breues aspirationes & iaculatorias orationes formare: sic dicens.* (Amen te ô talis) *vel* talem, *vel* (Amemus te ô talis) *vel* (laudo te ô talis) *seu* (Amans congratulor tibi ô talis) *vel* (ô talis miserere nostri, & ad amorem tuum nos misericorditer restaura) *vel* (Aue IESV talis) *aut* (veni IESV talis) *Et multis alijs modis provt te melius docebit vnctio, si deuotè & studiosè in his te exercere volueris. Porrò si multitudo ternariorum videatur tibi prolixior & onerosa, selige ex illis ea quibus te magis affici senseris & omissis alijs, in illis te exerce. Ad hoc enim tanta varietas posita est, vt vnusquisque eligat quod sibi conuenientius videbitur, & vt satisfiat his qui pluribus indigent, vt occupetur mens eorum.*

4. *Explicatio secundi ternarij primæ meditationis.*

Eya iterum atque iterum millies & centies millies, ex affectu quo suprà,

Amans adoro & reuereor te ô PATER SVPERPIISSIME.

1 Qui ab æterno filium tuum generans, in eodem per ideam nos quodammodo genuisti.

2 Qui es parens patrum nostrorum.

3 Qui es animæ nostræ solus creator, & corporis nostri verus formator.

4 Qui credentes in nomine filij tui, adoptas in filios.

5 Qui diligentes te, hæredes tuos facis.

6 Qui plusquàm paterna pietate de nobis es semper solicitus.

7 Qui filio prodigo ad te reuertenti occurris, ipsúmque amplecteris & oscularis.

8 Stolámque primam, annulum & calceamenta, illi restituis.

9 Ac vitulo saginato, pro eius reuersionis gaudio occiso, ipsum reficis.

10. Gaudénsque cum eo epularis, & ad gaudendum alios inuitas.

Amans laudo te & glorifico, ô frater amantissime IESV CHRISTE,

1 Qui solus & vnicus Dei patris natura-

lis filius existens, voluisti per humanitatis nostræ assumptionem personalem, frater noster fieri & nominari.

2 Qui es primogenitus in multis fratribus, nec confunderis nos vocare fratres.

3 Qui credentibus in nomine tuo, das potestatem filios Dei fieri.

4 Qui nomen patris nobis manifestas.

5 Qui doces viam qua ei placeamus & ad eum veniamus.

6 Qui vt patri tuo nos reconciliares dignatus es crucifigi.

7 Qui per passionis tuæ meritum, facis nos tui regni cohæredes, si tamen tecum pati non recusamus.

8 Qui prodigos filios vt ad Patrem redeant inuitas & attrahis.

9 Qui pro eorum refectione, in Eucharistiæ sacramento tanquam vitulus saginatus apponeris.

10. Qui de eorum reuersione sine fine gaudes & gaudium facis Angelis & sanctis.

Amans congratulor tibi, ô sanctificator spiritus benignissime,

1 Qui electos tuos purgas ab omni vitio & inquinamento.

2 Perficis & exornas omni gratia & virtute.

3 Stabilis & confirmas in omni bono.

Gratiáſque agens me totum tibi offero (ô vnitrine Deus) pro his cæteriſque nominibus tuis & pro omni bono quod es, quod habes, & quod operaris. Atque vtinam quia vis, & ſicut vis, ſcis, & potes, ad tuam & ſanctorum tuorum laudem, noſtrámque & omnium ſalutem, Eccleſiæque & regni, domus & ordinis reformationem & pacem, horum tuorum nominum virtutem & efficaciam nobis manifeſtes & applices, ſicque ad amorem tuum nos reſtaures.

Eya ergo ô pater ſuperpijſſime,

1 Fac vt te filiali ſemper affectu vbique reuereamur & colamus.

2 Te pluſquàm parentes noſtros amemus, & tui amore illos, quandò & ſicut opus fuerit, odio habeamus & deſeramus.

3 Animam & corpus noſtrum, in tuo ſeruitio hilariter impendamus.

4 Sic in nomine filij tui credamus, vt verè filij tui efficiamur.

5 Sic te ſincerè diligamus, vt tuam hæreditatem conſequamur.

6 Ad tuam paternam curam & prouidentiam in omni noſtra neceſſitate confugiamus, & omnem noſtram ſolicitudinem in eam proiiciamus.

7 Nos verè prodigos filios tuos ad te reuertentes benignè ſuſcipe, nóſque amplectere, & oſculum pacis nobis imprime.

8 Redde nobis ſtolam innocentiæ, annulum fidei, & exemplis ſanctorum, tanquam calceamentis, pedes noſtros muni.

9 Crucifixo IESV Chriſto filio tuo tanquam vitulo ſaginato nos in Euchariſtiæ ſacramento refice.

10 Nobiſcum epulare gaudens, & ad congaudendum ſanctos tuos inuita.

O frater amantiſſime IESV Chriſte,

1 Eya fac vt te verum Deum, factum propter nos verum hominem viua & clara fide ſemper credamus & reuereamur.

2 Te fratrem primogenitum, agnoſcamus & honoremus.

3 Sic deuotè & fideliter in nomine tuo credamus, vt verè filij Dei nominemur & ſimus.

4 Manifeſta nobis nomen patris tui, vt eum amemus.

5 Doce nos compendioſiorem viam & ſemitam qua ei placeamus, & ad eius gloriam perueniamus, videlicet tua Euangelica conſilia & vitæ ac paſsionis tuæ exempla.

6 Mortis tuæ merito nos ei ſemper reconcilia.

7 Sic nos fac tuis paſsionibus communicare, vt regni tui cohæredes tecum eſſe poſsimus.

8 Nos verè prodigos filios ad patrem reuoca & attrahe.

9 Fac vt te in Euchariſtiæ ſacramento, ſic

deuotè ſumamus vt à te ſaginari valeamus.

10 De noſtra conuerſione,& ſalute gaude, & gaudium angelis & ſanctis infunde.

O ſanctificator Spiritus benigniſſime,

1 Eya nos immundos purifica ab omni impuritate & peccato.

2 Nos defectuoſos, tua gratia, & donis perfice & exorna.

3 Nos inſtabiles,in omni bono tua virtute conforta & ſtabili.

O vnitrinè Deus, omnipotens & miſericors, quia vis & ſicut potes ſcis & vis,nos totos tuo amore purga,illumina,excita, adiuua, perfice, ſuccende, in te abſorbe, transforma, vni & clementer exaudi, ad tuam & ſanctorum gloriam, noſtrámque.& omnium ſalutem,Eccleſiæ'q; & regni,domus & ordinis reformationem & pacem, ac omnium ſalutarium petitionum benignam exauditionem. Amen ô benigniſſime Pater per Ieſum dilectum filium tuum,in Spiritu ſancto, intercedéte B. Maria, BB Angelis & Sanctis omnibus. O mater Dei,ô Angeli,ô Sancti,& electi omnes orate pro nobis, & magnificate Dominum nobiſcum.

In huius ternarij explicatione articuli ſunt vltra ternarium numerum multiplicati, quod raro in ſequentibus factum reperies: communiter enim quodlibet nomen cuiuſlibet ternarij, triplici tantùm expoſitione, & obſecratione illuſtratur: ſed quilibet poteſt ſi voluerit

aliorum ternariorum explicationem similiter dilatare & multiplicare.

¶ *Explicatio tertij ternarij primæ meditationis.*

Eya iterum atque iterum millies & centies millies, ex affectu quo suprà,

Amans adoro te & reuereor ô Pater misericordiarum,

1 Cui proprium est misereri semper & parcere.

2 Qui misereris omnium verè pœnitentium, quantumuis magni peccatores fuerint.

3 Qui facis gratiam abundare, vbi delictum abundauit.

Amans laudo te & glorifico te ô particeps miseriarum nostrarum fili Deus,

4 Qui omnes miserias, exceptis peccato & ignorantia, in tua humanitate suscipere & experiri dignatus es, vt à flagellis iræ & furoris tui nos redimeres.

5 Qui ad patiendum, tuo exemplo & verbo nos excitas & instruis.

6 Qui passiones nostras tuis vnitas, reddis meritorias vitæ æternæ.

Amans congratulor tibi, ô Deus totius consolationis,

7 Qui in omni tribulatione nostra nos reficis & consolaris tua laude & gratiarum actione, cæterisq; fructibus spiritus tui.

8 Qui opportuno tempore & modo, sperantes in te, téque inuocantes liberas à tribulatione.

9 Qui pro qualibet tribulatione patienter propter te tolerata copiosam reddis mercedem.

10 Gratiásque agens me totum tibi ex amore offero, ô vnitrine Deus, pro his, cæterisq; nominibus tuis, & pro omni bono quod es, quod habes & quod operaris. Atque vtinam quia vis, & sicut potes, scis, & vis, ad tuam laudem & sanctorũ gloriam, nostrámque & omnium salutem, Ecclesiæ & regni, domus & ordinis directionem & pacem, horum tuorum nominum virtutem & efficaciam nobis manifestes & applices.

Eya ergo ô Pater misericordiarum,

1 Fac vt ad paternam tuam misericordiam fiducialiter semper & deuotè recurramus.

2 Ex ea peccatorum veniam & emendationem perfectam obtineamus.

3 Ab ea gratiam omnem & virtutem tantò abundantiùs recipiamus, quantò amplius delictum in nobis abundauit.

O particeps noſtrarum miſeriarum fili Deus,

4 Eya fac vt tuarum paſſionum, & miſeriarum ſic deuotam & continuam habeamus memoriam, vt à flagellis iræ & furoris tui præſeruemur.

5 Earum exemplo & merito excitemur, & inſtruamur ad patiendum hilariter aduerſa omnia propter te.

6 Noſtras paſſiones tuis ſemper adiungi optemus, & eaſdem ſic tuis vnitas patri tuo offeramus in laudem æternam & omnium ſalutem.

O Deus totius conſolationis,

7 Eya nos & omnes in tribulatione conſtitutos tua laude cæteriſq; tui ſpiritus fructibus refice & conſolare.

8 Tempore & modis tibi placitis nos libera, & fac vt in te iugiter ſperemus, téque deuotè ſemper inuocemus.

9 Sic patienter & amanter fac nos quælibet aduerſa pro amore tuo pati, vt fructum omnem propter quem aduerſa ſoles nobis mittere, aut permittere recipiamus. O vnitrine Deus, &c. vt ſup. in fine ſecũdi ternarij.

¶ *Explicatio quarti ternarij primæ meditationis.*

Eya iterum atque iterum millies & centies millies ex affectu quo ſuprà,

Amans adoro & reuereor te ô promptiſſime amator,

Quì vbique, ſed maximè in fundo & nuda eſſentia animæ noſtræ ſemper es præſentiſſimus.

1 Per eſſentiam, eam in eſſe conſeruans.

2 Per potentiam, liberè in ea dominans & operans.

3 Per gratiam,eam tibi gratificans, ſi tibi ad oſtium pulſanti aperuerimus.

Amans laudo & glorifico te ô intentiſſime amator,

4 Qui vnicuique noſtrum ſic ſingulàriter intendis, & de eo ſic es ſolicitus ac ſi cæterorum oblitus, illi ſoli intenderes.

5 Qui neceſſitates noſtras, labores & tentationes conſideras & agnoſcis.

6 Qui renum noſtrorum teſtis es,& cordis noſtri ſcrutator verus, ac linguæ noſtræ auditor.

Amans congratulor tibi ô promptiſſime amator,

7 Qui paratiſſimus es,quod ex te eſt, nobis ſemper ſuccurrere.

8 Qui ad modicum gemitũ & ſolum deſiderium cordis noſtri te inclinas.

9 Qui orationes noſtras non indignè factas, ſemper acceptas & remuneras, & quod petimus, ſi, & quando expedit,donas: dummodo in oratione perſeuerantes fuerimus.

Gratiasq; agens, me totum tibi offero, ô vnitrine Deus, pro his cæterisq; nominibus tuis, & pro omni bono quod es, quod habes, & quod operaris. Atque vtinam horum tuorum nominum virtutem & efficaciam nobis manifestes & applices.

Eya ergo ô præsentissime amator,

1 Fac vt semper & vbique nobis præsentissimum non solùm credamus sed etiam sentiamus.

2 Te reuereamur, & coram te semper reuerenter ambulemus, & sub tua omnipotentia humiliemur.

3 Te timeamus vel in modico offendere, tibiq; pulsanti confestim aperientes, gratiam tuam consequamur.

O intentissime amator,

4 Eya fac vt nos singulariter & iugiter tibi soli intendamus, omnia propter amorem & honorem tuum agentes.

5 Consulamus te, & deuotè inquiramus ac solicitè intus audiamus quid à nobis exigas in omni tempore.

6 Videamus clarè & veraciter, quid tibi sit gratius in omni negotio, loco & tempore.

O promptissime amator,

7 Eya fac nos semper paratissimos ad omne tuum beneplacitum.

8 Fac nos fiducialiter in omni noſtra neceſſitate ſuſpirare ad te & gemere.

9 Fac nos in oratione cum fide firma perſeuerare, & orationum noſtrarum exauditionem & fructum plenè tibi committere, credentes quod tu pro vt melius fuerit nobiſcum facies.

O vnitrine Deus,&c.vt ſup. in fine ſecundi ternarij.

¶ *Explicatio quinti ternarij primæ meditationis.*

Eya iterum atque iterum millies & centies millies ex affectu quo ſuprà,

Amans adoro te & reuereor ô ſuperdigniſsime Deus,

1 Qui ſuper omnia digniſsimus es omni reuerentia & adoratione, propter tuam infinitam maieſtatem.

2 Omni laude & glorificatione, propter tuam ſapientiam & claritatem immenſam.

3 Omni amore & grato obſequio, propter tuã inæſtimabilẽ bonitatẽ & beneficentiam.

Amãs laudo & glorifico te ô ſuperaffabiliſsime Deus, qui ſuper omnia affabilis & ſuauis es,

4 In tua viſitatione, qua electos tuos in ſalutari tuo viſitas, inſpirans eis ſancta deſideria.

5 In tua interna locutione: qua intus ad cor eorum loqueris, docens eos recta cõſilia.

6 In tua miſericordi operatione, qua in ipſis bona omnia & iuſta operaris.

Amans congratulor tibi ô ſuperdelitioſiſſime Deus, qui es ſuper omnia delitijs affluens,

7 In teipſo fonte perpetuo dulcedinis.

8 In familiaribus tuis, cum quibus eſſe & commorari delitias tuas reputas.

9 In ſanctis iam tecum glorificatis, quos tuis delitijs reples & inebrias.

Gratiasq́ue agens, me totum tibi offero (ô vnitrine Deus) pro his cæterisq́ue nominibus tuis, & pro omni bono quod es, quod habes, & quod operaris. Atque vtinam horum tuorum nominum virtutem & efficaciã nobis manifeſtes & applices.

Eya ergo ô ſuperdigniſſime Deus,

1 Fac vt ſuper omnia te ſemper adoremus & revereamur.

2 Deuotè laudemus & glorificemus.

3 Ardenter amemus, & ex amore gratum tibi obſequium ſemper exhibeamus, iuxta ſupremum tuum beneplacitum.

O affabiliſsime Deus,

Eya fac nos ardenter deſiderare, ſtudioſè quærere, & quando & ſicut tibi placuerit experiri & guſtare dulcedinem

4 Tuæ viſitationis benignæ, per inſpirationem ſanctorum deſideriorum.

5 Tuæ internæ allocutionis, per conſiliorum iuſtorum ſuggeſtionem.

6 Tuæ ſalutaris operationis, per iuſtorum operum exercitationem.

Eya viſita nos, loquere nobis, & operare in nobis ſicut volueris.

O ſuperdelitioſiſsime Deus.

7 Eya fac nos in te ſolo delitias quærere, & propter te omnibus vanis delectationibus abrenunciare.

Da vt tam purè & religiosè viuamus, vt tuæ delitiæ ſint in nobis, & nobiſcum habitare & manere.

Ad delitias beatorum iugiter aſpiremus, & tandem te trahente proueniamus.

O vnitrine Deus omnipotẽs &c. Vt ſup. in fine 2. ternarij.

SEQVITVR EXPLICATIO ternariorũ ſecundæ Meditationis.

CAP. VNDECIMVM.

¶ Explicatio primi ternarij.

O Superamãdiſsime Domine Deus IESV Chriſte, vt in amore tuo magis exerceat & proficiã: eccè ex affectu amantiſsimæ matris tuæ: BB. Angelorum, patronorum, & omnium ſanctorum tuorũ: ex mea tuorumque & meorum ſpecialiũ ac omnium creaturarum parte ad tuam gloriam & omnium ſalutem: te cum patre & Spirituſancto trinum & vnũ Deum per ſuauiſsimum cor & ſpiritum tuũ, adoro, glorifico, amo; tibique gratias ago pro omnibus ac ſingulis nominibus tuis.

Eya igitur amans adoro & reuereor te,

O plaſmator & factor noſter Deus,

1 Qui corpus noſtrum de limo terræ, primò, & poſtea de ſemine parentum mirabiliter formaſti atque perfectum feciſti.

2 Qui

2 Qui pulchra membrorum varietate & diſpoſitione illud ornaſti.

3 Qui ad animæ & ſpiritus functiones & miniſteria illud aptum & vtile reddidiſti.

Amans laudo & glorifico te, ô creator & configurator noſter Deus,

4. Qui de nihilo animam noſtram creaſti, ſimplicem, incorpoream & immortalem.

5 Qui dediſti ei poteſtatem viuificandi corpus & informandi, dando ei eſſe viuens.

6 Qui ad imaginẽ altiſſimæ Trinitatis eã feciſti: memoria, intellectu, & volũtate eã inſigniens, & rationalẽ tuique capacem faciens.

Amãs cõgratulor tibi, ô aſsimilator & transformator noſter Deus.

7 Qui primos parentes noſtros per originalem iuſtitiam ad ſimilitudinem tuam formaſti, tibíque in virtute ſimiles feciſti.

8 Qui per gratiæ tuæ dona & virtutes, electorum animas tibi aſsimilas & exornas.

9 Qui per gratiam contemplationis in præſenti & per fruitionem tuæ diuinitatis in futuro, ſpiritus electorum in te transformas & perfectè tibi conformas.

Gratiáſque agens me totum tibi ex amore offero, ô vnitrine Deus, pro his cæteriſque nominibus tuis & pro omni bono quod es, quod habes & quod operaris. Atque vtinam quia vis & ſicut vis, ſcis & potes, ad tuam & ſanctorum gloriam, noſtramque & omnium ſalutem, Eccleſiæ & Regni, domus & ordinis veram directionem & pacem, horum tuorum nominum virtutem & efficaciam nobis manifeſtes & fructuosè communices.

Eya ergo ô plaſmator & factor noſter Deus,

1 Plaſma tuum ne deſpicias, ſed corpus quod formaſti, ſanum & integrum in tuo ſeruitio conſerues.

2 Purum,ſanctum,honeſtum, ac pulchrũ coram oculis tuis illud ſempér efficias.

3 Obediens ſpiritui, patiens & laborioſum,atque ad opera tibi placita illud aptum reddas.

O Creator & configurator noſter Deus,

4 Eya purga animam noſtram ab omni vitioſa multiplicitate,à corporea impuritate, & ſpirituali morte:vt verè ſit ſimplex, incorporea,& immortalis.

5 Fac vt ipſa corpus noſtrum viuificet & moueat ad ea ſola quæ tibi ſunt placita.

6 Tres eius potentias rationales tibi configura,gratifica & tui capaces potenter effice: vt te,& omnia, propter te, ſecundùm te,per memoriam recolamus & retineamus, per intellectum cognoſcamus & contemplemur:& per voluntatem amemus & amplectamur.

O aſsimilator & ornator noſter Deus,

7 Eya pro iuſtitia originali quam amiſimus, reſtitue & conſerua in nobis gratiam regenerationis,in baptiſmò nobis collatam.

8 Per gratiæ tuæ dona & virtutes,ſicut ſcis, vis & potes,nos tibi conforma & gratifica.

9 Ad contemplationis gratiam fac nos ſic ſtudioſè tendere : vt internæ transforma-

tionis & vnionis nunc gustum : & in patria plenitudinem & satietatem percipere tandem valeamus.

O vnitrine Deus omnipotens & misericors,

Quia vis,& sicut potes,scis,& vis nos totos tuo amore,purga,illumina, excita, adiuua,perfice,succende, in te absorbe, transforma,vni & clementer exaudi,ad tuam & sanctorum gloriam, nostramque,tuorumque & nostrorum specialium & omnium salutẽ : ac Ecclesiæ & Regni, domus, & ordinis verã directionem & pacem, Amen. Ita quæso fiat, sicut confidenter petimus, ô benignissime pater,per IESVM dilectum filium tuum: in spiritusancto:intercedente B.Maria & omnibus Angelis Sanctis & electis.

O Mater Dei, ô Angeli, ô Sancti, & electi omnes orate pro nobis & magnificate Dominum nobiscum.

2. *Explicatio secundi Ternarij, 2. Medit.*

Eya iterum atque iterum millies & centies millies ex affectu quo suprà,

Amans adoro & reuereor te ô Iudex viuorum & mortuorum,

1 SVPREME & potentissime, à quo nec appellari potest, nec tibi resisti.

2 Sapientissime & æquissime, qui merita singulorum clarissimè discernis & iustissimè remuneras.

3 Benignissime erga pœnitentes, & seuerisime erga pœnitere nolentes vel negligentes.

Amans laudo & glorifico te, ô aduocate & patrone noſter.

4 Benigniſsime, cauſam noſtram, licet malam ſuſcipiens defendendam & tuis meritis excuſandam.

5 Fideliſsime, pro nobis patrem interpellans, exorans, & teipſum illi offerens.

6 Acceptiſsime Deo patri, qui in te ſemper ſibi complacuit, & per te nos ſibi gratos & acceptos facit.

Amans congratulor tibi, ô abſolutor, iuſtificator & remunerator noſtri.

7 Qui abſoluis nos clementer à damnatione promerita.

8 Qui iuſtos nos pronũcias & facis, gratiam & amicitiam tuam nobis reſtituens.

9 Qui iuſtitiæ meritum & gloriæ palmã nobis, ſi in te perſeuerauerimus, retribuis.

Gratiasq́ue agens me totum tibi offero (ô vnitrine Deus) pro his cæterisq́ue nominibus tuis & pro omni boni quod es, quod habes, quod operaris. Atque vtinam horum tuorum nominum virtutem & efficaciam nobis manifeſtes & applices.

Eya ergo ô Iudex viuorum & mortuorum,

1 Fac vt ſic te iudicem ſupremum reuereamur & timeamus: quatenus ab omni malo declinemus.

2 Sapienter peccata noſtra conſideremus, ponderemus, & diiudicemus.

3 Dignis pœnitentiæ fructibus tuam

benigni

benignitatem nobis conciliemus, & futuri iudicij seueritatem declinemus.

O aduocate & patrone noster.

4 Eya nos & causam nostram in patrocinium tuum benignè semper suscipe.

5 Fideliter & efficaciter patrem tuum pro nobis interpella: teipsum offerens illi iugiter.

6 Tuis meritis nos ei reconcilia, & gratos atque acceptos fac.

O absolutor noster & iustificator,

7 Eya absolue nos misericorditer à culpa & à pœna quã iustè nos meruisse cognoscimus.

8 Iustifica nos & in gratiam atque amitiam tuam nos recipe.

9 Ad spem gloriæ iustis repromissæ nos erige & accende: eiúsque tandem participes nos esse concede.

O vnitrine Deus &c. vt sup. in fine primi ternarij.

3 *Explicatio tertij ternarij secundæ Meditationis.*

Eya iterum atque iterum millies & centies millies ex affectu quo suprà.

Amans adoro & reuereor te ô pater futuri seculi & patriæ cælestis.

1 Qui es pater & largitor beatæ vitæ in futuro seculo.

2 Qui es patria noſtra, ad quam continuè tendere debemus.

3 Qui es hęreditas & tota merces noſtra, quã expectamus, ad quam omnia ſtudia noſtra, paſsiones & opera, referre & ordinare debem⁹.

Amans laudo te & glorifico te, ô dux & comes itineris noſtri ac director,

4 Qui in tua humana vita & conuerſatione, veram viam ad patriam cœleſtem nobis oſtendiſti: & verbo ac Euangelij ſanctorumque ſcriptis docuiſti.

5 Qui in cordibus electorum tuorum per fidem & charitatem inhabitans, eos in huius vitæ via comitaris.

6 Et intus doces eos ſemitas ocultas & compendioſiores ad patriã cœleſtẽ ducẽtes.

Amans congratulor tibi ô excitator & recreator & ſubleuator in via,

7 Qui ad progrediendum ſtrenuè in via ſalutis nos ſemper inuitas & excitas.

8 Qui laſſos & deficientes in via multipliciter recreas & reficis.

9 Qui cadentes ſuſcipis, eliſos erigis, & tentatos protegis.

Gratiasque agens me totum tibi offero, ô vnitrine Deus, pro his cæteriſque nominibus tuis, & pro omni bono quod es, quod habes, & quod operaris. Atque vtinam horum tuorum nominum virtutem & efficaciam nobis manifeſtes & applices.

Eya ergò ô Pater futuri ſæculi.

1 Da vt hîc nos aduenas & peregrinos agnoſcentes, ad te patrem futuri ſeculi iugiter ſuſpiremus.

2 Ad te patriam noſtram cœleſtem, continuis greſſibus & profectibus properemus.

3 Te ſolum pro hæreditate noſtra & tota mercede requiramus & expectemus, ac propter te omnia agamus, patiamur & dimittamus.

O Dux & comes itineris noſtri,

4 Fac vt vitæ tuæ exemplar, Euangelijque, & ſanctorum tuorũ ſcripta & monita deuotè & ſtudiosè attendamus, & ex eis veram vitæ æternæ viam agnoſcamus & ſequamur.

5 Teque in cordibus noſtris, per gratiam præſentem ſemper ſentiamus, & noſtri itineris comitem inſeparabilem habeamus.

6 A te perfectiores ſemitas intus ſolicitè audiamus, eaſdémque te Duce & comite perambulemus.

O excitator, recreator & ſubleuator in via,

7 Eya excita nos, vt in via ſalutis quotidie progredi & proficere feruenti ſtudio conemur.

8 Paſſos nos & deficientes, tuis panibus & gratijs recrea & conforta.

9 Cadentibus nobis manum tuam ne collidamur ſuppone: eliſos iam erige, & tentatos protege.

O vnitrine Deus &c. vt ſuprà, in fine primi ternarij huius meditationis.

¶ *Explicatio quarti ternarij secundæ meditationis.*

Eya iterum atque iterum millies & centies millies ex affectu quo suprà.

Amans adoro & reuereor te, ô misericordissime amator.

1 Qui omnipotentiam tuam parcendo maximè & miserando manifestas.

2 Qui multa multis multoties peccata remittis.

3 Qui abundantia pietatis tuæ merita supplicum excedis & vota.

Amans laudo & glorifico te, ô patientissime, mitisime & longanimis amator,

4 Qui nos tibi ingratos, inobedientes, & rebelles non punis nec in infernum sicut iustè meremur retrudis.

5 Sed patienter nos toleras, & peccata nostra vlcisci dissimulas.

6 Nósque longanimiter ad pœnitentiam expectas & inuitas.

Amans congratulor tibi, ô benignisime amator,

7 Qui bono charitatis igne & ardore nos licet ingratos, semper prosequeris.

8 Omnes nos saluos fieri ardenter concupiscis.

9 Gratiámq; & virtutes ad ſalutem neceſſarias nobis ſemper offers, & infundere paratus es, ſi voluerimus quod in nobis eſt facere.

Gratiáſque agens me totum tibi offero, ô vnitrine Deus, pro his cæteríſque nominibus tuis & pro omni bono quod es, quod habes, & quod operaris. Atque vtinam horum tuorum nominum virtutem & efficaciam nobis manifeſtes & applices.

Eya ergo ô miſericordiſsime amator,

1. Miſerere noſtri & omnium miſerorum, ſecundùm magnam miſericordiam tuam.

2 Et ſecundùm multitudinem miſerationum tuarum, dele multas iniquitates noſtras.

3 Ampliùs quàm ſperare aut petere audeamus, libera nos & præſerua ab omni malo & miſeria.

O patientiſsime amator,

4 Eya adhuc patientiam habe in nobis, nobíſque ſpatium pœnitendi concede.

5 Et fac vt tua patientia & longanimitate non abutamur, ſed dignis pœnitentiæ fructibus à facie iræ tuæ fugiamus.

6 Et de tuæ paſſionis infinito theſauro omne debitum tibi reddamus, & dignam ſatisfactionem offeramus.

O benigniſsime amator,

7 Eya tua hæc tanta benignitas, congelata corda noſtra inflammet ad te amandum ardenter.

9 Ad perficiendum ex amore omne tuum beneplacitum.

9 Ad. tolerandum amanter & hilariter quicquid volueris propter te.

O vnitrine Deus,&c.vt suprà,in fine primi ternarij huius meditationis.

5 Explicatio quinti ternarij secundæ meditationis.

Eya iterum atque iterum millies & centies millies ex affectu quo suprà,

Amans adoro & reuereor te, ô reuerendissime, metuendissime & obseruandissime Deus,

1 Qui es summè reuerendus, propter immensam tuam maiestatem, dignitatem & excellentiam.

2 Summè pauendus & tremendus,propter inscrutabilem tuam sapientiam & æquitatem inflexibilem.

3 Summè timendus & obseruandus filiali timore, propter tuam plusquàm paternam benignitatem.

Amans laudo & glorifico te ô honorandissime, laudabilissime & colendissime Deus,

4 Qui dignissimus es omni honore propter tuas perfectiones & virtutes.

5 Omni veneratione & laude propter tuas dignitates & officia erga nos.

6 Omni gratitudine & obsequio propter tua beneficia & opera magnifica.

Amans congratulor tibi ô desiderabilissime Deus,

7 Qui es totus desiderabilis, omnia desiderabilia superans in pretio & virtute.

8 In pulchritudine & honestate.

9 In dulcedine & voluptate.

Gratiásque agens me totum tibi offero, ô vnitrine Deus, pro his cæterísque nominibus tuis, & pro omni bono quod es, quod habes, & quod operaris. Atque vtinam horum tuorum nominum virtutem & efficaciam nobis manifestes & applices.

Eya ergo ô reuerendissime Deus,

1 Fac vt te semper & vbiq; summè reuereamur, & sub potẽti manu tua humiliemur.

2 Summè metuamus & præcaueamus incidere in horrendum iudicium tuũ futurum.

3 Filiali affectu te timeamus & solicitè obseruem⁹, ne te vel in modico offendamus.

O honorandissime Deus,

4 Eya fac vt amanter & deuotè tuas perfectiones & virtutes honoremus.

5 Tuas dignitates & officia erga nos, digna laude veneremur.

6 Pro tuis beneficijs & operibus gratias corde & ore, & grato obsequio tibi referamus.

O desiderabilissime Deus,

7 Eya fac vt præ omnibus vtilibus, pulchris, & dulcibus te desideremus.

8 Te quæramus & prosequamur.

9 Te amplectamur, téque solo fruamur, cęteris rebus propter te tantùm vtentes.

O vnitrine Deus &c. vt suprà, in fine primi ternarij huius meditationis.

CAPITVLVM DVODECIMVM, CONTINENS Obſecrationes ſuper quinque ternarijs tertiæ meditationi aſſignatis.

¶ *Primum ternarium tertiæ meditationis.*



SVPERAMANDISSIME Domine Deus IESV CHRISTE vt in amore tuo magis exercear & proficiã:ecce ex affectu amantiſſimæ matris tuæ, BB. Angelorum, patronorum, & omnium ſanctorum tuorum : ex mea tuorúmque & meorum ſpecialium ac omnium creaturarum parte : ad tuam gloriam, & omnium ſalutem, te cum patre & Spiritu ſancto trinum & vnum Deum, per ſuauiſſimum cor & ſpiritum tuum, adoro, glorifico,amo,tibíque gratias ago pro omnibus & ſingulis nominibus tuis.

Eya igitur amans adoro & reuereor te, ô conſeruator omnium potentiſſime,

1 Qui noſtrum eſſe,& omnia bona,in nobis conſeruas,ne pereant.

2 Qui cœlum & terram, & cætera omnia propter nos conſeruas.

3 Qui ſanctos tuos in tua gratia & præſentia ſtabiliter tenes.

Amans

Amans laudo & glorifico te, ô gubernator omnium fortiſsime, moderator ſapientiſsime, & ordinator ſuauiſſime,

4 Qui cœlum terrámque regis, attingens à fine vſque ad finem fortiter.

5 Qui prudentiſſimè moderaris proſpera & aduerſa electis tuis, vt nec in proſperis eleuentur, nec in aduerſis deficiant.

6 Qui diſponis omnia ſuauiter, & ordinas ad tuam laudem & electorum tuorum ſalutem.

Amans congratulor tibi, ô inſpirator ſanctiſsime, rectiſsime & iuſtiſsime,

7 Qui per teipſum ac per Angelicum & humanum miniſterium electis tuis inſpiras ſancta deſideria.

8 Recta conſilia doces in dubijs.

9 Eoſdémque excitas & confortas ad iuſta & tibi placita opera perficienda.

Gratiáſque agens me totum tibi ex amore offero, ô vnitrine Deus, pro his cæteriſque nominibus tuis, & pro omni bono quod es, quod habes, & quòd operaris. Atque vtinam quia vis, & ſicut potes, ſcis, & vis, ad tuam & ſanctorum gloriam, noſtrámque & omnium ſalutem: Eccleſiæ & regni, domus & ordinis, veram directionem & pacem: horum tuorum nominum virtutem & efficaciam nobis manifeſtes & fructuosè communices.

CAPITVLVM DVODECIMVM, CONTINENS Obſecrationes ſuper quinque ternarijs tertiæ meditationi aſſignatis.

¶ *Primum ternarium tertiæ meditationis.*

SVPERAMANDISSIME Domine Deus IESV CHRISTE vt in amore tuo magis exercear & proficiã: ecce ex affectu amantiſſimæ matris tuæ, BB. Angelorum, patronorum, & omnium ſanctorum tuorum: ex mea tuorúmque & meorum ſpecialium ac omnium creaturarum parte: ad tuam gloriam, & omnium ſalutem, te cum patre & Spiritu ſancto trinum & vnum Deum, per ſuauiſſimum cor & ſpiritum tuum, adoro, glorifico, amo, tibíque gratias ago pro omnibus & ſingulis nominibus tuis.

Eya igitur amans adoro & reuereor te, ô conſeruator omnium potentiſſime,

1 Qui noſtrum eſſe, & omnia bona, in nobis conſeruas, ne pereant.

2 Qui cœlum & terram, & cætera omnia propter nos conſeruas.

3 Qui ſanctos tuos in tua gratia & præſentia ſtabiliter tenes.

Amans laudo & glorifico te, ô gubernator omnium fortiſsime, moderator ſapientiſsime, & ordinator ſuauiſſime,

4 Qui cœlum terrámque regis, attingens à fine vſque ad finem fortiter.

5 Qui prudentiſſimè moderaris proſpera & aduerſa electis tuis, vt nec in proſperis eleuentur, nec in aduerſis deficiant.

6 Qui diſponis omnia ſuauiter, & ordinas ad tuam laudem & electorum tuorum ſalutem.

Amans congratulor tibi, ô inſpirator ſanctiſsime, rectiſsime & iuſtiſsime,

7 Qui per te ipſum ac per Angelicum & humanum miniſterium electis tuis inſpiras ſancta deſideria.

8 Recta conſilia doces in dubijs.

9 Eoſdémque excitas & confortas ad iuſta & tibi placita opera perficienda.

Gratiáſque agens me totum tibi ex amore offero, ô vnitrine Deus, pro his cæteríſque nominibus tuis, & pro omni bono quod es, quod habes, & quòd operaris. Atque vtinam quia vis, & ſicut potes, ſcis, & vis, ad tuam & ſanctorum gloriam, noſtrámque & omnium ſalutem: Eccleſiæ & regni, domus & ordinis, veram directionem & pacem: horum tuorum nominum virtutem & efficaciam nobis manifeſtes & fructuosè communices.

Eya ergo ô conſeruator omnium potentiſſime.

1 Fac nos tibi per amorem ſemper adhærere, vt à te in bono conſeruemur.

2 Creaturis omnibus propter te, & ſecundùm te vtamur ſobriè.

3 Ad tuam fruitionem & beatam præſentiam ſuper omnia creata continuè & feruenter aſpiremus.

O gubernator omnium potentiſsime,

4 Eya te omnia gubernantem ſemper certa fide credamus & confiteamur ac reuereamur.

5 De tua diſpoſitione & ordinatione omnia cum laude & gratitudine ſuſcipiamus, & ex omnibus fructum aliquem percipere ſtudeamus.

6 Inter proſpera & aduerſa æqualiter & ſalubriter à te dirigamur, deducamur & enutriamur, vt nec illis eleuemur, nec iſtis deiiciamur.

O inſpirator ſuauiſſime,

7 Eya ſicut potes ſcis & vis per te ipſum, aut Angelicum miniſterium vel humanum, inſpira ſemper nobis ſancta deſideria.

8 Recta in dubijs & agendis nos doce conſilia.

9 Et ad iuſta quæque opera nos excita, dirige & conforta.

O vnitrine Deus omnipotens & miſericors,

Quia vis & ſicut potes, ſcis, & vis, nos totos tuo amore purga, illumina, ſuccende, in te abſorbe, transforma, vni, & clemẽter exaudi: ad tuam & ſanctorum gloriam, noſtramq́; & omnium ſalutẽ, ac Eccleſiæ & Regni, domus & ordinis veram directionem & pacem. Amen. Ita quæſo fiat, ſicut confidenter petimus (ô benigniſſime Pater) per Ieſum Chriſtum filium dilectum tuum, in Spiritu ſancto, intercedente B. Maria & omnibus Angelis, Sanctis & electis. O mater Dei, Angeli, Sancti, & electi omnes, orate pro nobis & magnificate Deum nobiſcum.

¶ *Ternarium ſecundum tertiæ meditationis.*

Eya iterum atque iterum millies & centies millies ex affectu quo ſuprà,

Amans adoro & reuereor te, ô Rex cœleſtis, rex magnus ſuper omnem terram, & rex animarum ſanctarum,

1 Qui in cœlis glorioſè regnas & dominaris.

2 Qui es rex magnus ſuper omnem terram, reges terræ pro arbitrio tuo conſtituẽs & deponens.

3 Qui in Eccleſia Catholica, & in animabus fidelium ſpeciali prouidentia regnas, fideléſque tuos facis reges, & regni tui conſortes.

Amans laudo & glorifico te, ô Princeps illustrissime & sapientissime,

4 Qui primatum & principatum in omnibus & super omnes obtines, & superborum colla humilias & calcas.

5 Qui ad explendam patris tui voluntatem nos præcessisti, tuóque exemplo & verbo instruxisti.

6 Qui electis tuis quæ agere debeant disponis, eosdémque facis aliorum principes, dum ad explenda tua ministeria, & ea quæ tibi sunt placita exemplo & verbo alios ipsi præcedunt, excitant & dirigunt.

Amans congratulor tibi, ô rector morum, misericordissime, rectissime & suauissime,

7 Qui electorũ tuorum prauos & distortos mores in misericordia corripis & arguis.

8 Ad rectitudinem iustitiæ & æquitatis eosdem reformas.

9 Amoris tui gustũ & suauitatẽ eis infundis, vt ex amore tuo omnia faciãt & patiãtur.

Gratiásque agens me totum tibi offero, ô vnitrine Deus pro his cæterisq; nominibus tuis, & pro omni bono quod es, quod habes, & quod operaris. Atque vtinã horum tuorum nominum virtutem & efficaciam nobis manifestes & applices.

Eya ergo ô rex regum superexcellentissime,

1 Da vt ad regnum tuum cœleste & gloriosum cum sanctis tuis aspiremus.

2 Te ſuper omnia regnantem viua fide credamus & reuereamur pluſquàm omnes reges terræ.

3 Tuæ ſpeciali curæ & paternæ prouidentiæ nos totos, & omnia noſtra ſemper committamus, & te in nobis per gratiam liberè regnare conſentiamus, atque tanquam veri reges nos & eos qui nobis cõmiſſi fuerint in omnibus prudẽter & iuſtè regamus, tandémque tui regni cœleſtis participes efficiamur.

O Princeps illuſtriſsime & ſapientiſsime,

4 Eya te præ omnibus honoremus, veneremur & colamus.

5 In explenda & perficienda Dei patris voluntate, tuo verbõ & exemplo inſtruamur & dirigamur

6 Alios etiam exemplo noſtro & verbo excitemus & inſtruamus ad perficiendam in omnibus tuam beneplacentem voluntatem.

O Rector ſuauiſsime,

7 Eya in miſericordia tua, peruerſos mores noſtros corripe & caſtiga.

8 Eoſdem ad rectitudinem tuæ iuſtitiæ reforma.

9 Præueni nos in benedictionibus dulcedinis tuæ, & tui amoris guſtum nobis infunde, vt ſuauiter quæcumque volueris ex amore tuo faciamus & patiamur.

O vnitrine Deus, & vt ſup. in fine primi ternarij huius meditationis.

¶ *Ternarium tertiũ tertiæ meditationis.*

Eya iterum atque iterum millies & centies millies ex affectu quo suprà,

Amans adoro & reuereor te, ô Rex perennis gloriæ,

Qui in cœlo cum sanctis tuis regnas,
1 Cũ æterna securitate, & opulentia sũma,
2 Cum mira serenitate, & immarcessibili gloria,
3 Cum plena suauitate & omnimoda beatitudine.

Amans laudo & glorifico te, ô exilij nostri particeps & socie,

Qui vt nos à pœnis æternis redimeres, & ad patiendum huius exilij miserias nos excitares & instrueres, dignatus es experiri & pati huius nostri exilij
4 Penurias & timores,
5 Ignominias & confusiones,
6 Dolores & miserias.

Amans congratulor tibi, ô paraclete, postulator & consolator optime,

7 Qui in cordibus electorum postulas & postulare eos facis gemitib. inenàrrabilibus.
8 Qui eosdem electos tuos hìc consolaris præsentium munerũ & gratiarũ exhibitione.
9 Et futuræ beatitudinis certa spe & expectatione.

Gratiásque agens me totum tibi offero, ô vnitrine Deus, pro his cæterisq; nominibus tuis, & pro omni bono quod es, quod ha-

bes

bes & quod operaris. Atque vtinam horum tuorum nominum virtutẽ & efficaciam nobis manifestes & applices.

Eya ergo ô Rex perennis gloriæ,

Fac nos nunc per spem & prægustationem aliquam, & tandem per claram visionem & facietatem participes tuæ

1 Securitatis & opulentiæ,

2 Claritatis & gloriæ,

3 Suauitatis & beatitudinis.

O exilij nostri particeps & socie,

4 Eya per tui exilij miserias, à pœnis æternis nos redime:

5 Tuo exemplo ad patiendum nos excita & instrue.

6 Tuo merito & adiutorio conforta ad tolerandum hilariter tui amore huius exilij penurias, ignominias & miserias, easdemq; nobis fructuosas redde.

O paraclete & consolator optime,

7 Eya fac nos continuis & ardentissimis aspirationibus & gemitibus à te iugiter postulare misericordiam & gratiam.

8 Præsentibus gratiæ tuæ donis hîc nos consolare & recrea.

9 Futuræ gloriæ desiderio & sancta expectatione, huius exilij miserias refrigera & alleuia.

O vnitrine Deus, & vt supra in fine ternarij primæ huius meditationis.

¶ Quartum ternarium tertiæ meditationis.

Eya iterum atque iterum millies & centies millies ex affectu quo suprà,

Amans adoro & reuereor te ô placabilissime amator,

1 Qui pio gemitu contriti cordis, cum confitendi & satisfaciendi proposito placaris, & offensam remittis.

2 Qui filium prodigum ad te reuertẽtem accurrens amplecteris, induis & reficis.

3 Qui animam cum multis fornicatam ad te redeuntem, adhuc in sponsam suscipere non dedignaris.

Amans laudo & glorifico te ô clementissime & indulgentissime amator,

4 Qui æternas pœnas, iustè à nobis promeritas, clementer remittis, & indulges.

5 Qui temporales etiam pœnas animæ nociuas à nobis auertis, dum paternè & misericorditer hîc nos castigas & corripis.

6 Castigationesq; tuas & pœnas quas hîc patimur, fructuosas nobis facis, tuarum passionum merito.

Amans congratulor tibi ô beneficentissime amator,

7 Qui nobis licet ingratis & inobedientibus multipliciter benefacere non cessas.

8 Qui pœnitentibus gratiam tuam retribuis.

9 Perſeuerantibúſque gloriam tuam repromittis & reddis.

Gratiáſque agens me totum tibi offero, ô vnitrine Deus, pro his cæteriſq; nominibus tuis,& pro omni bono quod es,quod habes, & quod operaris. Atque vtinam horum tuorum nominum virtutem & efficaciam, nobis manifeſtes & applices.

Eya ergo ô placabiliſsime amator,

1 Fac nos pio & verè contrito corde ad te poſt lapſum ſemper gemere,vt tibi perfectè reconciliemur.

2 Nos verè prodigos ad te reuoca & reuertentes amplectere, indue & refice.

3 Nos poſt multas auerſiones & fornicationes ad te fac redire,& redeuntes benignè ſuſcipe.

O clementiſsime & indulgentiſſime amator,

4 Eya non in furore tuo, cum damnatis, nec in ira tua, cum his qui in purgatorio cruciantur, nos arguas.

5 Sed in miſericordia tua ſic nos corripe, vre, ſeca, & affige, vt in æternum parcas,& tribulationes animę nociuas,hîc etiam à nobis auertas.

6 Noſtráſque pœnas tuis adiunge,& vitæ æternæ meritorias effice.

O beneficentiſsime amator,

7 Eya tua nos beneficia prouocent & accendant ad te feruenter amandum.
8 Ad dignè pœnitendum.
9 Ad perficiendum ex amore tuum beneplacitum vſque in finem.
O vnitrine Deus, &c. vt ſup. in fine primi ternarij huius tertiæ meditationis.

¶ *Quintum ternarium tertiæ meditationis.*

Eya iterum atque iterum millies & centies millies ex affectu quo ſuprà,

Amans adoro & reuereor te, ô maxime, infinite & immenſe Deus,

1 Qui es maximus in virtute & potentia.
2 In ſapientia & gloria infinitus.
3 In bonitate & charitate omniq; perfectione immenſus.

Amans laudo & glorifico te, ô glorioſiſsime Deus,

9 Qui in teipſo & à teipſo, es ſemper omni gloria & laude pleniſſimus.
3 Cui ſoli debetur omnis honor & gloria ſuprema.
6 Quem omnes Sancti cum inceſſabili voce & iubilo glorificant.

Amans congratulor tibi ô optime Deus.

7 Qui ſolus es ex teipſo eſſentialiter bonus & perfectus.

8 A quo cætera bona habent vt bona ſint.

9 Qui omnium bonitates in te contines & infinitè excedis.

Gratiasque agens me totum tibi offero, ô vnitrine Deus, pro his cæterisque nominibus tuis,& pro omni bono quod es, quod habes,& quod operaris. Atque vtinam horum tuorum nominum virtutem & efficaciam nobis manifeſtes & applices.

Eya ergo ô maxime Deus,

1 Fac vt toto affectu omnipotentiam tuã adoremus.

2 Tuam ſapientiam glorificemus.

3 Tuam bonitatem & charitatem amemus,& grato colamus obſequio.

O glorioſiſſime Deus,

4 Eya fac vt tuam gloriam clarè cognoſcamus & contemplemur.

5 Tibi ſoli gloriam omnem pro omnibus tribuamus,& pro gloria tua omnia faciamus & patiamur.

6 Te cum iubilo glorificemus,& ab alijs glorificari procuremus & gaudeamus.

O optime Deus,

7 Eya te ſolum bonum prædicemus, & ſuper omnia amemus & appetamus.

8 A te omnia bona ſperemus, & fiducialiter petamus.

9 Omnia in te ſolo diligamus, & te ſolum in omnibus.

O vnitrine Deus, vt suprà,

CAPITVLVM TERtiumdecimum, continens meditationes in quinque ternaria quartæ meditationi assignata.

SVperamãdissime Domine Deus IESV Christe, vt in amore tuo magis exercear & proficiam: ecce ex affectu amantissimæ matris tuæ, BB. Angelorum, patronorum, & omnium sanctorum tuorum: ex mea tuorumque & meorum specialium ac omnium creaturarum parte: ad tuam gloriam & omnium salutem: te, cum patre & spiritu sancto trinum & vnum Deum: per suauissimum cor & spiritum tuum adoro, glorifico, amo, & tibi gratias ago pro omnibus & singulis nominibus tuis.

Eya igitur amãs adoro & reuereor, ô ereptor, mundator & regenerator,

1 Qui per baptismi sacramentum, à potestate diaboli nos liberasti, & eidem ac operibus eius abrenunciare nos fecisti.

2 Ab omni culpa plenè purgasti, & cor mundum in nobis creasti.

3 Ex filijs iræ in filios gratiæ & regni cælestis hæredes nos regenerasti.

Amãs laudo & glorifico te ô Redẽptor, incorporator & nominator,

4 Qui passionis tuæ fructum & meritum per baptismum nobis integrè applicans, ab omni pœna nos redemisti & liberos fecisti.

5 Qui sale sapientiæ in baptismo nos cōdiens & signo crucis muniens tibi tanquam membra capiti nos incorporasti & vniuisti.

6 Qui chrismate sacro nos vngens, ex nomine tuo Christianos nos vocasti.

Amans congratulor tibi ô signator, gratificator & viuificator,

7 Qui in baptismo, gratiæ tuæ infusione nos tibi plenè gratificasti, & veste candida innocentiæ induisti.

8 Qui charactere indebili nos signasti, & ab infidelibus segregasti.

9 Qui per septiformem spiritum nos viuificasti, & ad omnia tibi placita promptè nobiles fecisti.

Gratiasque agens me totum tibi offero, ô vnitrine Deus, pro his cæterisque nominibus tuis, & pro omni bono quod es, quod habes, & quod operaris. Atque vtinam quia vis, & sicut potes, scis & vis ad tuam & sanctorum gloriam, nostrámque & omnium salutem, Ecclesiæ tuæ & regni, domus & ordinis veram directionem & pacem: horum tuorum nominum virtutem & efficaciā nobis manifestes & applices.

Eya ergo ô ereptor, mundador & regenerator benignissime,

1 Baptiſmi gratiam in nobis renouans, à diaboli poteſtate & peccati captiuitate & iugo nos libera.

2 Cor mundum in nobis recrea.

3 Regenera nos, & inter filios tuos & regni hæredes per gratiam tuam nos aſcribe & reputa.

O Redemptor ſuauiſsime,

4 Eya per paſſionis tuæ fructum à pœnis æternis nos redime.

5 Tuæ ſapientiæ guſtus & crucis tuæ virtute nos tibi inſeparabiliter coniunge & incorpora.

6 Tua ſeptiformi gratia, & oleo ſpiritualis lætitiæ nos vnge: & nomine pariter ac re veros Chriſtianos effice.

O gratificator & viuificator,

7 Eya innocentiam baptiſmalem nobis reſtitue & conſerua, tibiq́ue nos gratifica.

8 Ab infidelibus nos vitæ merito ſegrega.

9 Ab omnia tibi placita nos viuos & ex amore tuo agiles & promptos ſemper effice.

O vnitrine Deus omnipotens & miſericors, quia vis & ſicut potes, ſcis & vis nos totos tuo amore purga, illumina, perfice, ſuccende, in te abſorbe, transforma, vni, & clementer exaudi: ad tuam, ſanctorum gloriam, noſtramq́ue & omnium ſalutem: ac Eccleſiæ & Regni, domus & ordinis, veram directionem & pacem: Amen. Ita quæſo fiat ſicut confidenter petimus, ô benigniſſime pater, per IESVM dilectum filium tuum: in ſpiri-

tu ſancto:intercedente B. Maria, & omnibus Angelis,ſanctis & electis tuis.

O mater Dei,Angeli,Sancti,& electi omnes orate pro nobis, & magnificate Dominum nobiſcum.

¶ *Explicatio ſecundi ternarij quartæ Meditationis.*

Eya iterum atque iterum millies & centies millies,ex affectu quo ſuprà,

Amans adóro & reuereor te ô Domine ſuperdigniſsime, amantiſsime & liberaliſsime,

1 Qui es colendiſſimus, & omni ſeruitio digniſſimus.

2 Qui ſeruitio noſtro nihil indigens, illud ex ſolo amore ſalutis noſtræ à nobis requiris.

3 Qui pro ſeruitio ex amore tibi impenſo,fideles ſeruos tuos hîc & in futuro abundè remuneras.

Amãs laudo & glorifico te,ô Emmanuel,reconciliator,& deificator noſter,

4 Qui noſtram humanitatem tuæ diuinitati perſonaliter vniendo, perfectus Deus, manens, factus es perfectus homo: vnus & idem Chriſtus, Emmanuel nobiſcum Deus.

5 Qui tuæ humanitatis paſſionibus & actionibus electos tuos Deo patri reconcilias.

6 Qui deitatis tuæ participatione & frui-

tione eos deificas & beatos facis.

Amans congratulor tibi, ô amice beneuolentiſsime, beneficientiſsime & fidelisſsime,

7 Qui ſuper omnes amicos noſtros maiori beneuolentia nos proſequeris, ſemper paratus, & deſiderans nobis tua bona cõferre.

8 Qui plura & maiora bona iugiter nobis confers quàm ab amicis quibuſlibet ſperare poſſumus.

9 Qui fideliter & conſtanter in aduerſis nos amas: nec etiam nos deſeris, dum infideles & ingrati tibi ſumus.

Gratiasq́ue agens me totum tibi offero, ô vnitrine Deus, pro his cæterisq́ue nominibus tuis, & pro omni bono quod es, quod habes, & quod operaris. Atque vtinam horum tuorum nominum virtutem & efficaciam nobis manifeſtes & applices.

Eya ergo ô Domine amantiſsime,

1 Fac vt fideliter & reuerenter, in omni ſanctitate & iuſtitia ſeruiamus tibi.

2 Ex puro amore promptos nos ſemper & paratos offeramus ad perficiendum omne beneplacitum tuum.

3 Te ſolum tuiq́ue beneplaciti impletionem quæramus & expectemus, pro tota mercede noſtri ſeruitij tibi impenſi.

O Emmanuel nobiſcum Deus,

4 Eya te verum Deum & verum hominem viua fide ſemper credamus & contemplemur.

5 Tuæ humanitatis paſſionibus & meritis recóciliemur Deo patri, & à malis omnibus liberemur.

6 Tuæ diuinitatis communione & fruitione in te transformemur & beatificemur.

O Amice beneuolentiſsime, beneficentiſsime, & fideliſsime,

7 Tibi potius quàm nobis aut quibuſcumque amicis omne bonum deſideremus.

8 Tibi amoris obſequia efficaciter ſemper exhibeamus.

9 Tibi in aduerſis æquè ac in proſperis, conſtanter & fideliter adhęreamus, tuamq́ue voluntatem impleamus.

O vnitrine Deus, &c. vt ſup. in fine primi ternarij huius 4. meditationis.

3 *Explicatio tertij ternarij quartæ Meditationis.*

Eya iterum atque iterum millies & centies millies ex affectu quo ſuprà,

Amans adoro & reuereor te, ô dominator mitiſsime, ſuauiſsime, & benigniſsime.

1 Qui cum tranquillitate electis tuis dominaris, & quæ agenda ſunt cum manſuetudine illis præcipis.

2 Qui iugum tuum ſuaue & onus tuum leue experiri eos facis.

3 Qui in ſeruitio tuo laborantes benignè reficis, deficientes cófortas, oneratos alleuas;

erranresque piè corrigis & emendas.

Amans laudo & glorifico te, ô ministrator officiosissime, liberalissime, & gloriosissime,

4 Qui in hunc mundum venisti non ministrari, sed ministrare, & dare animam tuam in redemptionem pro multis.

5 Qui te ipsum totum in altaris sacramento fidelibus tuis liberalissimè donas in omnem desiderabilem vsum.

6 Qui in cœlesti patria beatis gloriosè ministras & communicas tuæ humanitatis & diuinitatis fruitionem.

Amans congratulor tibi ô amator ardentissime,

7 Qui ardenti & vehementi amore nostram salutem concupiscis.

8 Continuè ab æterno vsque in æternum, electos tuos diligis.

9 Efficaci charitate omnia necessaria abundè offers & exhibes illis.

Gratiasque agens, me totum tibi offero, O vnitrine Deus, pro his cæterisq; nominib⁹ tuis, & pro omni bono quod es, quod habes, & quod operaris. Atque vtinam horum tuorum nominum virtutem & efficaciam nobis manifestes & applices.

Eya ergo ô dominator mitissime,

1 Fac nos in humilitate & mansuetudine, verba & mandata tua suscipere & implere.

2 Iugum obedientiæ, suauiter, & onus crucis tuæ, hilariter propter te sufferre.

3 In laboribus à te refici, confortari, alle-

uari, & misericorditer à te corripi, quoties à te errauerimus.

O ministrator officiosissime,

4 Eya fac nos tibi semper iuxta omne beneplacitum tuum seruire, & proximis omnibus propter te & secundùm te, promptè ministrare.

5 Te in sacramento deuotè suscipere, & nos tibi totos vicissim offerre & resignare, ad omnia tibi placita.

6 Tuæ diuinitatis & humanitatis contemplatione hîc refici, & tandem in patria plenè satiari.

O amator ardentissime,

7 Eya fac nos ardenter desiderare tuum honorem tuíque beneplaciti impletionem.

8 Continuè tam in aduersis quàm in prosperis, tibi adhærere.

9 Efficaciter oblatæ tuæ gratiæ cooperari, tibíque fideliter obsequi.

O vnitrine Deus, &c. vt suprà, in fine primi ternarij huius quartæ meditationis.

+ *Explicatio quarti ternarij quartæ meditationis.*

Eya iterum atque iterum millies & centies millies ex affectu quo suprà,

Amás adoro & reuereor te, ô amandissime amator, qui es super omnia amandus propter

1 Infinitam tuam bonitatem & perfectionem,

2 Tuam erga nos dilectionem,

3 Tuaque beneficia immensa.

Amãs laudo & glorifico te,ô amantiſſime & beneuolentiſſime amator.

4 Qui prior nos amaſti, dulci & ſapienti amore, carnem noſtram abſque peccato aſſumendo.

5 Exceſſiua & forti dilectione,animã tuã pro nobis,cũ adhuc inimici eſſemus,ponendo.

6 Liberaliſſima ac perpetua charitate, te dans nobis nũc in cibũ,& ſeruans in præmiũ.

Amans congratulor tibi ô amatiſſime & dilectiſsime amator.

7 Qui à te ipſo infinito prorſus amore diligeris.

8 Qui à B.Maria,& omnibus tecũ iã glorificatis perfecta & inceſſabili charitate amaris.

9 Qui electis tuis adhuc in via exiſtẽtibus, es dilectiſſimus & ſupet omnia chariſſimus.

Gratiáſque agens me totum tibi offero, ô vnitrine Deus,pro his cæteríſque nominibus tuis,& pro omni bono quod es,quod habes, & quod operaris. Atque vtinam horum tuorum nominum virtutem & efficaciam nobis manifeſtes & applices.

Eya ergo, ô amandiſſime amator,

1 Te ſolum in omnibus & ſuper omnia appretiemus,eligamus,& appetamus.

2 Te ſuper omnia amemus,& diligamus.

3 Tibi ſuper omnia ſeruiamus,obediamus & gratum obſequium ex amore ſemper exhibeamus.

O amantiſſime & beneuolentiſſime amator.

4 Eya fac vt te redamemus dulciter & ſapienter, carnis concupiſcentias propter te refrenando,& ab omni tua offenſa præcauẽdo.

5 Fortiter,aduerſa quælibet pro tuo amore libenter ſuſtinendo.

6 Liberaliter,nos totos in omne beneplacitum tuum iugiter offerendo & reſignando.

O amantiſſime & dilectiſſime amator,

7 Eya ipſo,quo teipſum amas,amore ſupple noſtri erga te amoris imperfectionem.

8 Ad continuam & perfectã beatorũ erga te charitatẽ aſpirem⁹,& cõtinuo ſtudio tẽdam⁹.

9 Te ſuper omnia dilectiſsimum & charorum omnium ſuperchariſſimum ſemper habeamus,& amplectamur, toto corde, tota mente & tota anima.

O vnitrine Deus,&c.vt ſuprà,in fine primi ternarij huius quartæ meditationis.

5 *Explicatio quinti ternarij quartæ meditationis.*

Eya iterum atque iterum millies & centies millies ex affectu quo ſuprà,

Amans adoro & reuereor te,ô perfectiſsime Deus,

1 Qui es in tua natura & omni virtute perfectiſſimus.

2 Qui perfecta & indeficienti charitate, electos tuos diligis.

3 Qui inchoatam hîc in eis charitatem,in patria perficis.

Amans laudo & glorifico te, ô illustrißime & nobilißime Deus,

4 Qui in teipso & à teipso es illustrißimus, & nobilitate clarissimus.

5 A quo est omnis claritas, & nobilitas vera.

6 Qui glorificantes te glorificas, illustras, & nobiles facis.

Amans congratulor tibi, ô beatißime Deus,

7 Qui es ab omni miseria alienissimus.

8 Omniũ bonorũ cumulo superplenissimus.

9 De tuæ beatitudinis æternitate securissimus, & eiusdem liberalissimus cõmunicator.

Gratiásque agens me totum tibi offero, ô vnitrine Deus, pro his cæterísque nominibus tuis, & pro omni bono quod es, quod es, quod habes, & quod operaris. Atque vtinam horum tuorum nominum virtutem & efficaciam, nobis manifestes & applices.

Eya ergo ô perfectissime Deus,

1 Tua omnimoda perfectione, defectus nostros multiplices misericorditer supplere digneris.

2 Tuus amor indeficiens, amoris nostri imperfectum excuset.

3 Charitatem tuam numquam permittas in nobis excidere, sed iugiter crescere, donec perficiatur in patria.

O illustrissime & nobilißime Deus,

4 Eya tuam nobilitatem & claritatem videamus, & prædicemus.

5 Extra te nullam nobilitatem reputemus vel quæramus.

6 Te solum cum sanctis tuis in æternum glorificemus, & à te sicut vis glorificemur, illustremur, & verè nobilitemur.

O beatissime Deus,

7 Eya à miserijs nostris nos misericorditer libera & præserua.

8 De cumulo & plenitudine tua, nostram inopiam subleua.

9 Tuæq; securæ & perpetuæ beatitudinis participes nos tandem effice.

O vnitrine Deus &c. vt suprà, in fine primi ternarij huius quartæ meditationis.

CAPITVLVM QVARTVM DECIMVM CONTINENS quinque meditationes, in quinque ternaria meditationi quintæ assignata.

¶ *Explicatio primi ternarij.*

O SVPERAMANDISSIME Domine Deus IESV CHRISTE, vt in amore tuo exerceat & proficiam: ecce ex affectu amantissimę matris tuæ, BB. Angelorum, patronorum, & omnium sanctorum tuorum: ex mea tuorúmque & meorum specialium, ac omnium creaturarum parte, ad tuam gloriam & omnium salutem, te cum patre & Spiritusancto

trinum & vnùm Deum per suauissimum cor & spiritum tuum adoro, glorifico, amo, tibiq; gratias ago pro omnibus & singulis nominibus tuis.

Eya igitur amans adoro & reuereor te, ô purgator & mundator memoriæ, intellectus & voluntatis,

1 Qui electorum tuorum memoriam, purgas à malis & vanis recordationibus & ab obliuione salutarium.

2 Intellectum, à tenebris ignorantiæ, erroris, & curiositatis.

3 Voluntatem, à vitiosis affectibus, & prauis voluptatibus & teporibus.

Amans laudo & glorifico te, ô illuminator omnium,

4 Qui electos tuos illuminas in credendis per lumen fidei & intellectus.

5 In agendis & fugiendis, per lumen scientiæ, consilij & prudentiæ.

6 In sperandis & amandis, per lumen sapientiæ.

Amans congratulor tibi, ô inflammator noster,

7 Qui electorum corda inflammas, ad te amandum & desiderandum.

8 Ad sui contemptum, & peccati cuiuslibet odium.

9 Ad agendum & patiendum feruenter ex amore, quicquid volueris.

Gratiásque agens me totum tibi ex amore offero, ô vnitrine Deus, pro his cæterisq; no-

minibus tuis, & pro omni bono quod es, quod habes & quod operaris. Atque vtinam, quia vis & ſicut vis, ſcis & potes, ad tuam & ſanctorum gloriam, noſtrámque & omnium ſalutem, Eccleſiæ & regni, domus & ordinis, veram directionem & pacem, horum tuorum nominum virtutem & efficaciam nobis manifeſtes, & fructuosè communices.

Eya ergo ô purgator & mundator noſter,

1 Memoriam noſtram purifica, à vanis & malis recordationibus & obliuione ſalutariū.

2 Intellectum ab erroribus, ignorantijs, perplexitatibus & curioſitatibus.

3 Voluntatem & appetitum, à vitioſis affectionibus & paſſionibus & omni tepore.

O illuminator omnium,

4 Eya tui ſpiritus donis ſic nos ſemper illumina, vt quæ credenda ſunt verè credamus & intelligamus.

5 Quæ agenda ſunt vel fugienda, clarè diſcernamus.

6 Quæ ſperanda ſunt & amanda ſapiamus, deſideremus, & quæramus.

O inflammator noſter,

7 Eya igne tui amoris nos vehementer ſuccende, & excita ad te amandum & deſiderandum.

8 Ad noſtri contemptum, & peccati cuiuſlibet odium & fugam.

9 Ad perficiendum & patiendum feruenter, quicquid tibi placuerit in tempore & æternitate.

O vnitrine Deus omnipotens & misericors, quia vis & sicut potes, scis & vis, nos totos igne tui amoris purga, illumina, perfice, succende, in te absorbe, transforma, vni, & clementer exaudi, ad tuam & sanctorum gloriam, nostrámque & omnium salutem, ac Ecclesiæ & regni, domus & ordinis veram directionem & pacem, Amen. Ita quæso fiat, sicut confidenter petimus, ô benignissime Pater, per Iesum dilectum filium tuum, in Spiritu sancto, intercedente beata Maria & omnibus Angelis, sanctis & electis. O mater Dei, ô Angeli, ô sancti, & electi omnes orate pro nobis, & magnificate Dominum nobiscum.

2. *Explicatio secundi ternarij quintæ meditationis.*

Eya iterum atque iterum millies & centies millies, ex affectu quo suprà,

Amans adoro & reuereor te, ô præceptor dignissime, iustissime, & vtilissime.

1 Cuius est, quodcumque volueris præcipere.

2 Qui nihil nisi iustum & nobis vtile, potes aut vis iubere.

3 Cui propterea æquissimum est & saluberrimum, simpliciter obedire.

Amans laudo te & glorifico, ô magister sapientissime, prudentissime & potentissime,

4 Qui solus omnia nosti, & electos tuos

intus doces veram ſalutis ſcientiam.

5 Qui prudēter eos inſtruis, quid in omnibus agere vel omittere debeant, & quo fine, quibúſque medijs conuenientioribus tua conſilia & iuſſa impleant.

6 Qui potenter & efficaciter doctrinam tuam operibus & ſignis confirmas, & ad eam implendam fideles tuos efficaciter adiuuas.

Amans congratulor tibi, ô Legifer ſanctiſsime, æquiſſime & ſuauiſsime,

Cuius lex eſt:

7 Sancta & pura, docens ab omni peccato declinare.

8 Æqua & iuſta, docens omne bonum facere.

9 Suauis & amoroſa, docēs ex amore vtrumque prædictorũ implere.

Gratiáſque agens me totum tibi offero, ô vnitrine Deus, pro his cæteriſq; nominibus tuis, & pro omni bono quod es, quod habes, & quod operaris. Atque vtinam horum tuorum nominum virtutem & efficaciam nobis manifeſtes & applices.

Eya ergo ô Præceptor digniſsime,

1 Fac vt vigilanter ſemper attendamus quid velis & præcipias, & illud reuerenter impleamus.

2 Quicquid per te aut tuos vicarios præceperis, id iuſtum & ſanctum credamus.

3 Illud etiam nobis, propter te obtempe-

rantibus vtile futurum speremus: ac propterea amanter cum vera simplicitate & fidelitate id exequi studeamus.

O Magister sapientissime,

4 Eya fac nos semper ad cor conuerti, & intus audire quid nobis loquaris.

5 Doce nos in omnibus prudenter aduertere, quid agere vel omittere debeamus, & fac vt omnia purè propter te, & secundùm te, per media conuenientiora, aggrediamur & perficiamus.

6 Potenter & efficaciter nos mone & conforta, ad perficiendum omnia quæ docueris.

O Legifer sanctissime,

7 Eya bonus es tu, & in bonitate tua doce nos iustificationes tuas sanctas implere, declinando ab omni peccato.

8 Inclina cor nostrum in testimonia & præcepta tua implēda, per boni operationē.

9 Accende nos tuo amore, vt legem tuam suauem experiamur, & delectabiliter ex amore tui eam impleamus.

O vnitrine Deus, &c. vt suprà in fine primi ternarij huius quintæ meditationis.

¶ *Explicatio tertij ternarij quintæ meditationis.*

Eya iterum atque iterum millies & centies millies, ex affectu quo suprà,

Amans adoro & reuereor te ô instructor humilium, eruditor simplicium, ô doctor mansuetorum,

1 Qui à sapientibus huius seculi & superbia tumentibus, scientiam salutis abscondis, & reuelas paruulis & humilibus.
2 Qui prudenter erudis simplices corde.
3 Mitésque vias tuas edoces, & in iudicio tuo eos dirigis.

Amans laudo & glorifico te, ô consultor, director, & inspirator,

4 Qui in dubijs te humiliter consulentibus ostendis & consulis quid sit gratius.
5 Qui exemplo & verbo consilia euangelica omnibus proposuisti, & ad ea implenda electos tuos prudenter dirigis.
6 Qui secretiores vitæ contemplatiuæ semitas, tuis familiaribus intùs demonstras & inspiras.

Amans congratulor tibi, ô excitator, adiutor, & consummator,

7 Qui electos tuos excitas ad aggrediendum & inchoandum magnanimiter fortia.
8 Adiuuas ad prosequendum bona.
9 Et confortas ad perficiendum in omnibus tuum beneplacitum.

Gratiásque agens me totum tibi offero, ô vnitrine Deus, pro his cæterisq; nominibus

tuis: & pro omni bono quod es, quod habes, & quod operaris. Atque vtinam horum tuorum nominum virtutem & efficaciam nobis manifestes & applices.

Eya ergo ô instructor, eruditor, & doctor,

1 Purga & præserua nos ab omni superbia & proprij sensus prudentia, & fac nos verè humiles, & in oculis nostris paruulos, vt à te illuminari mereamur.

2 Fac nos simplices & rectos corde, vt à te erudiamur in omnibus.

3 Fac nos mites, vt vias tuas scire & per iudicia & flagella tua paterna doceri & reformari possimus.

O consultor, director, & inspirator,

4 Eya fac vt in dubijs te semper consulamus, & quid tibi sit gratius videamus.

5 Fac nos euangelica tua consilia clarè intelligere, & prudenter implere.

6 Ex te contemplatiuæ vitæ semitas intus solicitè quærere & addiscere.

O excitator, adiutor, & consummator,

7 Eya teporem & torporem nostrum excita, ad aggrediendum ardua.

8 Infirmitatem nostram adiuua, ad prosequendum bona.

9 Fragilitatem nostram conforta, ad perficiendũ tibi placita, & in his perseuerandum.

O vnitrine Deus, &c. vt suprà in fine primi ternarij huius quintæ meditationis.

¶ Explicatio quarti ternarij quintæ meditationis.

Eya iterum atque iterum millies & centies millies ex affectu quo suprà,

Amans adoro & reuereor, te ô pijssime amator,

1 Qui plusquam paterna pietate nos prosequeris, & suauiter erga nos afficeris.

2 Qui paterna cura nos regis, foues, & protegis.

3 Qui nostris infirmitatibus & indigentijs piè condescendis, & promptè succurris.

Amans laudo & glorifico te, ô compatientissime amator,

4 Qui miserias omnium hominum, tanquam membrorum tuorum, velut proprias reputas.

5 Maternóque affectu eis es compassus.

6 Atque pro earum liberatione & redemptione, passionem & mortem subire dignatus es.

Amans congratulor tibi, ô dulcissime amator,

7 Cuius societas nullum habet fastidium.

8 Qui te gustantibus maiorem tui esuriem infundis.

9 Qui tua dulcedine beatos omnes reples accendis & inebrias.

Gratiásque agens me totum tibi offero (ô vnitrine Deus, pro his cæterísque nominibus

tuis,

tuis,& pro omni bono quod es, quod habes, & quod operaris. Atque vtinam horum tuorum nominum virtutem & efficaciam nobis manifeſtes & applices.

Eya ergo, ô pijſſime amator,

1 Fac vt tuam paternã erga nos pietatem agnoſcamus,& ad eã fiducialiter recurramus.

2 Filiali amore,pietate & affectu te proſequamur, & in te noſtrum cogitatũ iactemus.

3 A te iuuemur & propter te alijs omnibus pietatis viſcera & miſericordiæ opera exhibeamus.

O compatientiſſime amator,

4 Eya fac vt tui amore & imitatione,tuas & proximorum noſtrorum miſerias velut proprias reputemus.

5 Pio affectu compatiamur tibi propter nos paſſo, & omnibus afflictis.

6 Patiamur pro tuo amore & honore, ac proximorum ſalute quicquid volueris.

O dulciſſime amator,

7 Eya fac vt in præſentia tua, cum reuerentia & exultatione ſemper ambulemus, & omnia operemur.

8 Tuam dulcedinem guſtemus, & magis ac magis ſemper eſuriamus.

9 Tandémque cum beatis ea ſatiemur & inebriemur in æternum.

O vnitrine Deus &c.vt ſuprà,in fine primi ternarij huius quintæ meditationis.

¶ Explicatio quinti ternarij quintæ meditationis.

Eya iterum atque iterum millies & centies millies ex affectu quo suprà,

Amans adoro & reuereor te, ô pretiosissime Deus,

1 Qui cunctis opibus & omnibus pretiosis simul congregatis, in infinitũ es pretiosior.

2 Qui es pretiosa margarita omnibus diuenditis emẽda, & thesaurus in agro absconditus comparandus.

3 Qui es vnicum sanctorum pretium, & merces eorum magna nimis.

Amans laudo & glorifico te, ô familiarissime Deus,

4 Qui te sincerè amantibus semper & vbique es præsentissimus, intentissimus, & promptissimus.

5 Illisq; secreta tua reuelas, & facis vt ipsi sua liberè coram te corda effundant.

6 Qui eis tẽ credis, & facis vt omnẽ spem suam & curam in te solo constituant.

Amans congratulor tibi, ô secretissime, & iucundissime Deus,

7 Qui secretum diligis, & in solitudine ad cor electorum tuorum loqueris.

8 Qui in te iucundissimus semper existẽs, electorum tuorum corda spirituali gaudio

recreas & perfundis, corúmque externam faciem floridam & serenam, conuersationémque dulcem & suauem facis.

9 Sempiternámque lætitiam super capita eorum tandem effundis, tuæ fruitionis gaudio plenè eos inebrians.

Gratiasq; agens, me totum tibi offero, ô vnitrine Deus, pro his cæterisq; tuis nominibus, & pro omni bono quod es, quod habes, & quod operaris. Atque vtinam horum tuorum nominum virtutem & efficaciam nobis manifestes & applices.

Eya ergo ô pretiosissime Deus,

1 Te super omnia pretiosa pluris æstimemus, ardentiùs amemus, & quæramus studiosiùs.

2 Omnia nostra vendamus, omnibúsque abrenuntiemus, vt te pretiosam margaritã & thesaurũ incõparabilem possidere possimus.

3 Te solum pro tota mercede & præmio nostrorum laborum & operum intendamus & expectemus, & ad te toto corde curramus.

O familiarissime Deus,

4 Eya te nobis semper & vbique præsentissimum & intentissimum sentiamus, tibiq; intendamus iugiter.

5 Corda nostra coram te integrè effundamus, & tánquam fidelissimo amico communicemus, tu verò secreta tua quãdo & sicut volueris nobis reuela.

6 Crede te nobis, & fac vt in te plenè semper cõfidamus, nosq; & omnia nostra tibi in

omni euentu committamus & resignemus.

O Secretissime & iucundissime Deus,

7 Fac nos secretum amare, & solitudinem diligere: vt audiamus quid intus nobis loquaris.

8 Fac in te semper gaudeamus, & in lætitia tibi seruiamus: atque in omni euentu serenam faciem, & conuersationem suauem & affabilem retineamus.

9 Æterna tandem lætitia, & gaudio pleno, cum beatis omnibus expleamur & inebriemur.

O vnitrine Deus, &c. vt suprà, in fine primi ternarij huius quintæ meditationis.

CAPITVLVM QVINTUMDECIMŪ, continens quinque meditationes in quinqueternaria sextæ meditationi ascripta.

¶ *Explicatio primi ternarij.*

O Superamādissime Domine Deus IESV CHRISTE, vt in amore tuo exercear & proficiam: ecce ex affectu amantissimæ matris tuæ, BB. Angelorum, patronorum meorum, & omnium Sanctorum tuorum: ex mea, tuorumque & meorum specialium ac omnium creaturarum parte: te cum patre & spiritu sancto, trinum & vnum Deum: per suauissimum cor & spiritum tuum, adoro, glorifico amo; & tibi gratias ago pro omnibus & singulis nominibus tuis.

Eya igitur amans adoro &reuereor te,ô nutritor ſuauiſsime,

1 Qui paſcis electos tuos corporali cibo.
2 Pane viuo & ſuperſubſtantiali in Euchariſtiæ Sacramento.
3 Et ſpirituali cibo multiplici.

Amans laudo & glorifico te, ô veſtitor & hoſpes honeſtiſsime,

4 Qui nos induis corporalibus veſtimentis.
5 Qui animas noſtras ſpiritualibus gratijs & virtutibus veſtis & exornas.
6 Qui habitationis locum congruum foris & intus, in teipſo refugij & pacis domũ, nobis tribuis.

Amans congratulor tibi ô prouiſor ſufficientiſsime,

7 Qui omnia ad ſalutem animæ & corporis neceſſaria electis tuis donas & adminiſtras, liberè & quiete absque nimia eorum ſolicitudine.
8 Opportunè & conuenienter.
9 Sufficienter & abundanter: ſicut ſcis illis expedire & ſicut vis & potes.

Gratiasque agens me totum tibi offero, ô vnitrine Deus, pro his cæterisque nominibus tuis,& pro omni bono quod es, quod habes, & quod operaris. Atque vtinam, quia vis,& ſicut vis,ſcis & potes: ad tuam & Sanctorum gloriam,noſtramque & omnium ſalutem: Eccleſiæ & regni, domus & ordinis veram directionem & pacem:horum tuorum

nomi

nominum virtutem & efficaciam nobis manifestes & fructuosè communices.

Eya ergo ô nutritor suauissime,

1 Da cibum corporis à te semper sperare: & de manu tua sobriè, propter te, & secundùm te sumere.

2 Sacrum corpus tuum iugiter esurire: & reuerenter ac deuotè manducare.

3 Spiritualem cibum iugiter à te quærere, & copiosè accipere.

O vestitor & hospes honestissime,

4 Eya fac nos in corporis vestitu & ornatu, solam necessitatem & religiosam simplicitatem quærere.

5 Dona & conserua in nobis vestem charitatis, cæterarumque virtutũ: vt semper corã te appareamus non nudi sed decenter vestiti.

6 Da etiam & conserua in nobis locum & habitationem incolumem & pacificam: & in teipso, refugij & quietis domum nobis concede.

O Prouisor sufficientissime,

7 Eya fac vt primùm quæramus regnum tuum & iustitiam eius.

8 Sicque absque solicitudine nimia (non tamen absque decenti prouidentia) cætera à te confidenter expectemus.

9 Omnibus vtamur sobriè, propter te & secundùm te cum gratitudine.

O vnitrine Deus omnipotens & misericors: quia vis, & sicut potes, scis & vis, nos totos igne tui amoris purga, illumina, perfice, succende, in te absorbe, transforma; vni, & clementer exaudi: ad tuam

& san

& ſanctorum gloriam, noſtramque & omnium ſalutem, Eccleſiæ & regni, domus & ordinis veram directionem & pacem, Amen. Ita quæſo fiat, ſicut confidenter petimus, ô benigniſſime pater, per IESVM dilectum filium tuum, in ſpiritu ſancto, intercedente B. Maria & omnibus beatis Angelis, Sanctis & electis.

O Mater Dei, Angeli, Sancti & electi omnes orate pro nobis, & magnificate Dominum nobiſcum.

2. *Explicatio ſecundi ternarij ſextæ Meditationis.*

Eya iterum atque iterum millies & centies millies ex affectu quo ſuprà,

Amans adoro & reuereor te, ô Paſtor bone,

1 Qui tua diuina viſione & fruitione Angelos & Sanctos paſcis in patria.

2 Qui nos oues perditas ſic dilexiſti, vt relictis Angelis ouibus tuis in cœlo, in hoc exilium deſcendere dignatus ſis, noſtramque naturam aſſumere, quatenus.

3 Quod perierat in nobis, requireres.

4 Quod abiectum erat, reduceres.

5 Quod confractum, alligares,

6 Quod infirmum, conſolidares,

7 Quod ægrotum, ſanares,

8 Quod forte & pingue, cuſtodires.

9 Qui in iudicio & iuſtitia oues tuas paſcis.

1 Et eas agnoſcis & vocas nominatim.

2 Et facis vt illæ te agnoſcant & vocem

tuam audiant,non alienorum.

3 Qui eas educis ad pascua cœlestium virtutum & bonorum.

4 Qui ante eas vadis, & tuo exemplo ac merito facis vt ipsæ te sequantur.

5 Qui lupo veniente non fugis, sed fortiter eum repellis & superas.

6 Qui corpore & sanguine proprio oues tuas nutris.

7 Qui venisti vt oues tuas vitam habeant,& abundantiùs habeant.

8 Qui animam & vitam pro ouibus posuisti,moriens in cruce.

9 Qui omnes oues tuas in vnum ouile tandem congregabis.

01 Qui es ostium ouilis, per quod qui non intrat in ouile,fur est & latro.

11 Qui verò intrat per te, huic ostiarius spiritus sanctus aperit.

12 Et ipse ingreditur & egreditur, & pascua semper inuenit.

Amans laudo & glorifico te ô hospes & conuiua dulcissime,

1 Qui stas iugiter ad ostium cordis nostri pulsans, & desiderans vt aperiatur tibi.

2 Qui aperientibus tibi gratiam infundis,per quam in cordibus eorum dignum tibi præparetur hospitium.

3 Qui delectaris apud eos mansionem facere.

4 Nec dedignaris cũ eis cœnare & epulari.

5 Sed affers tecum cibos gratiarum & donorum tuorum quibus ipsi pascuntur.

6 Et das eis tibi offerre sancta desideria

& opera quibus libenter paſcaris.

Amans congratulor tibi, ô viſitator optime,

7 Qui ex amore electos tuos viſitas.

8 Illosque & omnia eorum interiora & exteriora ſcrutaris, & conſideras exactiſſimè.

9 Et illis eadem reuelas diſcretiſſimè.

10 Eorum autem delicta & peccata corripis, in miſericordia & iudicio.

11 Et quod in eis tibi diſplicet diſſipas, euellis, deſtruis, & diſperdis.

12 Quod autem tibi placet, in eis ædificas, plantas & reformas.

Omnibusque peractis in eorum conſcientia pacem tuam relinquis.

Gratiasque agens, me totum tibi offero, ô vnitrine Deus, pro his cæterisq; nominib⁹ tuis, & pro omni bono quod es, quod habes, & quod operaris. Atque vtinam horum tuorum nominum virtutem & efficaciam nobis manifeſtes & applices.

Eya ergo, ô paſtor bone,

1 Fac nos ad cœleſtia paſcua tuæ viſionis feruenter aſpirare.

2 Incarnationis tuæ myſterium & dignitatem amoroſo corde recolere, & in eadem charitate quâ de cœlo pro nobis deſcendiſti, obſecramus te.

3 Quicquid in nobis perijt, require.

4 Quod abiectum eſt, reducito.

5 Quod confractum, alligato.

6 Quod infirmum, conſolida,

7 Quod ægrotum, ſana.

8 Quod forte & pingue, cuſtodi.

9 Noſque paſce & rege, in iudicio & iuſtitia.

1 Agnoſce nos inter oues tuas ex nomine.

2 Fac vt te agnoſcamus, vocemque tuam & non alienorum audiamus.

3 Educ nos ad paſcua virtutum tuarum ante nos vadens.

4 Et fac vt te promptè & ſtrenuè ſequamur.

5 Lupum & omnem inimicum noſtræ ſalutis à nobis repelle & ſupera.

6 Corporis & ſanguinis tui deuota ſuſceptione, nos ſatia & impingua.

7 Fac nos paratos, animas noſtras pro te & ouibus tuis ponere, tui exemplo & amore.

8 Diſperſas, in vnum ouile congrega.

9 Non permittas aliundè quàm per te, in ouile nos intrare.

10 Spiritus tuus ingreſſum ad te nobis patefaciat & aperiat.

11 Vt ingredientes ad diuinitatis contemplationem:

12 Et egredientes ad tuæ humanitatis conſiderationem, paſcua intùs & foris inueniamus.

O hoſpes & conuiua dulciſsime,

1 Eya fac vt te pulſantem audiamus, & tibi confeſtim aperiamus.

2 Præpara in cordibus noſtris per gratiæ tuæ infuſionem, gratum tibi hoſpitium.

3 Digneris ad nos non ſolùm venire: ſed & perſeuerantem & delectabilem apud

nos mansionem facere.

4 Nobiscum epulari & cœnare: quod vt fiat,

5 Expone & dona nobis fructus tui spiritus, & spirituales panes quibus vescamur.

6 Et fac nos tibi offerre sanctæ desideria, & placita tibi exercitia & opera, quibus libêter pascaris.

O visitator optime,

7 Eya visita nos in salutari tuo.

8 Reuela nobis defectus nostros.

9 Corripe nos in misericordia.

10 Euelle, destrue, dissipa & disperde in nobis quicquid tibi displicet.

11 Ædifica, splanta, & conserua in nobis quod tibi placet.

12 Nosque plenè reforma & pacifica.

Fac etiam vt hi qui per te ad officium visitatorum sunt assumpti, ista omnia, per te, & propter te impleant: videlicet vt ex amore

1 Visitent sibi commissos.

2 Exactè exteriora & interiora eorum scrutentur.

3 Discretè, quæ per scrutinium cognouerint, recitent & reuelent.

4 Corripiant reos, in misericordia & iudicio.

5 Dissipent & euellant vitiosa omnia.

6 Ædificent & plantent tibi placita.

7 Pacem tuam in domibus visitatis relinquant.

O vnitrine Deus, &c. vt suprà in fine primi ternarij huius meditationis.

¶ *Explicatio tertij ternarij sextæ meditationis.*

Eya iterum atque iterum millies & centies millies ex affectu quo suprà.

Amans adoro & reuereor te, ô imperator excellentissime,

1 Quem adorant dominationes cœlestes.

2 Cui militat omnis cœlestis exercitus.

3 Cuius forti potentiæ genu curuantur omnia, cœlestia, terrestria & inferna.

4 Qui electos tuos militiæ tuæ ascribis & milites tuos instituis.

5 Qui fortem & feruentem charitatem pro militari donatiuo eis tribuis.

6 Coronámque cœlestem, si bene certauerint, eis repromittis.

Amans laudo & glorifico te, ô Dux & pugnator inuictissime,

7 Qui crucis & passionis tuæ humilitate & infirmitate fortem armatum superasti.

8 Qui exemplo tuo & verbo ad pugnandum nos excitas & instruis.

9 Qui pro nobis & nobiscum pugnas.

Amans tibi congratulor, ô triumphator semper magnifice,

10 Qui hostiles nequitias potenter expugnas, & de omni hoste semper triumphas.

11 Qui pro tuo amore legitimè certantes, vincere facis & triumphare.

12. Qui eosdem tui triumphi & regni, facis tecum esse participes.

Gratiásque agens me totum tibi offero, ô vnitrine Deus, pro his cæterísque nominibus tuis, & pro omni bono quod es, quod habes, & quod operaris. Atque vtinam horum tuorum nominum virtutem & efficaciam nobis manifestes & applices.

Eya ergo, ô imperator excellentissime,

1 Fac vt te semper adoremus & revereamur imperatorem supremum.

2 Tibi contra hostes tuos militemus, cum cœlestibus exercitibus.

3 Sub omnipotenti manu tua profundè & voluntariè nos semper humiliemus.

4 Et licèt hactenus propter ignauiam nostram, & frequentem fugam ac proditionem de militum tuorum cathalogo deleri meruerimus: tu tamen nos ad te redeuntes benignè recipe & inter milites tuos rursus ascribe.

5 Feruentémque & fortem charitatem nobis infunde.

6 Et spe cœlestis coronæ ad pugnandum, fortiter nos excita.

O Dux & pugnator inuictissime,

7 Eya excita & conforta nos ad pugnandum contra mundum, carnem, & diabolum.

8 Doce nos per crucem, & passionis tuæ imitationem hostes omnes superare, accipiendo crucem & pœnas omnes pro refrigerio.

9 Credamus ſemper & ſentiamus te, in omni noſtro certamine nobiſcum & pro nobis pugnare, vt non deficiamus.

O triumphator ſemper magnifice,

10 Eya fac vt in omni pugna te triumphatorem eſſe ſemper credamus, & cum laude recogitemus.

11 Tui amore, tuáque virtute & dono ſic legitimè certemus, vt vincamus.

12. Tuíque triumphi & gloriæ tandem tecum ſimus participes.

O vnitrine Deus, &c. vt ſuprà, in fine primi ternarij huius meditationis.

¶ *Explicatio quarti ternarij ſextæ meditationis.*

Eya iterum atque iterum millies & centies millies ex affectu quo ſuprà,

Amans adoro & reuereor te, ô eſurientiſſime amator,

1 Qui noſtram ſalutem eſuris & ardenter concupiſcis.

2 Qui nos edere & ſpiritualiter in te transformare ac tibi vnire appetis.

3 Qui à nobis manducari, & beatificè poſſideri deſideras.

Amans laudo & glorifico te, ô fortiſſime amator,

4 Qui fortiter hoſtes noſtræ ſalutis reprimis & ſuperas.

5 Fortiter duriſſima pro nobis tormenta paſſus es.

6 Magnanimitérque ardua & magnifica aggreſſus es & perfeciſti.

Amans congratulor tibi, ô constantiſsime amator,

7 Qui ab æterno continuè nos amaſti.

8 Nullíſque noſtris vitijs tuam charitatem erga nos ſubſtrahis, quamdiu hîc in via ſalutis ſumus.

9 Qui in patria electos tuos æterna & conſtanti charitate ſemper amplecteris.

Gratiáſque agens me totum tibi offero, ô vnitrine Deus, pro his cæteríſque nominibus tuis & pro omni bono quod es, quod habes, & quod operaris. Atque vtinam horum tuorum nominum virtutem & efficaciam nobis manifeſtes & applices.

Eya ergo ô eſurientiſsime amator,

1 Salua nos, vt tuam impleas eſuriem, & da vt & nos tuam eſuriamus ſemper gloriam & beneplacentem voluntatem.

2 Comede nos & in te transforma, ſicut ſcis, vis & potes.

3 Et fac nos cum ſpirituali eſurie carnem tuam manducare, & tandem tua fruitione ſatiari.

O fortiſsime amator,

4 Eya fac nos propter te & per te fortiter hoſtibus tuis reſiſtere.

5 Quælibet aduerſa, pro tui amore hilariter ſufferre.

6 Viriliter ardua quæque pro te aggredi & perficere.

O conſtantiſsime amator,

7 Eya fac vt te conſtanter & continuè amemus & benedicamus in omni tempore.

8 Nec aduerſis, nec proſperis ſeparemur à tua charitate.

9 In æternum te amemus, téque cum beatis fœlici & inſeparabili complexu & oſculo complectamur.

O vnitrine Deus &c. vt ſuprà.

5 *Explicatio quinti ternarij ſextæ meditationis.*

Eya iterum atque iterum millies & centies millies ex affectu quo ſuprà,

Amans adoro & reuereor te, ô excellentiſsime Deus,

1 Qui ſuperexcellis omnis creata maieſtate, & virtute immenſa,

2 Sapientia, & claritate infinita,

3 Bonitate, & benignitate ſumma.

Amans laudo & glorifico te, ô victorioſiſsime Deus,

4 Qui aduerſæ dominationis vires reprimis.

5 Qui inimici rugientis ſæuitiam ſuperas.

6 Qui hoſtiles nequitias potens expugnas, & magnificè ſemper triumphas.

Amans congratulor tibi, ô lætiſsime Deus,

7 Cuius vita, eſt perpetua lætitia.

8 Qui lætaris in omnibus operibus tuis.

9 Qui lætitia ſpirituali ſanctos tuos perfundis & ſatias.

Gratiáſque agens me totum tibi ex amore offero, ô vnitrine Deus,pro his cæteríſque nominibus tuis,& pro omni bono quod es, quod habes,& quòd operaris. Atque vtinam horum tuorum nominum virtutem & efficaciam nobis manifeſtes & applices.

Eya ergo,ô excellentiſſime Deus,

1 Fac vt te ſuper omnia ſemper & vbique reuereamur & adoremus,

2 Laudemus & glorificemus,

3 Amemus & ex amore tibi ſeruiamus.

O victorioſiſſime Deus,

4 Fac nos propter te & tecum magnanimiter hoſtes aggredi,

5 Fortiter eis reſiſtere,

6 Perſeuerando in pugna de eis triumphare.

O lætiſſime Deus,

7 Eya fac nos ſic in te delectari,vt petitiones cordis noſtri exaudias.

8 Pro omnibus operibus tuis, tibi gratias agere & congratulari.

9 Tuo gaudio ſemper lætari, repleri, & ſatiari.

O vnitrine Deus &c.vt ſuprà,in fine primi ternarij huius ſextæ meditationis.

CAPITVLVM SEXTVMDECIMVM, CONTINENS quinque meditationes, in quinque ternaria ſeptimæ meditationis aſcripta.

SVPERAMANDISSIME Domine Deus IESV CHRISTE vt in amore tuo exercear & proficiam: ecce ex affectu amantissimæ matris tuæ, BB. Angelorum, patronorum, sanctorum omnium: ex mea tuorúmque & meorum specialium atq; omniũ creaturarum parte: ad tuam gloriam, & omnium salutem, te cũ patre & Spiritu sancto trinũ & vnum Deum, per suauissimũ cor & spiritum tuum, adoro, glorifico, amo, tibiq́; gratias ago pro omnibus ac singulis nominibus tuis.

Eya igitur amans adoro & reuereor te, ô culpæ dimissor & iustificator benignissime,

Qui vt à peccatis nos iustifices & abluas, multiplices miserationes circa nos ostendis & exhibes.

1 Nam à multis peccatis nos præseruas, subftrahendo occasiones eorum.

2 Et fortitudinẽ eis resistendi concedẽdo.

3 Sepiendo vias nostras spinis, & vias peccati difficiles & amaras nobis faciens.

4 Sanando affectionem, ne peccati voluptatem concupiscat.

5 Tu etiam nos actualiter peccantes & iram tuam prouocantes, à damnatione perpetua, quam meremur præseruas.

6 Toleras nos patiẽter, irã nõ statim inferẽs.

7 Longanimiter ad pœnitentiam expectas.

8 Benefacere nobis non cessas.

9 Auersos à te multipliciter reuocas, per tuã inspirationem aut Angelicam, vel humanam exhortationem.

10. Per aduerſa & proſpera.

1 Et ſi voluerimus te audire, tu nos illuminas multipliciter.

2 Confundis & erubeſcere facis de noſtra vilitate & peccatorum noſtrorum turpitudine.

3 Terres timore tuorum iudiciorum iuſtorum.

4 Afficis tuo amore, ex tuæ fidelitatis, patientiæ & benignitatis erga nos conſideratione.

5 Compungis & conteris vero de peccatis (quatenus tui ſunt offenſiua) dolore.

6 Accendis ad pœnitentiam agendam.

7 Confirmas propoſitum non peccandi amplius.

8 Extrahis à peccato, per confeſſionem & fugam occaſionis.

9 Culpam abſoluis & remittis, per abſolutionem ſacramentalem.

10 Nec ampliùs iam nobis improperas dimiſſa peccata.

Amans laudo & glorifico te, ô pœnæ relaxator & dimiſſor,

1 Qui pœnam peccatis noſtris debitam, in tua humanitate dignatus es, tuis innumeris paſſionibus, perſoluere.

2 Qui paſſionum tuarum meritum & ſatisfactionem per ſacramentalem abſolutionem & multiplicia alia remedia verè pœnitentibus applicas.

3 Qui verè pœnitentium labores & pœnitentias fructuoſas, & vitæ æternæ meritorias facis, tuæ paſſionis merito.

Amans congratulor tibi, ô gratiæ retributor,

4 Qui gratiam tuam & amicitiam, verè pœnitentibus restituis.

5 Continendi à peccatis virtutem illis concedis.

6 Donorum tuorum abundantiam & virtutem eis infundis.

7 Bonorum operum fœcunditatem superaddis.

8 Excitásque eos ad præteritorum iugem displicentiam.

9 Ad præsentium contemptum.

10 Ad desiderium & spem æternorum.

Gratiásque agens me totum tibi offero, ô vnitrine Deus, pro his cæterisq; nominibus tuis,& pro omni bono quod es,quod habes, & quod operaris. Atque vtinam, quia vis, & sicut vis,scis & potes, ad tuam & sanctorum gloriam, nostrámque & omnium salutem, Ecclesiæ & regni, domus & ordinis veram directionem & pacem:horum tuorum nominum virtutem & efficaciam nobis manifestes, & fructuosè communices.

Eya ergo ô culpæ dimissor & iustificator

Benignissime, hæc omnia in nobis & cæteris peccatoribus operare misericorditer.

1 Substrahe nobis occasiones peccandi.

2 Da fortitudinē resistendi tētationibus.

3 Immitte amaritudinem nostris vitijs & concupiscentijs, vt ab eis auertamur.

4 Sana affectionem, ne peccatum concupiſcamus.

5 Præſerua nos à damnatione, quam meruimus.

6 Tolera nos patienter, iram tuam miſericorditer continens.

7 Longanimiter nos expecta, & ſpatium pœnitendi nobis dona.

8 Tuis beneficijs nos affice & ſubleua.

9 Nos à te auerſos reuoca, per tuum ſpiritum, angelicumq; & humanũ miniſterium.

10 Compelle etiam nos ad te redire per aduerſa, & fac vt voluntariè tuæ voluntati acquieſcamus.

1 Illumina nos ſalutarium notitia.

2 Fac nos de noſtris peccatis erubeſcere.

3 Confige carnes noſtras tuo & iudiciorum tuorum timore.

4 Affice nos ſyncero tui amore.

5 Compũge nos amoroſa de peccatis noſtris contritione.

6 Accende nos zelo iuſtitiæ ad faciendam pœnitentiam.

7 Confirma in nobis propoſitum non ampliùs peccandi.

8 Extrahe nos à peccato, per integram confeſſionem & occaſionis fugam.

9 Culpam abſolue & dimitte, per ſacerdotis abſolutionem.

10 Nec ampliùs eius recorderis, vt improperes.

O pœnæ relaxator & dimiſſor,

1 Eya fac vt tuæ paſſionis meritũ eſſe ſufficientiſſimum ſemper credamus, & ipſum de-

uotè pro peccatis noſtris patri tuo per te offeramus.

2 Et vt illud efficaciter nobis applicetur, da vt verè pœniteamus, & remedia, ad hoc per te nobis propoſita, deuotè amplectamur & frequentemur.

3 Noſtræ pœnitentię labores; & exercitia, tuæ paſſioni adiungens, accepta tibi fac, & nobis ſalutaria.

O gratiæ retributor,

4 Eya fac nos ſic verè pœnitere, vt tuam gratiam & amicitiam nobis reſtituas.

5 Fac nos à peccati recidiuo præcauere.

6 Dona, & virtutes quibus tibi placeamus & ſeruiamus infunde.

7 Ad opera & obſequia tibi placita, nos excita dirige & conforta.

8 Da iugẽ de præteritis peccatis dolorem.

9 Contemptum præſentium infunde.

10 Erige nos ad ſpẽ & deſideriũ æternorũ.

O vnitrine Deus, omnipotens & miſericors, quia vis & ſicut potes, ſcis & vis, nos totos igne tui amoris purga, illumina, perfice, ſuccende, in te abſorbe, transforma, vni & clementer exaudi, ad tuam & ſanctorum gloriam, noſtrámque & omnium ſalutem, Eccleſiæ & regni, domus & ordinis veram directionem & pacem, Amen. Ita quæſo fiat, ſicut confidenter petimus, ô benigniſſime Pater per IESVM dilectũ filium tuum, in Spiritu ſancto, intercedẽte B. Maria, & omnibus Angelis, Sanctis & electis.

O mater Dei, ô Angeli, ô Sancti, & electi omnes orate pro nobis, & magnificate Dominum nobiſcum.

2. *Explicatio secundi ternarij septimæ meditationis.*

Eya iterum atque iterum millies & centies millies ex affectu quo suprà,

Amans adoro & reuereor te, ô creditor

1 Opulentissime, diues in omnes qui inuocant te.

2 Prudentissime, qui sciens quid vnicuique sit conueniens, talenta tua distribuis secundùm propriam vniuscuiusque virtutem.

3 Promptissime, qui indigentibus & petentibus facilè tua talenta & dona largiris.

4 Exactissime, qui simul cum acceptis à te talentis, lucrum & vsuram ex eis tibi réddi exigis.

5 Liberalissime, erga strenuè in tuis talentis operantes, & lucrum ex eis factũ tibi cum gratitudine referentes, quos super multa constituis, & in gaudium tuum introducis.

6 Seuerissime, erga pigros & voluptuosos, talentum acceptum in terra abscondentes vel in sudario ligantes, quos accepto talento spolias, & in tenebras mittis exteriores.

7 Et durissime, erga immisericordes & ingratos, quos in carcerem mitti iubes, donec nouissimum quadrantem reddant.

Amans laudo & glorifico te, ô fideiussor

7 Sufficientissime, cuius passio est superabúndans pro nostris & totius mundi debitis persoluendis.

8 Fideliſſime, qui fideliter pro nobis reſpondes & Deo patri ſatisfacis.

9 Acceptiſſime, in quo Deus pater ſemper benè complacuit,& per quē nos acceptat.

Amans congratulor tibi, ô reſtaurator & retributor,

10 Qui perdita dona reſtauras.

11 Opera bona per peccatū ſequens mortificata viuificas.

12 Nouas gratias & operationes bonas retribuis & ſuperaddis.

Gratiáſque agens me totum tibi offero, ô vnitrine Deus pro his cæteriſq; nominibus tuis, & pro omni bono quod es,quod habes, & quod operaris. Atque vtinā horum tuorum nominum virtutem & efficaciam nobis manifeſtes & applices.

Eya ergo ô creditor noſter,

1 Tua talenta & dona nobis diſtribue, ſicut potes, iuxta opulentiam tuam.

2 Sicut ſcis expedire, iuxta prudentiam tuam.

3 Sicut vis, iuxta promptitudinem & liberalitatem tuam.

4 Et fac vt te exactiſſimum repetitorem ſemper recogitantes, ſoliciti ſimus ex amore tuo in acceptis à te talentis operari & alia lucrari.

5 Lucrúmque factum ſimul cum talentis, grati tibi referamus & aſcribamus, vt, quia vis, & ſicut vis, ſuprà multa à te conſtituamur, & in gaudium tuum introducamur.

6 Ah nunquam ex pigritia vel terrenorum affectu in terra abſcondamus talenta, nec molliter viuendo, ea in ſudario reponamus, nec contra tuum honorem illis vtendo, ea diſsipęmus; nec recepta à te debitorũ remiſsione, immiſericordes erga debitores noſtros inueniamur, ſed illis ex corde dimittamus, ſicut tu nobis debita noſtra dimittis.

O fideiuſſor noſter,

7 Eya de ſuperabundanti theſauro paſſionis tuæ ſolue patri tuo omnia debita noſtra.

8 Fidele ſeruitium tuum quo patri in omnibus ſemper obediſti, offer contra omnem inobedientiam noſtram.

9 In ea complacentia qua Deus Pater in te ſibi complacuit, fac vt nos per te acceptet, & ſibi in omnibus nobis complaceat.

O reſtaurator & retributor,

10 Eya reſtaura in nobis quæcumque peccato noſtro perdidimus.

11 Viuifica, quæ peccãdo mortificauimus.

12 Retribue nouam gratiam, qua adiuti placita tibi opera faciamus.

O vnitrine Deus, &c. vt ſuprà in fine primi ternarij huius ſeptimæ meditationis.

3. *Explicatio tertij ternarij ſeptimæ meditationis.*

Eya iterum atque iterum millies & centies millies ex affectu quo ſuprà,

Amans adoro & reuereor te, ô bonorum omnium largitor,

1 Qui diues es, & copioſus in omnes qui inuocant nomen tuum.

2 Qui gratis & ſine præcedẽti merito, vel ſperata retributione, bona tua nobis largiris.

3 Qui iuxta tuam imperialem munificentiam magnifica dona tuis electis cõcedis.

Amans laudo & glorifico te, ô mediator & ſacerdos noſter,

4 Qui inter patrem & nos medius & ſequeſter intercedis.

5 Qui tanquam verus Sacerdos, Pontifex & Epiſcopus noſter, teipſum Deo patri offers pro nobis inacceptiſsimum ſacrificium.

6 Qui hac oblatione patrem placas, & omnia ſalutaria nobis impetras.

Amans congratulor tibi, ô conſeruator, multiplicator, & remunerator datorum,

7 Qui in humilibus & gratis, dona tua conſeruas.

8 Qui ad lucrandum ex acceptis donis alia bona eos excitas, dirigis & confortas.

9 Et gratiã pro gratia reddis, atque pro lucris tibi oblatis, copioſam mercedẽ rependis.

Gratiáſque agens me totum tibi offero, ô vnitrine Deus, pro his cæteríſque nominibus tuis, & pro omni bono quod es, quod ha-

bes & quod operaris. Atque vtinam horum tuorum nominum virtutẽ & efficaciam nobis manifestes & applices.

Eya ergo ô bonorum omnium largitor,

1 Fac vt in omni nostra indigentia, ad te fiducialiter recurramus.

2 Tua bona nobis gratis esse data recognoscamus, téque solum pro his laudemus, & laudari desideremus.

3 Iuxta tuam munificentiam munera magnifica nobis largire.

O Mediator & Sacerdos noster,

4 Eya medium te inter nos & Patrẽ obiice, & pro nobis intercede.

5 Offer te ipsum, omniáque tua merita pro nobis, in omnigenam hostiam.

6 Placatum nobis & propitium redde patrem tuum, atque ab eo omnia salutaria nobis impetra, & cum eo dona.

O Conseruator & multiplicator datorum,

7 Eya fac nos verè humiles & gratos, vt tua in nobis dona conserues.

8 Excita, dirige, & conforta nos ad lucrum, ex acceptis à te donis faciendum.

9 Et da vt lucrum omne factum, tibi referentes, potiora à te dona recipiamus, ad tuam gloriam & obsequium.

O vnitrine Deus, &c. vt suprà in fine primi ternarij huius septimæ meditationis.

4 Explicatio quarti ternarij septimæ Meditationis.

Eya iterum atque iterum millies & centies millies ex affectu quo suprà,

Amans adoro & reuereor te, ô opulentissime Amator,

1 Qui es à te ipso tibi sufficientissimus, & omni bono plenissimus.

2 Qui es diues in omnes qui nomen tuũ inuocant.

3 Qui absque vlla diminutione bona tua egentibus abundanter communicas.

Amãs laudo & glorifico te ô liberalissime amator,

4 Qui gratis, absque vllo præcedenti merito, dona tua largiris.

5 Qui nullam vtilitatem, pro bonis collatis expectas aut recipis.

6 Qui das omnibus affluenter, & non improperas.

Amans congratulor tibi, ô magnificentissime amator,

7 Qui super sanctos tuos magnificas misericordiam tuam, magnifica eis dona tribuens.

8 Qui magnifica & heroica in illis & per illos opera facis.

9 Qui magnificè eos coronas & remuneras.

Gratiasque agens me totum tibi offero, ô vnitrine Deus, pro his cæterisque nominibus tuis, & pro omni bono quod es, quod ha-

bes,& quod operaris. Atque vtinam horum tuorum nominum virtutem & efficaciam nobis manifeſtes & applices.

Eya ergo, ô opulentiſsime amator,

1 Tuam opulentiam agnoſcamus, laudemus,& fiducialiter in omni neceſſitate noſtra inuocemus.

2 Ex eius plenitudine , quicquid nobis deeſt , abundè recipiamus.

3 Omnia bona noſtra,à te nobis data recognoſcamus,& ad tuã gloriam ordinemus.

O liberaliſsime amator,

4 Eya nobis immeritis & indignis , ex gratuita liberalitate tua benefac.

5 Et fac vt non intuitu retributionis : ſed ex gratuito amore fideliter tibi ſeruiamus.

6 Et propter te ac ſecundùm te, liberaliter nos noſtraque pro proximorum ſalute impendamus.

O magnificentiſsime amator,

7 Eya magnifica & mirifica ſuper nos miſericordiam tuam, vt vbi abundauit delictum,ſuperabundet gratia.

8 Magnifica in nobis & per nos opera operare ad tuam gloriam.

9 Tandemque cum Sanctis tuis magnificè nos corona & beatifica.

O vnitrine Deus,&c.vt ſuprà,in fine primi ternarij huius ſeptimæ meditationis.

5. *Explicatio quinti ternarij ſeptimæ Meditationis.*

Eya iterum atque iterum millies & centies millies ex affectu quo ſuprà,

Amans adoro & reuereor te, ô iustisſime & æquisſime Deus,

1 Qui es fons, & inflexibilis regula omnis iuſtitiæ.

2 Qui ſine acceptione perſonarum, vnicuique quod ſuum eſt tribuis.

3 Qui nullum bonum irremuneratum, nullumq́ue malum impunitum, relinquis.

Amans laudo & glorifico te ô veracisſime Deus,

4 Qui es verax in doctrina, in veritate viam ſalutis docens.

5 Verax in promiſſis, fideliter reddens quod promiſiſti.

6 Verax in iudicijs, omnia in vero & iuſto iudicio iudicans & diſponens.

Amans congratulor tibi, ô gratioſisſime Deus,

7 Qui es fons omnis gratiæ & benedictionis.

8 Qui gratiam tuam in cordibus electorum tuorum diffundis.

9 Et in labijs quoque ac operibus illorum eam manifeſtas.

Gratiasq́ue agens me totum tibi offero, ô vnitrine Deus, pro his cæterisq́ue nominibus tuis, & pro omni bono quod es, quod habes, & quod operaris. Atque vtinam horũ tuorum nominum virtutem & efficaciam nobis manifeſtes & applices.

CAPITVLVM DECImumſeptimum, continens quinque meditationes in quinque ternaria octauæ meditationi deputata.

SVperamãdiſſime Domine Deus IESV Chriſte, vt in amore tuo & proficiam: ecce ex affectu amantiſſimæ matris tuæ, BB. Angelorum, patronorum meorum, & omnium ſanctorum tuorum: ex mea tuorumque & meorum ſpecialium atque omnium creaturarum parte: ad tuam gloriam & omnium ſalutem: te, cum patre & ſpiritu ſancto trinum & vnum Deum: per ſuauiſſimum cor & ſpiritum tuum: adoro, laudo, amo, amplector, & gratias tibi ago ſuper omnibus nominibus & beneficijs tuis.

¶ *Primum ternarium.*

Eya igitur amãs adoro & reuereor te, ô eductor, patiens, admirabilis & ſuauis.

1 Qui nos ſeculi vanitatibus deditos & à te auerſos, diu patienter toleraſti, & ad pœnitentiam expectaſti.

2 Qui voluntatem noſtram mirabiliter immutaſti, & à ſeculi vanitate abſtraxiſti.

3 Qui deſiderium vitæ perfectioris inſpiraſti, atque ad brauium ſupernæ vocationis ſuauiter nos accendiſti.

Amans laudo & glorifico te, ô vocator, consiliarie & inspirator,

4 Cuius interna vocatione elongauimus, & seculum fugientes monasticam vitam delegimus.

5 Cuius consilio, ordinē & locum nostræ conditionis magis congruum, sumus ingressi.

6 Cuius inspirationibus ad contemplationis gratiam aspirare & tendere proposuimus.

Amans congratulor tibi, ô susceptor, assumptor & fortis defensor,

7 Qui nos ad habitum religionis & annuam probationem benignè suscipi fecisti.

8 Ad professionem quoque solennem admitti nos voluisti, in qua, tanquam in altero quodam baptismo, à peccatis plenè nos mundasti, & ad te tanquam speciales & domesticos assumpsisti.

9 In suscepta religione hucusque nos fouisti, fortiter protexisti, &, sicut speramus, vsque in finem fouebis & custodies.

Gratiasque agens me totum tibi offero, ô vnitrine Deus omnipotens & misericors, pro his cæterisque nominibus tuis, & pro omni bono quod es, quod habes & quod operaris. Atque vtinam quia vis & sicut vis, scis, & potes, ac tuam & sanctorum gloriam, nostramque & omnium salutem, Ecclesiæ & regni, domus & ordinis veram directionem & pacem: horum tuorum nominum virtutē & efficaciam nobis manifestes & fructuosè communices.

Eya ergo, ô eductor, patiens, admirabilis & suauis,

1 Fac vt pro tanta erga nos patientia & dignatione feruenter te redamemus.

2 Seculi vanitatibus magis ac magis renunciemus ac moriamur.

3 Ad vitæ perfectioris studium & supernæ vocationis brauium quotidie magis accendamur & suauiùs afficiamur.

O vocator, consiliarie, inspirator,

4 Eya secularium consortia & colloquia non amemus nec quæramus.

5 Eum ordinẽ & locũ nobis esse salubriorẽ credamus, quẽ vt ingrederemur consuluisti.

6 Ad cõtẽplationis gratiã & gustũ, cõtinuo studio tendamus, sicut nostra vocatio exigit.

O susceptor dulcis & Deus fortis,

7 Eya fac vt religiosi habitus, non tantùm speciem, sed veritatem & pietatem in nostris moribus ostendamus.

8 Professionis gratiã gratis nobis datã agnoscamus, & deuotè ea sæpiùs renouemus: perfectiusque de die in diem quod promisimus reddere curemus.

9 In ea ad quam vocare & suscipere dignatus es religione misericorditer nos foue, dirige & vsque in finem perseuerare concede.

O vnitrine Deus omnipotẽs & misericors, quia vis & sicut potes, scis & vis nos totos igne tui amoris purga, illumina, perfice, succende, in te absorbe, transforma, vni, & clementer exaudi: ad tuam, & sanctorũ gloriam, nostramque & omnium salutem: ac Ecclesiæ & Regni, domus & ordinis, veram directio-

nem & pacem: Amen. Ita quæso fiat sicut confidenter petimus, ô benignissime pater, per IESVM dilectum filium tuum: in spiritu sancto: intercedente B. Maria & omnibus Angelis & Sanctis & electis.

O Mater Dei, Angeli, Sancti & electi omnes orate pro nobis & magnificate Dominum nobiscum.

2 *Explicatio secundi ternarij octauæ meditationis.*

Eya iterum atque iterum millies & centies millies ex affectu quo suprà,

Amans adoro & reuereor te, ô protector noster potentissime,

Qui electos tuos potenter protegis ab impugnationibus

1 Mundi & cupiditatis,
2 Carnis & voluptatis,
3 Diaboli & superbiæ.

Amãs laudo & glorifico te, ô custos vigilantissime, prouidentissime, & fidelissime,

4 Qui non dormis neque dormitas, sed dio ac nocte super nos vigilas.

5 Qui omnes hostium laqueos & insidias præuides & clarè intueris.

6 Qui doces nos eosdem laqueos agnoscere & vitare.

Amans congratulor tibi, ô medice sapientissime, benignissime & potentissime,

7 Qui es potentissimus, solo verbo omnem languorem curare præualens.

8 Qui es

8 Qui es ſapientiſſimus, omnes noſtras infirmitates, earúmque cauſas & conuenientiora remedia perfectè agnoſcens.

9 Qui es benigniſſimus, ardenti, continuo & efficaci deſiderio volens nos (ſi tibi obtemperare volueris) ſanare & in ſanitate cuſtodire.

Gratiáſque agens me totum tibi offero, ô vnitrine Deus, pro his cæteríſque nominibus tuis, & pro omni bono quod es, quod habes, & quod operaris. Atque vtinam horum tuorum nominum virtutem & efficaciam nobis manifeſtes & applices.

Eya ergo, ô protector noſter potentiſſime.

1 Fac vt te à dextris nobis aſſiſtentem ſemper præuideamus & reuereamur.

2 Ad te in omni tentatione fiducialiter & feruenter ſuſpiremus.

3 Tuæq́; protectionis auxilio ad reſiſtendum omni tentationi, mundi, carnis, & diaboli confortemur.

O cuſtos vigilantiſſime, prudentiſſime & fideliſſime,

4 Eya fac vt te ſuper nos vigilantem ſemper attendentes, tibi quoque intendamus.

5 A te omnes laqueos hoſtium clarè diſcernere diſcamus.

6 Tuo conſilio & adiutorio eoſdem effugiamus per veram cordis humilitatem.

O medice optime,

7 Eya ſicut potes, ſcis & vis ſana cunctas nfirmitates noſtras.

8 Per te da ſciamus noſtrarum infirmitatum cauſas & remedia.

9 Vitemus ſolicitè earum occaſiones, & integrè tibi obtemperantes, congrua à te illis ſanandis recipiamus medicamenta & remedia.

O vnitrine Deus &c. vt ſuprà in fine primi ternarij huius octauæ meditationis.

¶ Explicatio tertij ternarij octauæ meditationis.

Eya iterum atque iterum millies & centies millies ex affectu quo ſuprà.

Amans adoro & reuereor te, ô tutor pijſſime, prouidentiſſime & validiſſime,

1 Qui nos orphanos in tuã tutelã ſuſcipis.

2 Noſtri pluſquam paternam curam geris, & omnia vtiliora prouides.

3 Nóſque potenter tueris ab omnibus hoſtibus, periculis & aduerſis.

Amans laudo & glorifico te, ô Samaritane miſericordiſſime, diſcretiſſime, & benigniſſime,

4 Qui humano generi à latronibus ſpoliato & vulnerato miſericorditer appropinquaſti, per carnis aſſumptionem.

5 Vinum & oleum vulneribus eius diſcretè infudiſti, miſericordiam ei proponens & iudicium.

6 Tui corporis iumento eum benignè impoſuiſti, ad eccleſiæ ſanctæ ſtabulum deduxiſti, ac prælatis tanquam ſtabularijs curandum commendaſti.

Amans congratulor tibi, ô curator optime,

7 Qui in ſtabulo ſanctæ Eccleſiæ & religionis nos contines,& manere facis.

8 Qui noſtri curam habens,multiplicibus gratiæ tuæ fomentis nos recreas, & ad ſanitatem perfectam adducis.

9 Qui vicarijs tuis,prælatis noſtris,vt noſtræ ſalutis curam peruigilem habeant imperas & committis, eiſdémque duos denarios tribuis, & ſi quid ſupererogauerint promittis reddere.

Gratiáſque agens me totum tibi offero, ô vnitrine Deus, pro his cæteríſque nominibus tuis & pro omni bono quod es,quod habes, & quod operaris. Atque vtinam horum tuorum nominum virtutem & efficaciam nobis manifeſtes & applices.

Eya ergo,ô tutor pijſſime,prouidentiſſime & validiſsime,

1 Eya fac nos ad tuam tutelam in omni periculo confugere.

2 Omnem ſolicitudinem & vanum timorem in te proiicere & excludere.

3 Ab omnibus hoſtibus & periculis te protegente eripi,te liberante ſaluari.

O Samaritane miſericordiſsime,

4 Eya nobis nudis, ſpoliatis & ſemiuiuis miſericorditer per gratiã tuam appropinqua.

5 Vinum paternæ correptionis, & oleum tuæ cõſolationis noſtris vulneribus infunde, eademque alliga, donans cõtinendi virtutẽ.

6 Iumento tuæ humanitatis nos impone,

peccata nostra in te suscipiens, & stabulario per te nobis assignato fac nos obedire.

O curator optime,

7 Eya da vt in Ecclesiæ fide & sanctæ religionis exercitio vsque in finem perseueremus.

8 Tuæ gratiæ fomenta & remedia auidè quæramus,& deuotè suscipiamus.

9 Prælatis nostris propter te, & secundùm te amanter & fideliter obediamus, quibus donare digneris vtriusque testamenti notitiam, & quicquid in nostri curatione supererogauerint,illis retribue.

O vnitrine Deus,&c.vt suprà,in fine primi ternarij huius octauæ meditationis.

4. *Explicatio quarti ternarij octauæ meditationis.*

Eya iterum atque iterum millies & centies millies, ex affectu quo suprà,

Amans adoro & reuereor te, ô potentissime amator,

1 Qui omnia quæcumque vis operaris in cœlo & in terra.

2 Cui nullus potest resistere.

3 Qui sanctos tuos ad omnia tibi placita potentes facis.

Amans laudo & glorifico te, ô sapientissime amator,

4 Qui omnia clarissimè nosti.

5 Quem nullus potest decipere.

6 Qui sanctos tuos sapientes facis.

Amans congratulor tibi, ô ſanctiſsime amator,

7 Qui es puriſſimus ab omni macula & extranea qualitate.

8 Qui es perfectiſſimus abſq; vllo defectu.

9 Qui es firmiſſimus & prorſus incommutabilis abſque vlla mutatione.

Gratiáſque agens me totum tibi offero, ô vnitrine Deus, pro his cæteríſque nominibus tuis, & pro omni bono quod es, quod habes & quod operaris. Atque vtinam horum tuorum nominum virtutem & efficaciam nobis manifeſtes, & applices.

Eya igitur, ô potentiſsime amator,

1 Liberè in nobis operare quæcumque volueris.

2 Hoſtes noſtræ ſalutis reprime.

3 Ad omnia tibi placita excita nos & conforta.

O ſapientiſsime amator,

4 Eya te cordis noſtri inſpectorem ſemper credamus & reuereamur.

5 Ab omni deceptione per te liberemur.

6 Tua ſapientia in omnibus dirigamur & illuminemur.

O ſanctiſsime amator,

7 Eya purga nos & præſerua ab omni vitio & impuritate.

8 Perfice nos in omni gratia, & bono tibi placito.

9 Confirma nos & ſtabili in ſanctis propoſitis & operibus bonis.

O vnittine Deus,&c.vt suprà,in fine primi ternarij huius octauæ meditationis.

5 *Explicatio quinti ternarij octauæ meditationis.*

Eya iterum atque iterum millies & centies millies ex affectu quo suprà,

Amans adoro & reuereor te,ô altissime Deus,

1 Qui es altissimus super omnem terram.

2 Cuius magnificentia super omnes cœlos est eleuata.

3 Qui in altis habitas, & humiles respicis, ac tecum eleuas & extollis.

Amans laudo & glorifico te ,ô pulcherrime Deus,

4 Qui es speciosus forma præ filijs hominum & vultibus Angelorum.

5 In quem desiderant & delectantur Angeli prospicere.

6 Qui specie tua & pulchritudine tua electos omnes allicis ad te contemplandum, laudandum & admirandum.

Amans congratulor tibi , ô suauissime Deus,

7 Qui es fons totius suauitatis & dulcedinis.

8 Qui affectu pietatis plenissimus,omnes vis saluos fieri.

9 Qui suauitate & dulcedine tua sanctos afficis,inebrias & tibi agglutinas.

Gratiásque agens me totum tibi offero, ô vnitrine Deus, pro his cæterísque nominibus tuis, & pro omni bòno quod es, quod habes, & quod operaris. Atque vtinam horum tuorum nominum virtutem & efficaciam nobis manifestes & applices.

Eya ergo, ô altiſſime Deus,

1 A terrenis nos eleua.

2 Ad cœleſtia bona deſideranda & contemplanda nos excita & attrahe.

3 Ad te ſuper omnia fruendum per veram cordis humilitatem nos exalta.

O pulcherrime Deus,

4 Eya oſtende nobis ſpeciem & pulchritudinem tuam:

5 Cuius intuitu & contemplatione creata omnia nobis vileſcant.

6 Et cum beatis te ſolum contemplemur, laudemus, admiremur & in te transformemur in æternum.

O ſuauiſſime Deus,

7 Eya fac nos contemptis omnibus ſæculi ſuauitatibus, tuam ſolam amare & quærere dulcedinem.

8 Eius guſtu & fruitione repleri & inebriari.

9 Tibíque inſeparabiliter agglutinari & vniri.

O vnitrine Deus, &c. vt ſuprà, in fine primi ternarij huius octauæ meditationis.

CAPITVLVM DECIMVM OCTAVVM, CONTINENS quinque meditationes in quinque ternaria nonæ meditationi aſcripta,

PRAEFATIO.

SVPERAMANDISSIME Domine Deus IESV CHRISTE, vt in amore tuo exercear & proficiam: ecce ex affectu amantiſſimę matris tuæ, BB, Angelorum, patronorum meorum, & omnium ſanctorũ tuorum: ex mea tuorúmq; & meorũ ſpecialium, ac omniũ creaturarum parte: ad tuam gloriam & omniũ ſalutem, te cũ patre & Spiritu ſancto trinũ & vnum Deũ per ſuauiſſimũ cor & ſpiritũ tuum adoro, glorifico, & amplector, & gratias tibi ago pro omnibus & ſingulis nominibus & beneficijs tuis.

¶ *Primum ternariũ nonæ meditationis.*

Eya igitur amans adoro & reuereor te, ô pater cœleſtis, filio tuo nos deſponſans.

1. Qui noſtram vilitatem & indignitatem non deſpicis.

2 Sed dilectiſſimum filium tuum per omnia tibi coæqualem, in ſponſum noſtrarum animarum nobis donas.

3 Sicque pro filijs tuis nos agnoſcis, & hæredes tuos inſtituis.

Amans laudo & glorifico te, ô ſponſe amantiſsime fili Deus,

4 Qui vt nos tibi deſpõſares & vnires noſtram

ſtram humanam naturam ſuſcipere dignatus es,ſic'; in miſericordia & miſerationibus nos tibi deſponſas.

5 Qui electos tuos in iuſtitia & iudicio, per fidem & charitatem tibi coniungis.

6 Qui eoſdem participes facis tuæ menſæ, thalami, & regni.

Amans congratulor tibi, ô dator & benefactor ſpecialis Spiritus ſancte Deus,

7 Qui tua gratia, donis, & virtutibus electorum animas, vt cœleſti ſponſo placeant, dotas & exornas.

8 Bonis operibus & voluntatibus eos fœcundas.

9 Tuiq; amoris glutino eaſdem ſponſo cœleſti vnis nunc & in perpetuum.

Gratiasq; agens, me totum tibi offero, ô vnitrine Deus, omnipotens & miſericors, pro his cæterisq; tuis nominibus, & pro omni bono quod es, quod habes, & quod operaris. Atque vtinam, quia vis, & ſicut vis, ſcis, & potes, ad tuam & ſanctorum gloriam, noſtrámque & omnium ſalutem, Eccleſiæ & regni, domus & ordinis veram directionem & pacem, horum tuorum nominum virtutem & efficaciam nobis manifeſtes & fructuosè communiees.

Eya ergo, ô Pater cœleſtis, filio nos deſponſans,

1 Aufer à nobis omnem indignitatem, & quicquid tibi diſplicet.

2 Filio tuo per fidem, ſpem, & caſtã charitatem nos deſponſa.

3 Et fac vt te patrem noſtrum filiali ſemper affectu colamus, & ad tuam hæreditatem ardenter aſpiremus.

O ſponſe amantiſsime,

4 Eya fac nos viua fide & amoroſa conſideratione, incarnationis tuæ myſterium credere & intelligere, nóſque in miſericordia & miſerationibus tibi deſponſa.

5 In iuſtitia & iudicio, per fidem, ſpem, & charitatem nos tibi coniunge.

6 Fac nos tuæ menſæ, thalami, & regni participes.

O dator & benefactor ſpecialis,

7 Eya tua gratia donis, & virtutibus cœleſti ſponſo nos præpara & gratifica.

8 Sanctis & iuſtis deſiderijs & operibus nos fœcunda.

9 Illo charitatis glutino, quo patrem vnis cum filio, cœleſti ſponſo IESV Chriſto nos coniunge & vni, nunc & in perpetuum.

O vnitrine Deus omnipotens & miſericors, quia vis, & ſicut vis, & ſicut potes, ſcis, & vis, nos totos igne tui amoris purga, illumina, perfice, ſuccẽde, in te abſorbe, transforma, vni, & clemẽter exaudi, ad tuã & ſanctorum gloriã, noſtramq́; & omnium ſalutem, Eccleſiæ & regni, domus & ordinis veram directionem & pacem. Amen. Ita quæſo fiat, ſicut confidenter petimus, ô benigniſſime Pater, per IESVM dilectum filium tuum,

in Spiritu sancto, intercedente B. Maria, & omnibus Angelis, Sanctis & electis. O mater Dei, Angeli, Sancti & electi omnes orate pro nobis, & magnificate Dominum nobiscum.

¶ *Explicatio secundi ternarij nonæ meditationis.*

Eya iterum atque iterum millies & centies millies, ex affectu quo suprà,

Amans adoro & reuereor te, ô liberator fortissime,

1 Qui electos tuos potenter liberas de misera captiuitate & seruitute peccati,

2 Dæmonis,

3 Prauæ consuetudinis & carnis corruptibilis.

Amans laudo & glorifico te, ô IESV Saluator, sanator, & redemptor,

4 Qui electos tuos saluas & præseruas à peccatorum maculis, dum propitiaris omnibus iniquitatibus eorum.

5 Qui sanas cunctas infirmitates illorum.

6 Qui redimis illos de interitu & pœnis æternis & temporalibus nociuis.

Amans congratulor tibi, ô libertatis & pacis, & vnitatis conseruator,

7 Qui electos tuos ab omni perturbatio-

ne, & inordinata paſſione liberans & præſeruans, in vera libertate eos conſeruas.

8 Qui pacem internam, fraternam & ęternam illis donas.

9 Qui vnitatem ſpiritus & veram cum tua voluntate concordiam eis infundis.

Gratiáſque agens me totum tibi offero, ô vnitrine Deus, pro his cæteriſq; nominibus tuis, & pro omni bono quod es, quod habes, & quod operaris. Atque vtinam horum tuorum nominum virtutem & efficaciam nobis manifeſtes & applices.

Eya ergo, ô liberator fortiſsime,

1 Libera nos & ſemper præſerua ab omni captiuitate & ſeruitute peccati,

2 Diaboli,

3 Conſuetudinis prauæ, & corruptibilis carnis.

O IESV Saluator, ſanator & redemptor,

4 Eya propter nomen tuum, IESV dulciſſime, ſaluos nos fac ab omnibus peccatis, & omnibus iniquitatibus noſtris propitiare.

5 Sana ignorantiam, malitiam, concupiſcentiam, & cæteras infirmitates noſtras.

6 Redime nos à pœnis quas iuſtè nos meruiſſe agnoſcimus.

O liberator & pacis conſeruator & vnitatis,

7 Eya non permittas cor noſtrum turbari, aut inordinata paſſione concuti, & moueri:

ſed fac ſemper nos in vera ſpiritus libertate tibi ſeruire.

8 Da nobis pacem internam, fraternam & æternam.

9 Fac nos vnitatem ſpiritus ſolicitè ſeruare, & in tuæ voluntatis concordia ſemper requieſcere.

O vnitrine Deus, &c. vt ſup. in fine ternarij præcedentis.

3. *Explicatio tertij ternarij nonæ meditationis.*

Eya iterum atque iterum millies & centies millies ex affectu quo ſuprà,

Amans adoro & reuereor te, ô Pater antique dierum, conſpector ſeculorum, & ordinator temporum,

1 Qui es ante ſecula Deus æternus.

2 Qui es conſpector omnium ſeculorum, omnia ab æterno tanquam præſentia intuẽs.

3 Qui tempora & ſtatus hominum prudenter & ſuauiter ordinas & diſponis.

Amans laudo & glorifico te, ô iuuenis floridiſſime,

4 Qui pro nobis factus es homo, & iuuenis ſpecioſus præ filijs hominum.

5 Qui es candidus & rubicundus, electus ex millibus & totus deſiderabilis.

6 Qui es noſtri amantiſſimus, & deſiderantiſſimus.

Amans congratulor tibi, ô amator caſtiſsime, zelator fortiſsime, & affector leniſsime,

7 Qui nos amas caſtiſſimè, & puriſſimo amore.

8 Qui ſolus propter te, toto corde vis amari, nec corriualem pateris: ſed abs te fornicantes, & aliud te præter te diligentes, forti zelo corripis, & niſi reſipiſcant diſperdis.

9 Qui caſtè tibi adhærentibus es affector leniſſimus & blanditor delicatiſſimus.

Gratiáſque agèns me totum tibi offero, ô vnitrine Deus, pro his cæteriſq; nominibus tuis, & pro omni bono quod es, quod habes, & quod operaris. Atque vtinã horum tuorum nominum virtutem & efficaciam nobis manifeſtes & applices.

O Pater antique dierum,

Eya ergo,

1 Te æternum patrem ſemper nobis præſentem ſentiamus & reuereamur, & in te ſtabiliamur.

2 Te nos & omnia intuentem iugiter attendamus, & ab omni offenſa tua ſolicitè caueamus.

3 Tua ordinatione & diſpoſitione dies noſtros, & ſtudia omnia, iuxta tuum beneplacitum dirige & perſeueranter ordina & diſpone.

O iuuenis floridiſſime & elegantiſſime,

3 Eya tua pulchritudine, ad te ſolum deſiderandum, & contemplandum nos allice.

5 Et fac nos per innocentiam candidos, & per amoroſam patientiam aduerſorum, rubicundos.

6 Te præ omnibus eligamus, amemus & deſideremus.

O amator caſtiſſime, zelator & affector,

7 Eya te ſolum propter te ſingulari & caſtiſſimo amore diligamus.

8 Abs te nunquam fornicemur, alioquin à te in miſericordia ſtatim corripiamur, & reſipiſcamus.

9 Sic caſtè & integrè tibi adhæreamus, vt tuis delitijs & blanditijs recreari & inebriari fœliciter poſſimus.

O vnitrine Deus, &c. vt ſup. in fine primi ternarij huius nonæ meditationis.

4. *Explicatio quarti ternarij nonæ meditationis.*

Eya iterum atque iterum millies & centies millies ex affectu quo ſuprà,

Amans adoro & reuereor te, ô amator benigniſſime,

1 Qui ignita, continua, & efficaci charitate nos amas.

2 Benignè in filios, & hæredes nos adoptas.

3 Teq; ipſum,& omnia nobis communicare deſideras.

Amans laudo te & glorifico,,ô fideliſſime amator,

Qui fideliter & veraciter, viam ſalutis æternæ doces.

5 Æterna præmia obtemperantibus tibi repromittis.

6 Inobedientibus pęnam æternam comminaris.

Amans congratulor tibi, ô certiſſime amator,

Qui incommutabilis & certiſſimus es in charitate tua erga tuos electos.

8 Qui certiſſimè reddis obedientibus pręmia repromiſſa.

9 Qui potétiſſimè ſuperbis & impijs ſupplicia rependis.

Gratiáſque agens me totum tibi offero, ô vnitrine Deus,pro his cæteriſq; nominibus tuis,& pro omni bono quod es, quod habes, & quod operaris. Atque vtinam horum tuorum nominum virtutèm & efficaciam nobis manifeſtes & applices.

Eya ergo, ô amator benigniſsime,

1 Tua charitatę ignita nos ad te redamandum inflamma.

2 Adoptionis tuæ gratiam in nobis conserua.

3 Et vt te solum quæramus, nosque totos & omnia nostra tibi offeramus & integrè resignemus, dona.

O fidelissime amator,

4 Eya dirige nos in veritate tua, & viam salutis doce, & fac nos fideliter tuis verbis & promissis credere.

5 Per obedientiæ simplicis meritum ad spem promissorum bonorum nos erige.

6 Ab omni inobedientia nos custodi, & ab æterna pœna præserua.

O certissime amator,

7 Eya fidem & charitatem numquam mutemus à te.

8 Ex amore tibi, & omnibus propter te, obediamus & seruiamus, & certissimè promissa tua speremus.

9 Timore iudiciorum tuorum carnes nostras confige, & ab omni nos vitio, reuoca & contine.

O vnitrine Deus, &c. vt suprà in fine primi ternarij huius nonæ meditationis.

5. *Explicatio quinti ternarij nonæ Meditationis.*

Eya iterum atque iterum millies & centies millies ex affectu quo suprà,

Amans adoro & reuereor te, ô vtilissime Deus,

1 Qui vtilibus omnibus, es infinitè pretiosior & desiderabilior.

2 Qui omnes creaturas in vsum & vtili-

2 Benignè in filios, & hæredes nos adoptas.
3 Teq; ipſum,& omnia nobis communicare deſideras.

Amans laudo te & glorifico,ô fideliſſime amator,

Qui fideliter & veraciter, viam ſalutis æternæ doces.
5 Æterna præmia obtemperantibus tibi repromittis.
6 Inobedientibus pęnam æternam comminaris.

Amans congratulor tibi, ô certiſſime amator,

Qui incommutabilis & certiſſimus es in charitate tua erga tuos electos.
8 Qui certiſſimè reddis obedientibus pręmia repromiſſa.
9 Qui potétiſſimè ſuperbis & impijs ſupplicia rependis.
Gratiáſque agens me totum tibi offero, ô vnitrine Deus,pro his cæterisq; nominibus tuis,& pro omni bono quod es, quod habes, & quod operaris. Atque vtinam horum tuorum nominum virtutem & efficaciam nobis manifeſtes & applices.

Eya ergo, ô amator benigniſsime,

1 Tua charitate ignita nos ad te redamandum inflamma.

2 Adoptionis tuæ gratiam in nobis conserua.

3 Et vt te solum quæramus, nosque totos & omnia nostra tibi offeramus & integrè resignemus, dona.

O fidelissime amator,

4 Eya dirige nos in veritate tua, & viam salutis doce, & fac nos fideliter tuis verbis & promissis credere.

5 Per obedientiæ simplicis meritum ad spem promissorum bonorum nos erige.

6 Ab omni inobedientia nos custodi, & ab æterna pœna præserua.

O certissime amator,

7 Eya fidem & charitatem numquam mutemus à te.

8 Ex amore tibi, & omnibus propter te, obediamus & seruiamus; & certissimè promissa tua speremus.

9 Timore iudiciorum tuorum carnes nostras confige, & ab omni nos vitio, reuoca & contine.

O vnitrine Deus, &c. vt suprà in fine primi ternarij huius nonæ meditationis.

5. *Explicatio quinti ternarij nonæ Meditationis.*

Eya iterum atque iterum millies & centies millies ex affectu quo suprà,

Amans adoro & reuereor te, ô vtilissime Deus,

1 Qui vtilibus omnibus, es infinitè pretiosior & desiderabilior.

2 Qui omnes creaturas in vsum & vtili-

tatem electorum tuorum ordinas & donas.

3 Qui teipſum totum in omnem deſiderabilem, vſum & fruitionē illis cōmunicas.

Amans laudo & glorifico te, ô honeſtiſsime Deus,

4 Qui es fons omnis honeſtatis & virtutis.

5 Cuius operationes ſunt flores honoris & honeſtatis.

6 Qui honeſtas ſanctos tuos in ſtudijs & laboribus ſuis.

Amans congratulor tibi, ô delectabiliſsime Deus,

7 Qui verè & infinitè ſuper omnia es delectabilis, in te ipſo fonte omnis voluptatis & dulcedinis.

8 In eloquijs tuis, ſuper mel & fauum dulcioribus.

9 In miſericordijs tuis infinitis.

Gratiaſque agens me totum tibi offero, ô vnitrine Deus, pro his cæteriſque nominibus tuis, & pro omni bono quod es, quod habes, & quod operaris. Atque vtinam horum tuorum nominum virtutem & efficaciā nobis manifeſtes & applices.

Eya ergo, ô vtiliſsime Deus,

1 Te ſuper omnia vtilia & pretioſa eligamus, deſideremus & quæramus.

2 Omnibus creatis propter te & ſecūdùm te ſobriè vtamur.

3 Te ipſo propter te fruamur & ſatiemur.

O honeſtiſsime Deus,

4 Eya te ſuper omnia honeſta & vitioſa

hono

honoremus & laudemus.

5 Honesta nos in sanctis desiderijs & meditationibus.

6 Labores nostros ac omnia opera honesta comple ad tuam gloriam & honorem.

O delectabilissime Deus,

7 Eya fac vt contemptis omnibus terrenis delectationibus in te solo delectemur.

8 Eloquiorum tuorum suauitatem gustenus & meditemur.

9 Suauem te in miserationibus erga nos semper sentiamus.

O vnitrine Deus,&c. vt sup. in fine primi ternarij huius 9. meditationis.

CAPITVLVM DECIMUMNONUM, continens quinque meditationes in quinque ternaria decimæ meditationi assignata.

PRAEFATIO.

Superamãdissime Domine Deus IESV Christe, vt in amore tuo exercear & proficiã: ecce ex affectu amantissimæ matris tuæ, BB. Angelorum, patronorum & omnium sanctorum tuorum: ex mea tuorumque & meorum specialium, atque omnium creaturarum parte: ad tuam gloriam & omnium salutem: te, cum patre & spiritu sancto trinum & vnum Deum: per suauis-

ſimum cor & ſpiritum tuum,adoro,glorifico, amo,tibiq́ue gratias ago pro omnibus & ſingulis nominibus & beneficijs tuis.

¶ *Primum ternarium.*

Eya igitur amans adoro & reuereor te,ô defenſor, conſolator, & ſuſceptor in morte,

1 Qui electos tuos morientes ab hoſte infernali,& tentationibus potenter protegis.

2 Multiplici ſpe,confidentia, & guſtu tui amoris eos conſolaris.

3 Atque per Angelos tuos beatos,benignè ſuſcipis,& ſi purgandi ſunt purgas,purgatoſq́ue in paternum tuum ſinum ſuſcipis & beatificas.

Amans laudo & glorifico te, ô ſuſcitator, configurator & redemptor,

4 Qui in voce tubæ & iuſſu Archangeli omnium mortuorum corpora verè reſurgere facies & ſuſcitabis.

5 Qui electorum corpora gloriæ dotibus clarificabis, & corpori tuo glorificato configurabis.

6 Et à reproborum deformitate,ponderoſitate,paſſibilitate & miſeria redimes & præſeruabis electos tuos.

Amans congratulor tibi, ô diſcretor & retributor meritorum & ſanctorum glorificator,

7 Qui in extremo iudicio oues ab hœdis

discernes, voce dulcissima electos tuos sursum aduocabis,& ad possessionem regni inuitabis & introduces.

8 Pro singulis eorum bonis, laboribus & studijs ac passionibus,plenissimè eos remunerabis.

9 Reprobos verò terribili voce in ignem æternum cum diabolo mittēs,& à te in perpetuum repelles.

Gratiasque agens me totum tibi ex amore offero, ô vnitrine Deus, omnipotens & misericors,pro his cæterisque nominibus tuis, & pro omni bono quod es, quod habes, & quod operaris. Atque vtinam, quia vis,& sicut vis,scis & potes, ad tuam & Sanctorum gloriam, nostramque & omnium salutem: Ecclesiæ & regni, domus & ordinis veram directionem & pacem: horum tuorum nominum virtutem & efficaciam nobis manifestes & fructuosè communices.

Eya ergo, ô Defensor,consolator & susceptor in morte,

1 In hora mortis ab omnibus tentationibus,violentijs,& visu dęmonum nos protege & libera.

2 Sancta spe & confidentia, tuique amoris suauitate nos tunc consolare.

3 Et ex hac vita migrantes, per bonos tuos Angelos suscipe, purga, & purgatos in paternum tuum sinum suscipe,& tua visione secura beatifica.

O suscitator mortuorum,

4 Eya fac nos carnis resurrectionem firmiter credere,& desideranter expectare.

5 Corpus noſtrum nunc configura corpori tuo laborioſo , caſto & patienti : vt in reſurrectione generali mortuorum,& in gloria immortalitatis illud reſurgere facias.

6 Et à reproborum miſerijs & pœnis præſerues & redimas.

O diſcretor & retributor meritorum & ſanctorum glorificator,

7 Eya fac nos ſic nunc beatitudines viæ aſſequi & exercere : vt tunc tibi in a ëraoc - currere, & audire mereamur , venite &c.

8 Sic laborare & legitimè certare : vt tunc in æternum quieſcamus & tecum delitiemur.

9 Sic nunc hîc à te caſtigari & purgari: vt tunc ab æterna maledictione ſecuri ſimus.

O vnitrine Deus omnipotens & miſericors : quia vis , & ſicut potes, ſcis & vis, nos totos igne tui amoris purga , illumina , perfice , ſuccende , in te abſorbe , transforma , vni , & clementer exaudi : ad tuam & ſanctorum gloriam,noſtramq́ue & omnium ſalutem, Eccleſiæ & regni , domus & ordinis veram directionē & pacem , Amen.Ita quæſo fiat,ſicut confidenter petimus, ô benigniſſime pater : per IESVM dilectum filium tuum;in ſpiritu ſancto : intercedente B. Maria,& omnibus BB.Angelis,ſan&tis & electis.

O Mater Dei, Angeli,Sancti & electi omnes orate pro nobis, & magnificate Dominum nobiſcum.

2. *Explicatio ternarij secundi, decimæ Meditationis.*

Eya iterum atque iterum millies & centies millies ex affectu quo suprà,

Amans adoro & reuereor te, ô Deus perfectissime,

1 Qui es superpotentissimus & superopulentissimus.

2 Supersapientissimus & nobilissimus.

3 Superoptimus & superbeatissimus.

Amans laudo & glorifico te, ô homo vere & perfectissime fili Deus,

4 Qui assumpsisti & personaliter tibi vniuisti corpus humanum, depurissimo sanguine virginis formatum: complexione & omni habitudine perfectissimum & purissimum: & nunc plenè glorificatum.

5 Et animam rationalem de nihilo creatam, omni gratia & virtute statim ab initio plenissimam: & in omnibus viribus suis viuacissimam & perfectissimam similiter tibi vniuisti.

6 Sicque factus es homo verus, perfectissimus, & superamabilissimus, in spiritu semper gloriosus & beatus.

Amans congratulor tibi, ô Deus, omnia & super omnia,

7 Qui es omnia in omnibus, omnium bonorum author & conseruator.

8 In quo omnium creaturarum perfectiones, modo superuenienti, & perfectissimo, continentur.

9 Qui

9 Qui infinitè omnia ſimul creata ſuperas & ſuperexcedis, in bonitate & omni perfectione ac virtute.

Gratiasque agens, me totum tibi offero, ô vnitrine Deus, pro his cæteriſq; nominib⁹ tuis, & pro omni bono quod es, quod habes, & quod operaris. Atque vtinam horum tuorum nominum virtutem & efficaciam nobis manifeſtes & applices.

Eya ergo, ô Deus perfectiſsime,

1 Te ſemper & vbique præſentem ſuprema latria adoremus & reuereamur potentiſſimum & opulentiſſimum.

2 Laudemus & ſuperexaltemus te ſapientiſſimum & glorioſiſſimum.

3 Amemus & ex amore nos totos in tuum obſequium & beneplacitum ſemper offeramus & impendamus, ô ſuper optime & beatiſſime.

O homo vere & perfectiſsime filij Deus,

4 Eya corpore tuo corpus noſtrum caſtifica, & ad omnia tibi placita coapta & conforta.

5 Anima tua, animas noſtras ſanctifica, exorna & perfice.

6 Spiritu tuo ſemper eleuato & glorioſo, noſtrum ſpiritum viuifica, eleua, & beatifica, tuæque ſanctiſsimæ humanitati nos totos conforma.

O Deus & omnia & ſuper omnia,

7 Eya fac vt omnia in te ſolo & propter te ſolum amemus, & nihil extra te.

8 Te

8 Te ſolum in omnibus diligamus & quæramus.

9 Te ſuper omnia in infinitum appretiemus, amemus, & ex amore tibi ſeruiamus & adhæreamus in æternum.

O vnitrine Deus, &c. vt ſuprà, in fine præcedentis ternarij.

3. *Explicatio tertij ternarij decimæ meditationis.*

Eya iterum atque iterum millies & centies millies ex affectu quo ſuprà,

Amans adoro & reuereor te, ô adoptator benigniſsime,

1 Qui nos iræ & damnationis filios damnari non permiſiſti.

2 Sed nimia benignitate per baptiſmi gratiam & fidem, nos regeneraſti & in filios adoptaſti.

3 Tuóſque hæredes feciſti.

Amans laudo & glorifico te, ô promiſſor fideliſſime,

4 Qui veraciter & fideliter promiſiſti pœnitentibus veniam.

5 Facientibus quod in ſe eſt gratiam & auxilium opportunum.

6 Legitimè certantibus & vſque in finem in te perſeuerantibus, coronam æternam.

Amans congratulor tibi, ô redditor certiſsime,

7 Qui à bona voluntate & charitate tua, qua miſericordiam & gratiam nobis promi-

listi,nunquam mutaris vel tepescis.

8 Qui à nullo potes impediri, quin promissa tua reddas & compleas.

9 Qui certissimè & efficacissimè promissa tua,statuto à te tempore reddis & imples.

Gratiásque agens me totum tibi offero, ô vnitrine Deus, pro his cæterísque nominibus tuis, & pro omni bono quod es, quod habes, & quod operaris. Atque vtinam horum tuorum nominum virtutem & efficaciam nobis manifestes & applices.

Eya ergo, ô adoptator benignissime,

1 Iram tuam, quam iustè nos meruisse agnoscimus,à nobis clementer auerte.

2 Adoptionis tuæ gratiam & spiritum in nobis renoua & conserua.

3 Hæreditatis & gloriæ tuæ spem & desiderium in nobis accende.

O promissor fidelissime,

4 Eya fac nos sic pœnitere, vt veniam & indulgentiam plenam consequamur.

5 Sic quod in nobis est facere, vt à te efficaciter iuuemur.

6 Sic certare & perseuerare,vt vincamus & coronemur.

O redditor certissime,

7 Eya fac vt de te semper sentiamus in bonitate, & in fide promissorum tuorum nunquam hæsitemus.

8 Desideranter promissa tua quæramus,& longanimiter expectemus.

9 Opportuno tempore illa percipiamus, ad tuam gloriam, & iuxta ſupremum tuum beneplacitum.

O vnitrine Deus,&c.vt ſuprà,in fine primi ternarij huius decimæ meditationis.

4. *Explicatio quarti ternarij decimæ meditationis.*

Eya iterum atque iterum millies & centies millies, ex affectu quo ſuprà,

Amans adoro & reuereor te, ô proxime & intime amator,

1 Qui nobis es omni genere propinquitatis & officij coniunctiſſimus.

2 Qui es per eſſentiam nobis intimus, eſſentiæ noſtræ fons & conſeruator.

3 Qui es miſericordiæ exhibitione nobis proximus, & iugiter ad oſtium cordis noſtri pulſas, atque ſi aperuerimus tibi, nobiſcum intras,cœnas,& deliciosè commoraris.

Amans laudo & glorifico te, ô inſeparabiliſsime amator,

4 Qui neque in vita neque in morte ab eſſentia noſtra ſepararis.

5 Qui Eccleſiæ tuæ Catholicæ vbique in conſummationem ſeculi inſeparabiliter aſſiſtis,& præſens es.

6 Qui per gratiam & gloriam in beatis commoraris, & inſeparabili nexu coniungeris.

Amans congratulor tibi, ô charitate plenissime amator.

7 Qui æterna charitate & continua nos dilexisti, & diligis.

8 Qui charitatis effectus nobis, licèt ingratis, exhibere non cessas.

9 Qui charitatis plenitudine & suauitate beatos reples, satias, & inebrias.

Gratiásque agens me totum tibi offero, ô vnitrine Deus, pro his cæterísque nominibus tuis, & pro omni bono quod es, quod habes, & quòd operaris. Atque vtinam horum tuorum nominum virtutem & efficaciam nobis manifestes & applices.

Eya ergo, ô proxime & intime amator,

1 Te plusquàm omnes propinquos arctiùs amemus & colamus.

2 Tuam præsentiam semper & vbique sentiamus & reuereamur.

3 Ostium cordis nostri apertum tibi semper teneamus, téque nobiscum manere, cœnare, & delitias habere consentiamus & condelectemur, tuarúmque misericordiarum participes efficiamur.

O inseparabilissime amator,

4 Eya à gratia tua & charitate, nec vitæ præsentis amor, nec mortis metus nos separet.

5 Quod Ecclesiæ tuæ promisisti, vsque in finem seculi clementer operare.

6 Tibique tandem in æterna beatitudine, inseparabili vnione cum beatis omnibus nos coniunge.

O charitate plenissime amator,

7 Eya te indeficienti & ardenti charitate redamemus.

8 Effectus tuæ charitatis grati suscipiamus, & cum illis operemur ad gloriam tuam.

9 Tuæ charitatis plenitudine tandem satiemur & inebriemur.

O vnitrine Deus &c. vt suprà, in fine primi ternarij huius decimæ meditationis.

5 *Explicatio quinti ternarij decimæ meditationis.*

Eya iterum atque iterum millies & centies millies ex affectu quo suprà,

Amans adoro & reuereor te, ô præstantissime Deus,

1 Qui in infinitum præstas & desiderabilior es cunctis honoribus & dignitatibus:

2 Diuitijs & possessionibus:

3 Delitijs & voluptatibus.

Amans laudo & glorifico te, ô lucidissime & clarissime Deus,

4 Qui es fons lucis & omnis claritatis.

5 Qui omnem hominem illuminas, & in

ipſis etiam tenebris luces.

6 Qui ſplendoribus æternis ſanctos tuos illuſtras & clarificas.

Amans congratulor tibi, ô tranquilliſsime Deus,

7 Qui abſque omni perturbatione & paſſione es tranquilliſſimus & ſereniſſimus.

8 Abſque omni motu & mutatione quietiſſimus.

9 Abſque omni diſcordia & diuiſione pacatiſſimus.

Gratiáſque agens me totum tibi offero, ô vnitrine Deus, pro his cæteríſque nominibus tuis, & pro omni bono quod es, quod habes & quod operaris. Atque vtinam horum tuorum nominum virtutem & efficaciam nobis manifeſtes, & applices.

Eya ergo, ô præſtantiſsime Deus,

1 Fac vt te ſolum ſuper omnia præeligentes & amplectentes, propter te abrenunciemus omnibus huius ſeculi honoribus & dignitatibus.

2 Diuitijs & poſſeſſionibus.

3 Delicijs & voluptatibus, vt in te ſolo delectari veraciter poſſimus.

O lucidiſsime & clariſsime Deus,

4 Eya ſic nos illumina, vt te claré contemplemur & admiremur.

5 Quid ſit tibi gratius in omni negotio & tempore, ſciamus & ſequamur.

6 Cum ſanctis tuis in æternum te glorificemus,& de claritate in claritatem transformemur.

O tranquilliſsime Deus,

7 Eya fac nos participes tuæ tranquillitatis & ſerenitatis, ab omni perturbatione & inquietudine nos liberans.

8 Tuæ quietis & ſtabilitatis, ab omni inſtabilitate & leuitate nos præſeruans.

9 Tuæ pacis, ab omni diſcordia nos eximens,& in tua pace,in idipſum nos dormire & requieſcere faciens.

O vnitrine Deus,&c. vt ſuprà in fine primi ternarij huius decimæ meditationis.

LAVS DEO.

PRÆFATIO IN EXERCITIA SPECIALIA PRO praxi & exercitatione virtutum.

VIRTVTES, quæ in tabula decem meditationum initio huius libelli posita, per decem classes distincta & enumerata fuerunt, nunc eodem ordine explicantur & in praxim reducuntur: quatenus singulis decem meditationibus prædictis, singulæ virtutum classes applicentur, & simul cum illis exerceantur.

Cæterùm virtutis nomen hîc non ita propriè accipimus, sicut à scholasticis doctoribus sumi solet, sed, tam ipsum virtutis habitum, quàm eius actum aut proprietatem aliquam, virtutem vocamus.

Et octo beatitudinum euangelicarum ordinem sequimur, singulis earum peculiares virtutes, illis magis conuenientes, adiungendo.

Vt autem denarius numerus compleretur, octo beatitudinibus addidimus humilitatẽ, primæ meditationi conuenientem: & charitatem, quæ quartæ meditationi congruit, singulis earum, alias quas-

dam virtutes similiter adiungentes.

Porrò omisimus hîc commendationes virtutum aut earum fructus describere, tùm vt breuitati studeremus, tùm etiam, quia hæc exercitia illis proponimus, qui iam sunt excitati ad amorem & desiderium virtutum, & qui volunt in earum actibus sese strenuè exercere.

Proponimus autem simpliciter praxim virtutum, hoc est, quid agere, quósve actus exercere debeamus, vt eas assequamur, & in praxim reducamus. Ex industria omittentes earundē virtutū subtiliores diffinitiones, diuisiones, & expositiones, quæ apud scholasticos inueniūtur.

Hîc enim intēdimus & desideramus magis affectum formare, & voluntatem inclinare ad exercitium virtutum, quàm illuminare intellectum, ad subtiliorem earum cognitionem.

Vnde etiam per modum orationis & colloquij ad Deum, virtutū exercitia proponimus, vt mens, immediatè ad Deum per orationem conuersa, magis illuminetur, inflammetur & adiuuetur.

Sic enim orādo, & mens docetur qualiter virtutes exercere debeat, & voluntatis affectus inclinatur, ad earum actus,

& gratia Dei, ad hoc necessaria, petitur & efficacius impetratur. Ideò autẽ orans pro his virtutib. non in singulari persona & pro se tantùm, sed in plurali pro se & pro omnibus, easdem virtutes à Deo petit, vt eius oratio tantò sit Deo gratior, & ad impetrandum efficacior, quantò ex communiori charitate pro pluribus funditur.

Si quis autem voluerit magis expreßè virtutum actus exercere, & ad eas voluntatẽ suam efficacius inclinare, sicque habitus virtutum citius in anima sua plantare, poterit vti methodo sequenti.

Oraturus pro praxi virtutum vni meditationi assignatarum, vel alicuius earum, præmittet quod sequitur.

Benignißime IESV, *virtutũ omnium exemplar, dator & remunerator, quia vis, vt in his & his virtutibus (vel in hac virtute) exercear & te imiter, ideò id propter tui amorem & beneplacitũ volo, & de me diffidens, te confidenter obsecro, vt per ignem tui amoris, tuæque cõformitatis desiderium, & zelũ virtutis, nec non per tuum meritũ & donũ: tuæq; matris & omnium sanctorum exẽpla & suffragia, ad id me adiuues & confortes. Quod à te fiducialiter expectans, firmiter in te,*

& per te propono, me in his virtutibus exercere.

Præmissa hac præparatione, percurre singulos articulos cuiuslibet virtutis, præmittens singulis eorum, aut subintelligens (volo propter te, & per te propono hæc & hæc facere) vel etiam, in articulis quos in præsenti exercitio iam potes exercere, præmitte quod sequitur.

Et nunc benignissime IESV *tua gratia confortatus, hæc & hæc ago. Verbi gratia, si primum exercitium pro humilitate prosequaris, dic quod sequitur, meipsum coram te profundissimè prosterno, & humilio téque reuereor & adoro. Nihil me ex meipso esse, scire vel posse, veraciter agnosco, & confiteor. Ac propterea nihili me facio, & ab aliis pro nihilo haberi desidero. Et sic de sequentibus articulis eiusdem exercitij, qui possunt in præsenti exerceri. Et in fine eorum adde.*

Hæc inquã, quantũ te donãte possum, ago & ad hæc volũtatẽ meã inclino. Et propter te volo, ac per te propono semper, quoties licuerit, & occasio sese obtulerit, eadem exercere de die in diem perfectiùs.

Quod si senseris tuum affectũ & voluntatem repugnare actui & praxi ali-

cuius articuli. Verbi gratia, dum dicis (volo vilipendi, & nihili æstimari, aut opprobrio haberi) vel (horreo laudari, & in aliquo pretio ex me haberi) desidera te id velle, exemplo Psalmistæ qui dicebat: Concupiuit anima mea desiderare iustificationes tuas, *& sufficiet: tunc enim veraciter dicis (hoc volo vel facio) quando desideras id velle aut facere: quia iam desideranter & imperfectè, licèt nondum efficaciter & perfectè, id vis, & facis.*

Si verò volueris diutiùs circa exercitationem alicuius virtutis insistere, poteris fructuosè sequentem formulã obseruare. Verbi gratia, pro humilitate oraturus, dic.

Humillime IESV, *quia vis & sicut vis, multùm desidero humilis esse, & proptereà hæc & hæc obseruare. Tunc percurre omnes articulos humilitatis, præmittens singulis, aut subintelligens istud verbum (multùm desidero) deinde subiunge. (Sed quando hæc faciam? quando hoc & hoc obseruabo & implebo?)*

Hîc rursus repete articulos humilitatis (eos maximè à quorum obseruatione te sentis magis deficere) præmittens

ſingulis hoc aduerbium (quando.)

Poſt hæc attentiùs conſidera quãtùm deficias à perfecta illorum articulorũ impletione, ſic dicens. (O quàm longè ſum ab horũ obſeruatione, imò quàm ſæpè his ago contraria? quàm imperfectè hoc & hoc obſeruo? Aut quoties contrarium ago?) Repetendo ſingulos articulos, in quibus magis defeciſti.

Deinde adde quod ſequitur. (Quis miſerebitur mei? Quis alius præter te, qui ſolus potes, ſcis & vis, me à te auerſum, reuocare; lapſum, erigere; cæcum & errantem, inſtruere; ægrum, ſanare; infirmum, confortare & adiuuare.

Eya ergo me ad te confugientẽ & poſt multos lapſus, & trãſgreſſiones reuertentem, benignè ſuſcipere digneris. Et à præteritis omnibus delictis meis, me abluere, ſanare & iuſtificare. Præueni etiã ſeruũ tuum in benedictionibus dulcedinis tuæ, & quæ iam dediſti deſiderare, da etiam perfectè implere. Quod propter te volo, & de me prorſus diffidens, te confidenter obſecro, vt per amoris tui virtutẽ & efficaciam, per imitationis tuæ deſideriũ & zelum virtutis, per vitæ & paſſionis tuæ meritũ, per ſeptiforme ſpiritus tui donum,

per angelicũ ministerium pijssimæ matris tuæ, & patronorum meorum specialium, omniúmque electorum tuorũ exẽpla, preces & merita, excites, adiuues & confortes me ad amplectendos, & obseruandos prædictos humilitatis actus & articulos. Quod à te fiducialiter expectans, firmiter per te propono hæc & hæc facere.

Hîc rursus repete articulos humilitatis pro quibus instantiùs rogasti, præmittens singulis, (volo propter te, & per te propono.) Posteà, actu ipso efficaciter exerce eos articulos, qui possunt in præsenti meditatione exerceri, præmittens quod sequitur. (Et nunc gratia tua iam confortatus, eccè hoc & hoc ago. Verbi gratia, Ecce meipsum coram te profundissime humilio & prosterno. Me, ex meipso nihil esse, scire vel posse credo, & cõfiteor. Et sic de cæteris articulis quos potes ipso effectu præsentialiter exercere. Et in fine omniũ adde. Adiuua me Domine Deus meus, & vide ac supple imperfectũ meum, & sicut scis ad tuã gloriam & meã salutem magis expedire, & sicut vis & potes, fac me verè humilem, & omnes humilitatis actus efficaciter sectantem. O mater Dei humillima, ô Angeli beati, ô patroni mei

ſpeciales, & vos omnes & ſinguli ſancti & electi Dei, verè humiles corde, impetrate mihi veram cordis humilitatem & exercitationẽ. Hac formula vtiliter vti poteris quando tibi vacabit, & volueris in aliqua virtute (à cuius perfectione longiùs te cognoſc s diſtare) te efficaciùs exercere, & citiùs eam à Deo impetrare.

SEQVVNTVR EXERCITIA pro virtutibus primæ meditationi aſſignatis in prima claſſe tabulæ initio huius libri poſitæ. Quæ ſunt, humilitas, timor Dei, & reuerentia, taciturnitas, modeſtia & verecundia.

Exercitium pro humilitate, quæ fundamentum eſt & cuſtos omnium beatitudinum & virtutum.

HVmillime IESV, qui exemplo & verbo ad humilitatis virtutẽ toties nos excitaſti, vt tui amore & imitatione, tuóque dono & merito, ſanctorum exemplis & ſuffragijs, ſicut vis, verè humiles eſſe poſſimus, fac vt

1 Ex conſideratione tuæ infinitæ maieſtatis, dignitatis, & ſublimitatis, voluntaria, & intima cordis ſubmiſſione, coram te ſemper

prosternamur, & sub potenti manu tua humiliemur, cum omni humilitate & reuerentia te vbique adorantes, & in præsentia tua semper ambulantes.

2 Nihilum nostrũ clarè agnoscamus, veraciter & ex corde intelligentes & scientes, quia ex nobis tanquam ex nobis, nihil prorsus sumus, scimus, possumus, aut habemus, nisi peccatum.

3 Ac propterea, sicut veritas exigit, nihili nos faciamus, & ab alijs pro nihilo haberi desideremus, & gaudeamus. Horreamus autem & tristemur aliquid ab alijs æstimari, tanquam ex nobis.

4 Bona, si qua habemus aut facimus, nunquam nostræ virtuti, industriæ, vel meritis arrogemus & ascribamus: sed purè & principaliter ea tribuamus, & accepta feramus tuæ bonitati & liberalitati, quæ omnia bona operatur in nobis, nos per gratiam suam præueniens, comitans & subsequens, & suæ gratiæ cooperari nos faciens.

3 Ac propterea, pro nullo bono nostro nos laudemus, aut laudari vel honorari ab alijs desideremus, vel gaudeamus: sed potius horreamus & doleamus, tibiq; soli laudẽ & gloriam omnem tribuamus, & tribui desideremus, & gaudeamus.

6 Non reputemus nos plura vel maiora dona aut bona habere, vel à te recepisse, quàm in veritate accepimus: nec adulantium, nec laudantium nos linguis credamus, sed nos ipsos nobis metiamur. Et quæ data sunt nobis, ex vero conscientiæ testimonio, à te dato & infuso, in veritate agnoscamus.

7 Ex bonis & donis quæ habemus, aut à te recepimus, non eleuemur nec superbiamus, pluris nos propterea facientes: sed erubescamus & expauescamus, & tantò magis confundamur, quantò maiora & plura à te receperimus: considerantes nostram indignitatem & offensas multiplices, quibus nos tuis gratijs prorsus indignos reddidimus, cum Petro dicentes: Exi à me Domine, quia homo peccator ego sum. Vel cum Elizabeth: Vnde hoc mihi, vt veniat gratia & liberalitas Domini mei ad me?

8 Non simus securiores & negligentiores, aut minus timorati & soliciti propter dona accepta: imò quo plura acceperimus, eò reddamur timoratiores, diligentiores & magis soliciti ne gratiam tuam in vacuum recipiamus vel teneamus: scientes tantò nos obligatiores esse in reddenda ratione, quantò à te plura acceperimus.

9 Non vanè complaceamus aut gaudeamus in nobis, propter acceptas gratias: sed potius displiceamus semper nobis, & arguamus nos, quod non ea, qua decet, humilitate & gratitudine illas recipimus: nec ea puritate, diligentia & perfectione in illis exercemur & operamur, sicut tua maiestas requirit: imò etiam per negligentiam aut imprudentiam nostram, multas ex illis negligimus & perdimus.

10 Numquam magnificemus, vel multùm ponderemus, aut magni meriti esse existimemus nostra opera, quatenus ex nobis prodeunt: imò semper ea vilipendamus & reprehendamus: in veritate tua clarè recog-

noſcentes & confitentes, ea ex ſe eſſe nimis vilia & imperfecta ac ſordida: ac propterea indigna quæ tibi placeant & ſint alicuius coram te meriti: imò reputemus ea eſſe coram te velut pannum menſtruatæ, ſi, remota pietate à te iudicentur, propter impuritates & imperfectiones multas illis adiunctas, tibi ſoli plenè cognitas. Vnde etiam ſimus ſemper ſoliciti, omnia opera noſtra, in cor tuum, purificanda & tuis meritis adiungenda & perficienda, deuotè offerre.

1 Nulli homini, quantumuis abiecto, imperfecto, aut etiam ſcelerato, nos præferamus, aut æquales putemus, ſed ex corde veraciter nos omnibus poſtponamus, in veritate tua agnoſcentes & confitentes, nos omnibus, etiam ſceleratiſsimis (quantùm ex nobis eſt) indigniores & ſceleratiores, ex eo, quod (niſi tua gratia nos contineret & cuſtodiret) in deteriora ſtatim rueremus, quàm ſceleratiſſimi quique. Et ſi quilibet ſceleratiſſimus tantam & talem gratiam à te recepiſſet, ſicut nos, fideliùs tibi ſeruiret quàm nos. Quod nos (noſtræ infirmitatis & fragilitatis magis quàm alienæ conſcij & certi) debemus reputare & recognoſcere ſine fictione. Nã etiã ſi fortaſſe aliter ſe res haberet, id tamen ignorare debemus.

2 Non multùm ponderemus, nec attendamus priora opera noſtra, quæ per gratiam tuam fecimus, ſed attendentes quæ & quanta adhuc nobis deſunt & quantis tu dignus es, priora nihil faciamus, & quodammodo obliuiſcamur. Atque quaſi iam primùm vitam bonam inchoantes nihil adhuc boni fe-

cerimus; nouo ſemper feruore ad anteriora nos extendamus, ea quæ retro ſunt obliti.

3 Non poſſideamus dona tua cum proprietate, aut propria complacentia: imò ſic perfectè renunciemus omnibus bonis à te acceptis, eaque ſic purè & integrè in tuam bonitatem (cuius reuera ſunt) reiiciamus, refundamus & reſignemus, ac ſi numquam illa recepiſſemus. Tamque nudos & pauperes nos coram abyſſo tuæ bonitatis conſtituamus, ac ſi nihil prorſus à te vnquam recepe-rimus aut boni fecerimus, in nihilum noſtrũ nos demergentes, & profundè continentes.

4 Da inſuper, Bone IESV, vt agnoſcentes nos innumera peccata contra tuam infinitam maieſtatem commiſiſſe.

5 Credamus nos omni confuſione & pœna eſſe digniſſimos.

6 Ac propterea zelo iuſtitiæ deſideremus omnem confuſionem & pœnam pati.

7 Eamque, vndecumque venientem, cum gaudio amplectamur, & vſque in finẽ, quandiu durauerit, toleremus.

8 Gaudentes quod ſic fiat iuſtitia, & vltio de peccatis noſtris.

9 Et quòd hîc miſericorditer caſtigamur, vt non damnemur in æternum.

1 Denique da, ô humillime IESV, & fac, vt amoroſa & frequenti conſideratione, contemplemur tuam profundiſsimam humilitatem, quam voluntariè aſſumpſiſti.

2 Teipſum, cum eſſes altiſſimus, Deoque patri coæqualis, humilians, & formam ſerui accepiens?

3 Et in omni tua conuerſatione & vita

humana humilitatem, vilitatem & abiectionem amplectens & ostendens.

4 Infinitasque confusiones, contemptus, ludibria, opprobria, vituperia, & passionem ac mortem denique ignominiosissimam, cum desiderio & gaudio pro nobis sustinens.

5 Et ex hæc amorosa consideratione, da & fac, vt PROPTER TE, & tui amorem & imitationem: Et SECVNDVM TE, (id est) secundum formam & exemplar à te nobis propositum: Et PER TE, id est, per tuæ gratiæ & meriti adiutorium. Omnem humiliationem, abiectionem, vilitatem, omnemque contemptum, vilipensionem, opprobria, confusiones, detractiones, oblocutiones, ludibria, & quicquid ad humilitatis exercitium (quod per humiliationum tolerantiam & amplexum perficitur) pertinet: APPRETIEMVS, hoc est, tanquam pretiosum & excellens bonum reputemus: Ex cuius nimirum amorosa, propter te, tolerantia, gratum tibi obsequium facimus, & sicut vis, tibi conformamur: peccata nostra castigamus: amorem priuatum & superbiam in nobis mortificamus: in amore tuo & virtute humilitatis proficimus, communicantesque tuis passionibus, earum fructum renouamus, nobisque & alijs applicamus.

6 Ac propterea talia amemus, desideremus, eaque ex affectu obsecremus à te nobis concedi, sicut videris expedire.

7 Discretè etiam, cum tuo, vel tuorum consilio, videamus & tecum eligamus quæ ex istis humiliationis variæ exercitijs, vltrò & spontè assumere debeamus, eademque vi-

riliter assumamus, & fideliter, confidenter & fortiter ac perseueranter illa, quandiu volueris toleremus.

8 Et quoties talia aliqua aliunde nobis aduenerint, non attendamus nec ponderemus quàm malitiosè aut iniustè ab alijs forsitan ista nobis inferantur: sed ad tuam paternam prouidentiam (sine cuius permissione & benigna dispositione nihil prorsus à quoquam nobis fieri potest vel inferri, & per quam omnia in bonum nostrum, si tibi fideliter adhæserimus, disponis & conuertis) viua fide aspiciamus: & ex ea immediatè, quæcunque aliunde nobis euenerint, suscipiamus, cum laude & gratiarum actione, pro tuæ voluntatis circa nos impletione, & pro amore & fructu ex quo, & propter quem ista super nos venire permisisti.

9 Et cum gaudio, quicquid tale fuerit, amplectamur, tamquam rem diu à nobis desideratam & postulatam: tamquam medicinam saluberrimam, à te piissimo medico nobis propositam: tamquam pignus & testimonium tui erga nos amoris, & tamquam occasionem multiplicis lucri spiritualis.

10 Nec vmquam à talibus liberari quæramus, nisi prius hæc (sicut dictum est) cum laude & gratitudine, & gaudio à te susceperimus. Et nisi, quatenus expediret ab his liberari, propter te, & secundùm te. Et nihilominus tunc, sic remedia, quibus à talibus liberemur, quæramus & amplectamur: vt tamen per veram & non fictam resignationem, parati simus æquali gaudio suscipere horum continuationem, quamdiu volueris & permi-

ſeris: ſicut gauderemus ab his liberari, vtrobique æqualiter gaudentes, de tuæ voluntatis impletione.

1 Da etiam, humillime IESV, vt omnem exaltationem, laudem, honorem, dignitatem, præeminentiam, fauorem, & quicquid ſuperbiæ fomentum nobis præbere poſſet, malum & nociuum nobis, quatenus tale eſt, iudicemus & credamus.

2 Ac propterea illud omne, odio habeamus & horreamus.

3 Metuamus, & ſolicitè præcaueamus ne illud nobis eueniat.

4 Et ſi tale aliquid nobis oblatum fuerit, ſtatim inclinemus noſtram voluntatem ad illud recuſandum, aut cum triſtitia tolerandum, pro eo, quòd eo nos indignos cognoſcimus, & per hoc ſuperbiæ noſtræ fomentum nobis datur, noſque ab humilitatis exercitio & fructibus eius retardamur & priuamur.

5 Si tamen aliquid propter te, tuumque honorem nobis inferri, aut à nobis recipi expediat, da vt in hoc, nobis nihil prorſus aſcribamus, aut complaceamus.

6 Sed purè & integrè ad honorem tuum referamus, & referri ab alijs optemus & procuremus.

7 Nec inde plus gaudeamus, quàm gauderemus, ſi iſtud alteri propter te offerri conſpiceremus, vtrobique æqualiter gaudentes de tuo honore.

ANNOTATIO.

Quæ hîc expressa sunt de humiliationis & confusionis amplexu, & honoris odio & contemptu, poteris similiter applicare ad amplexum, & hilarem tolerantiam cuiuslibet penuriæ, indigentiæ, direptionis bonorum, pœnalitatis, laboris, iniuriæ, damni, seruitutis, doloris, cruciatus & cuiuslibet crucis, & ad odium & contemptum contrariarum prosperitatum. Vnde in sequentibus virtutibus ista non erunt repetenda, sed hinc resumenda.

BREVIS EPILOGVS
eorum quæ pro humilitate hîc expressa sunt.

Humillime IESV, vt verè humiles simus, da & fac, vt

1 Reuereamur tuam maiestatem, & sub ea humiliemur.

2 Nihil nos esse recognoscamus.

3 Et pro nihilo haberi desideremus.

4 Ascribamus tibi integrè omnia bona, & merita nostra.

5 Horreamus & fugiamus, pro aliquo bono laudari.

6 Non reputemus nos habere plura bona quàm habemus, aut maiora.

7 Erubeſcamus & humiliemur, ex acceptis donis.

8 Timoratiores reddamur ex acceptis donis,& magis ſoliciti.

9 Diſpliceamus ſemper nobis & arguamus nos.

10 Vilipendamus & reprehendamus omnia opera noſtra.

1 Poſtponamus nos omnibus,etiam viliſſimis & ſceleratiſſimis.

2 Priora pro nihilo ducentes, ad anteriora nos extendamus.

3 Omnia bona noſtra in te refundentes, nudos nos & pauperes coram te ſemper conſtituamus, & in nihilum noſtrum nos demergamus.

4 Agnoſcamus nos in multis te grauiter offendiſſe.

5 Ac propterea dignos eſſe omni confuſionę & contemptu.

6 Zelo iuſtitiæ deſideremus omnem cõtemptum & confuſionem.

7 Amplectamur & toleremus eam cum gaudio.

8 Gaudentes pro eo, quod ſic fit de peccatis noſtris iuſtitia.

9 Et quod hic paternè caſtigamur, vt non damnemur.

1 Da etiam,vt conſiderantes tuam propter nos aſſumptam, & tibi illatam humiliationem & confuſionem multiplicem.

2 Tui amore & imitatione omnem humiliationem & confuſionem appretiemus, & bonam iudicemus.

3 Amemus eam, & deſideremus, ac pe-

ſtamus nobis inferri.

4 Diſcretè eam eligamus, & viriliter aſſumamus.

5 Et aliunde nobis inflictam, de tua prouidentia illam ſuſcipiamus.

6 Et cum gaudio illam amplectamur ac toleremus.

7 Nec ab ea liberari quæramus, niſi propter te & ſecundùm te, cum reſignatione plena & integra.

8 Omnem etiam honorem, laudem, & dignitatem, nobis malam & nociuam iudicemus.

9 Odio habeamus & horreamus.

10 Metuamus, & quantùm poterimus, fugiamus.

11 Oblatam ab alijs, cum erubeſcentia & dolore recipiamus.

22 Tibi integrè referamus, & referri cupiamus.

¶ *Exercitium pro timore & reuerentia.*

Timoratiſſime & reuerendiſſime IESV CHRISTE Domine, quia vis, & ſicut vis, potes, ſcis & vis, fac nos tui amore & imitatione, tuoque dono & merito, verè & religiosè timoratos & reuerentes.

Quod vt fiat, da vt

1 Attentiùs conſideremus hoſtium noſtrorum inuiſibilium, hoc eſt, dæmonum multitudinem, ſubtilitatem, vigilantiam, malitiam & crudelitatem, qui ſemper nos cir-

cundant, & quærunt vt deuorent, & ad peccatum pertrahant.

2 Mundi huius vanos honores, diuitias & voluptates, tanquam diuersos laqueos, nobis propositos attendamus.

3 Mundanorum mala exempla, suasiones, adulationes, fauores, irrisiones, & persecutiones, quibus nos à via salutis auertere conantur, consideremus.

4 Carnis nostræ, aduersus spiritum semper concupiscentis, continuum & intestinum bellum aduertamus.

5 Nostram, ignorantiam, imprudentiam, & infirmitatem multiplicem agnoscamus.

6 Et ex his omnibus colligamus, quàm difficilè peccatum vitare possumus, nisi cum multo tremore & solicitudine salutem nostram operemur.

7 Propterea iugiter timeamus & solicitè præcaueamus, ne prædictorum hostium insidijs, tentationibus & violentijs, ad peccati consensum delectationem vel actum pertrahamur.

8 Hoc enim vnicum est quod timere debemus, ne per peccatum te offendamus, & debitum tibi obsequium subtrahamus.

9 Non tam propter æternas pœnas & damna, quæ per peccatum incurrimus (licet hæc aliquando fructuosè considerentur ad excitandum in nobis timoris affectum.)

10 Quàm potissimum & principaliter, quia, propter tuam infinitam maiestatem, bonitatem, charitatem & beneficentiam, superdignissimus es, cui à nobis ex puro amore (iuxta supremum beneplacitũ tuum) seruia-

tur.

tur, etiamſi nihil nobis accederet commodi ex ſeruitio tibi impenſo, aut incommodi, ex omiſſo obſequio.

1 Ergo conſiderantes quàm multæ & graues tentationes & laquei ſemper & vbique ad te offendendum nos alliciant.

2 Iugiter timeamus te offendere, aliquid quod tibi diſplicet committendo.

3 Vel aliquid, quod à nobis exigis, omittendo.

4 Vel, minus diligenter & alacriter tibi ſeruiendo.

5 Sic tamen timeamus, vt hic timor nos nimium non deiiciat, aut perturbet.

9 Sed excitet ab omni torpore, negligentia & vana ſecuritate.

7 Faciátque in tuo ſeruitio alacres, vigilantes, & deuotos.

8 Denique expellat à nobis, & prohibeat omne peccatum.

9 Et ad omne bonum faciendum, nos impellat.

10 Fac nos etiam reuerentes, ſic vt ſemper & vbique, maximè autem in tuo diuino ſeruitio, præſentiam tuæ maieſtatis ſapiamus.

11 Et in ſpiritu ac veritate te reuereamur, per ſupremam adorationem & profundiſſimam ſub te humiliationem & ſubmiſſionem ac reſignationem.

12 Totóque corpore, & exteriori noſtro homine, ſupremam reuerentiam tibi exhibeamus, maturis verbis, geſtibus, motibus & moribus coram te ambulantes ſemper & vbique. Et ad nomen tuum (IESV) deuotè inclinemus, profundiſſiméque nos

humiliantes ſub, Gloria Patri, & ſimilibus verſibus.

¶ *Exercitium pro taciturnitate, quæ virtus rectè iungitur humilitati, quia proprium eſt humilis tacere vſque ad interrogationem, vel neceßitatem.*

Taciturnitatis ſanctæ amator & largitor, IESV benigniſſime, vt fructuosè & religiosè taciturni ſimus; da vt hæc propter te ſeruemus.

1 Non loquamur quando, & vbi, & cum quibus loqui nobis non licet vel expedit.

2 Non præſumamus loqui, ſine tua interna licentia, aut neceſſitate, vel vtilitate exigente.

3 Interrogati, breuiter reſpondeamus id quod fuerit neceſſarium, cauentes ſuperflua addere, & colloquia ſine cauſa protrahere.

4 Iactantiam omnem, & effuſionem ante tempus fugiamus.

5 A detractione omni ſic ſolicitè caueamus, vt de aliorum defectibus nunquam, niſi pro neceſſario & vtili fine, loqui vel audire acquieſcamus: ſed eos, qui alijs detrahunt (ſi commodè poſſumus, & ſperemus correctionem) arguamus, vel eos fugiamus, vel triſtitia vultus eorum detractionem nobis diſplicere oſtendamus, vel ſermonem ad alia vtilia conuertẽtes, eorum detractionem interrum-

pamus. Caueamus etiam faciles eſſe ad credendum his, qui aliorum defectus narrant, & ad ſiniſtrè iudicandum de auditis: ſed iudicium omne temerarium, & ſuſpicionē malam ſuſpendamus, donec certò conſtiterit id verum, & malum eſſe, quod nobis nuntiatum eſt, ſi ad nos pertineat prouidere.

6 Non contendamus verbis cum aliquo, nec contentioſè noſtram ſententiam defendamus.

7 Caueamus duriori verbo proximum exaſperare, vel cum iracundiæ impetu eum corrigere, ſed in ſpiritu lenitatis, aut certè cum ea modeſtia, vt non habeat occaſionem putandi, quod aliter quàm ex charitate, & zelo iuſtitiæ eum corripiamus.

8 Adulatoria verba omnino fugiamus, neminem in facie laudantes, vt ei placeamus, nulliúſque vitia palpantes, & falſa pietate excuſantes.

9 Corrigere fratres non omittamus, quando & in quibus noſtram fraternam correctionem illis, vel alijs prodeſſe poſſe non deſperabimus.

10 Mendacium, dolum & ſimulationem omnem fugiamus.

11 Secularia, ad nos non pertinentia, curioſa & otioſa verba, quæ nullam habent vtilitatem, aut vtilitatis intentionem, vitemus.

12 A ſcurrilibus verbis, nugis, fabulis & riſu immoderato atque clamore, perpetuò abſtineamus, & multò magis à laſciuis, turpibus, iniurioſis, aut apertè malis verbis ſemper præcaueamus.

Denique fac benigniſſime IESV, vt

1 Ea ſola loquamur, quæ fuerint vel ad honorem tuum,

2 Vel ad noſtram aut proximorum neceſſitatem, ædificationem, aut vtilitatem:

3 Seruando ſemper in ſermone, modeſtiam & breuitatem;

4 In corde, benignitatem;

5 In vultu, ſerenitatem;

6 In geſtu, compoſitionem membrorum decentem, honeſtatémque & grauitatem modeſtam.

7 Eya benigniſſime IESV, per ſuauiſſimum ſpiritum tuum, & angelicum miniſterium, Fac vt

Omnis noſter ſermo, ſit in gratia ſale conditus, ſic, vt det gratiam & ædificationem audientibus.

8 Sic loquamur, quaſi ſermones Dei, atq; vtinam, non nos, ſed ſpiritus tuus ſemper loquatur in nobis, & per nos.

9 Vtinam per ſpiritum tuum & angelicum miniſterium, ſuggeras nobis verba ſalutaria, quibus in colloquijs cum alijs conſtituti, poſſimus verba ſuperflua aut nociua excludere, aut interrũpere prudẽter & modeſtè.

1 Vtinã inter loquendũ, vno oculo ſemper te intus nobis præſentiſſimum attendamus.

2 Et ex te clarè & efficaciter intelligamus, quid, quando & quomodo tacendum, vel loquendum, aut ceſſandum ſit.

3 Et ſtatim fideliter, ſimpliciter ac integrè tuæ inſpirationi acquieſcamus, omni

humano

humano timore poſtpoſito.

4 Da etiam, bone IESV, vt poſt omnem loquutionem, quàm primùm nobis licuerit, nos diſcutiamus & tecum recolligamus.

5 Atque ſi in ſupradictis deliquerimus, pœniteamus.

6 Et propoſitum renouemus.

7 Eya, benigniſſime IESV, quantò difficilius eſt linguam ab omni delicto cuſtodire, & in omnibus bene dirigere.

8 Tantò maiorem gratiam ad hoc nobis digneris conferre.

9 Et in hoc nos cautiores & magis ſolicitos ſemper reddere.

10 Amen. Ita quæſo fiat ſicut amanter & confidenter petimus.

¶ *Exercitium pro modeſtia & verecundia.*

Modeſtiſſime IESV, quia vis, & ſicut potes, ſcis & vis, fac nos tui amore & imitatione, tuoq; dono & merito, verè & religioſè modeſtos.

Eya igitur, da & fac, vt

1 Nunquam præſumamus aliquid præcipitanter & inconſideratè aggredi, abſque tua interna vel externa licentia, & intentionis recta directione.

2 Non attentemus aliquid proprio motu vltra vires, aut acceptam gratiam, vel vltra quàm ſtatus noſter & officium requirunt.

3 Non tentemus te periculis nos vltrò exponentes, quod possumus vitare.

4 Singularia, ad quæ nec nostra regula, nec maiorum nos cohortantur exempla, non præsumamus aggredi.

5 Secreta & peculiaria exercitia, quæ ab alijs non solent publicè fieri, & ad quæ ex debito nostræ vocationis non tenemur, non ostentemus, nec in publico exerceamus, nec alijs reuelemus, nisi propter te & secundùm te, ad tuam gloriam, & nostram vel proximi ædificationem.

6 Proprio sensui non innitamur, nec in sententia nostra pertinaces simus: sed in dubijs (præsertim grauioribus) humiliter à seniore vel prudentiore, consilium quæramus, & aliorum sententiæ (salua veritate fidei & iustitiæ) facilè cedamus, modesti, suadibiles & pacifici.

7 Non ambiamus, nec appetamus honores, dignitates, primos accubitus & similia: sed appetamus & eligamus semper (quantùm in nobis est) humiliorem & inferiorem locum, cæteris subesse, viliores obedientias & abiectissima obsequia amplecti, & in omnibus minima semper & maximè indigna, quæ à cæteris contemnuntur aut relinquuntur, & supersunt, habere, æstimando nos istis etiam esse indignos.

8 Non præsumamus ante seniores, vel maiores loqui, aut non interrogati, respõdere, aut alios loquentes interrumpere, aut non vocati, accedere: vel non missi, nos intromittere ad ea, quæ nobis commissa non sunt.

9 Ad omnia, quæ nobis iniunguntur, velut

operarios malos & indignos, ac insufficientes nos iudicemus, & tamen propter meritum obedientiæ, simpliciter, & fideliter ea implere conemur, confidentes de sola tua misericordia & potentia.

10 Nostræ vilitatis & multiplicis iniquitatis conscij, verecundè semper & vbique, coram te & hominibus nos habeamus, in omni conuersatione nostra, & exercitijs tam internis quàm externis; in habitu, gestu, incessu, aspectu, verbo & cæteris, verecundiam, humilitatem, & modestiam semper exhibentes, demissisq; oculis, & capite modicè inclinato, in tua præsentia reuerenter ambulantes.

SEQVVNTVR VIRTVTES secundæ meditationi ascriptæ; quæ sunt, Paupertas, Sobrietas, Castitas & Deuotio.

¶ *Exercitium pro paupertate voluntaria.*

O pauperrime IESV, Deus superamandissime,

1 TV, cùm diues esses, & ad nutum omnia possideres, vt tua inopia nos ditares, dignatus es extremã paupertatem, nuditatem, & indigentiam eligere, assumere, & cum gaudio pa-

ti & tolerare, ab infantia vſque ad mortem.

2 Tu enim voluiſti ex paupere matre, pauperi fabro deſponſata, naſci in Bethleem parua & paupere ciuitate, in diuerſorio pauperum, vbi etiam locum non inueniens, in præſepio es poſitus, vilibus pannis inuolutus, omnibúſque neceſſarijs commoditatibus deſtitutus.

3 Tu in omni vita tua, nec agrum, nec argentum, nec poſſeſſionem aliquam, nec vllam rem propriam habuiſti: nec de rebus huius mundi recepiſti, aut recipere voluiſti, niſi quantùm neceſſe fuit ad ſubleuandam extremam indigentiam vitæ tuæ, idq; cum fame, ſiti, frigore, calore & multo labore ac auſteritate.

4 Nec de rebus delicatis & exquiſitis, neceſſitates corporis ſubleuaſti, ſed de rebus groſſis & communibus, quæ ſecundùm loca & tempus inueniebantur in ea prouincia, in qua tu ſine domo, & habitaculo proprio viuebas, non habens vbi caput reclinares.

5 Denique (propter infinitum & dulciſſimum amorem quo tu nos dilexiſti) ſummè pauper fuiſti, re, voluntate, & ſpiritu.

6 Pauper, inquam, & inops, quoad res temporales.

7 Pauper in amicis & in potentia, quam, cùm haberes, oſtendere noluiſti: ſed quaſi infirmus apparere voluiſti.

8 Pauper in ſapientia mundana, in fama ſanctitatis, & in ſtatu dignitatis.

9 Et in omnibus ſic pauper exiſtens, paupertatem prædicaſti, pauperéſque beatos, &

regni

regni cœlorum possessores, & mundi iudices affuturos docuisti.

10 Diuites autem, affectu & cupiditate, condemnasti, & diuitias ac abundātias prædictas esse contemnendas, re, verbo, conuersatione & exemplo, prædicasti, ac suadere voluisti.

12 Postremò, tu pauperrimus & nudus omninò, in cruce pendere, nec vel modicum aquæ, pro refocillanda siti tua vehementissima, habere elegisti.

11 Denique in alieno sepeliri sepulchro dignatus es.

1 Eya ergo, benignissime IESV, in ea charitate, qua tu tantus & talis, pro nobis tantillis & tam indignis, tam extremam paupertatem & penuriam subire & amplecti voluisti.

2 Quia vis, & sicut potes, scis, & vis, fac nos tui amore & imitatione,

3 Tuóque dono & merito.

4 Non verbo solùm, sed re, voluntate, spiritu, & facto diligere & sectari paupertatem.

5 Idq; in rerum temporalium possessione & proprietate.

6 In amicitijs & familiaritatibus.

7 In potentia, & sapientia mundana, & curiositatibus.

8 In fama sanctitatis, & appetitu ac desiderio omnis prælationis & dignitatis.

9 In omnibus denique rebus & delectationibus creatis.

10 Quibus, si non possumus omninò carere, & nos totaliter spoliare & priuare: fac, vt saltem illis nunquam per affectum

& proprietatem inhæreamus, ſed abſq; proprietate illis vtamur, tantùm propter te, & ſecundùm te.

1 Fac igitur, vt nihil cupiamus habere præter te, aut niſi propter te, & ſecundùm te.

2 Nihil proprium nobis vendicemus, dicamus, aut poſſidere deſideremus.

3 Nihil abſq; tua, vel (ſi in obediẽtia regulari viuimus) ſuperioris noſtri licentia & voluntate petamus, recipiamus, aut retineamus, nihilq; doneus, mutuemus, permutemus, aut quouis modo alienemus.

4 Vtamur omnibus, nobis ad vſum conceſſis, non tanquam proprijs, ſed tanquã tuis, à te mutuò acceptis: idq; iuxta tuam, vel (ſi in obedientia viuimus) ſuperioris noſtri voluntatem & intentionem.

5 Paratũ cor ſemper habeamus reſignandi omnia & relinquendi omnia quæ habemus abſque murmure & triſtitia inordinata, quoties & quandocunque tu ipſe volueris, aut permiſeris, aut ſuperior noſter (ſi in obedientia viuimus) petierit, ſiue mandauerit.

6 Curioſitatem, pretioſitatem, abundantiam, & ſuperfluitatem, in omnibus quibus vtimur, odio habeamus, horreamus, & fugiamus, aut ſi hæc adfuerint, inde doleamus, & iraſcamur, & quantum commodè poterimus, iſta viriliter abiiciamus.

7 Simplicitatem, vilitatem, & ſtrictam neceſſitatem in omnibus amemus, eligamus, deſideremus, quæramus, & cum gaudio amplectamur.

8 Ipſis etiam neceſſarijs commoditatibus, cum aliquo tædio & affectus auerſione, vta-

mur, ex consideratione tuæ, & sanctorũ tuorum extremæ paupertatis & indigentiæ, & ex desiderio tuæ conformitatis.

9 Penuriam in omnibus tecũ pati (quantum discreta & vera necessitas permittit) eligamus, quæramus, & cum gaudio spiritus eam præsentem amplectamur & toleremus.

10 Vndecunque super nos venerit penuria, & rerum etiam necessariarum subtractio, eam de manu tua cum laude & gratiarum actione suscipiamus, & quamdiu durauerit, cum gaudio toleremus, in vnione tuarum indigentiarum: nec ab ea liberari desideremus, aut procuremus, nisi propter te, & secundùm te.

¶ Pro paupertate in rebus spiritualibus.

Da etiam pauperrime IESV, & fac vt

1 Nihil nos ex nobis esse, scire, posse, vel habere, non solùm credamus sed sentiamus, & confiteamur.

2 Nihil etiam appetamus nos esse, scire, posse, vel habere, aut reputari, nisi propter te, & secundùm te.

3 In donis à te acceptis, nunquam quiescamus, nec illis fruamur, aut variè & inordinatè delectemur in eis.

4 Sed illis vtamur, duntaxat propter te, & secundùm te, ad tuum honorem, iuxta supremum beneplacitum.

5 Lucrum ex illis facere propter te, &

ſecundùm te,ſimus ſoliciti,& ſi quod lucrum fecerimus, illud tibi prorſus aſcribamus, & integrè offeramus, nihil inde gloriantes,aut nobis reſeruantes, vel aſcribentes.

6 Parati ſimus donis omnibus carere, quoties tibi placuerit, aut tu permiſeris.

7 Nec de eorum ſubtractione nimiùm contriſtemur, aut perturbemur, ſed eam de manu tua, cum laude & gratitudine amplectamur.

8 Oremus tamen & laboremus, prō eorum recuperatione, vt illis adiuti fideliùs & alacriùs tibi ſeruiamus.

9 Sed hoc faciamus cum perfecta reſignatione, ad tolerādam omnem penuriam, ariditatem, & donorum tuorum carentiam, quandiu volueris.

10 Vt ſic nudo amore, te, nudum & crucifixum pro nobis, ſequamur, non minùs te amantes, nec minùs tibi adhærentes: ſed nec remiſſiùs ſecundùm ſpiritum tibi ſeruientes in ariditate, & deuotionis ſubtractione, quàm in abundantia tuorum donorum, & ſenſibili deuotione & alacritate.

Exercitium

¶ *Exercitium pro Sobrietate & Temperantia.*

Temperantissime, & sobrietatis studiosissime IESV Domine, quia vis, & sicut potes, scis, & vis, fac nos tui amore & imitatione, tuóque merito & dono, verè ac religiosè temperantes & sobrios.

Fac igitur, vt

1 Cibum, somnum, & cæteras oblectationes & voluptates, ad vsum & conseruationē vitæ præsentis necessarias, & ad confortandum nos in tuo seruitio, iuxta statum nostrum & officium, vtiles & accommodas, sumpturi, prius deliberato animo firmiter statuamus, nos eas nequaquam sumpturos, nisi te id velle putaremus.

2 Et offeramus nos promptos & paratos, ad carendum & abstinendum eis, quoties & quandocunqúe tibi placere intellexerimus, idq; tui amore, & desiderio assequendorum fructuum abnegationis.

3 Sicq; hac præparatione & oblatione præmissa, eas sumamus, non propter delectationem quæ in eis est.

4 Sed PROPTER TE, hoc est, quia vis, & gratum habes, vt sic faciamus.

5 Et SECVNDVM TE, id est, secundū mensuram & modum, tam in quantitate, quàm in qualitate tibi placita.

6 Et per te, id eſt, de tua paterna prouidentia & liberalitate.
7 Et tecum, in tua præſentia manentes tibiq; intendentes.
8 Humiles, nos indignos his commodis exiſtimantes.
9 Obedientes tuæ voluntati.
10 Miſerantes, & ſuccurrentes noſtræ neceſſitati.
1 Tibiq; gratias agentes, pro eo quòd illas tribuis, & eis vti dignatus es.
2 Et nihilominus ex conſideratione tuarum, & ſanctorum tuorum, abſtinentiarum, Erubeſcentes, de noſtra diſſimilitudine.
3 Timentes,& ſolicitè præcauentes,ne in his ſumendis excedamus.
4 Reſignantes nos, ad quamcunque volueris abſtinentiam.
5 Et obſecrantes,vt ſuppleas imperfectum noſtrum.
6 Et ad perfectiores abſtinentias nos, ſicut volueris, promoueas.

❡ *Pro ſobrietate exercitium aliud.*

Temperantiſſime IESV,vt tui amore & imitatione, tuóque merito & dono temperantes ſimus:Fac vt neceſſarias corporis recreationes ſumamus,

1 Purè, propter te, non autem propter

delectationem, licèt non ſine delectatione; ſed quia vis, & gratum habes vt illas ſumamus etiam cum delectatione, quatenus per eas in tuo ſeruitio confortemur.

2 Cum gratitudine, gratias agentes pro paterna tua prouidentia & charitate, quia hæc nobis prouidés,& eiſdẽ pro nobis vti voluiſti,ac ſanctis tuis dediſti illis ſobriè vti.

3 Cum humilitate & erubeſcentia, ex cõſideratione noſtræ indignitatis & difformitatis à tua & ſanctorum tuorum abſtinentia, parcitate & auſteritate.

4 Cum timore & cautela, ne in harum recreationum vſu ſuperfluo, aut inordinato, te offendamus.

5 Cum reuerentia tuæ diuinæ præſentiæ, coram te reuerenter, honeſtè, maturè, & modeſtè hęc commoda ſumentes,abſque nimia auiditate,præcipitatione,aut effuſione.

6 Cum parcitate & tenuitate diſcreta, & veræ paupertati congrua, tantùm in quantitate de iſtis ſumendo, quantùm in veritate neceſſarium, vel vtile nobis eſſe iudicauerimus, vel æſtimauerimus, ad confortandum nos in tuo ſeruitio, aut quantùm putauerimus te velle, vt pro temporis ratione & noſtri ſtatus ac officij conditione, de his ſumamus.

7 Cum auſteritate diſcreta, ſic vt omnem non neceſſariam, nec vtilem ad ſpiritualem profectum,vel ſanitatẽ corporis, delectationem & lautitiem,vel mollitiem in his fugiamus, quantùm, ſine ſingularitatis nota, vel proximi ſcandalo,poterimus.

8 Cum auerſione mentis, à delectatione,

quæ

humiliantes sub, Gloria Patri, & similibus versibus.

¶ *Exercitium pro taciturnitate, quæ virtus rectè iungitur humilitati, quia proprium est humilis tacere vsque ad interrogationem, vel necessitatem.*

Taciturnitatis sanctæ amator & largitor, IESV benignissime, vt fructuosè & religiosè taciturni simus; da vt hæc propter te seruemus.

1 Non loquamur quando, & vbi, & cum quibus loqui nobis non licet vel expedit.

2 Non præsumamus loqui, sine tua interna licentia, aut necessitate, vel vtilitate exigente.

3 Interrogati, breuiter respondeamus id quod fuerit necessarium, cauentes superflua addere, & colloquia sine causa protrahere.

4 Iactantiam omnem, & effusionem ante tempus fugiamus.

5 A detractione omni sic solicitè caueamus, vt de aliorum defectibus nunquam, nisi pro necessario & vtili fine, loqui vel audire acquiescamus: sed eos, qui alijs detrahunt (si commodè possumus, & speremus correctionem) arguamus, vel eos fugiamus, vel tristitia vultus eorum detractionem nobis displicere ostendamus, vel sermonem ad alia vtilia conuertẽtes, eorum detractionem interrum-

pamus.

pamus. Caueamus etiam faciles eſſe ad credendum his,qui aliorum defectus narrant, & ad ſiniſtrè iudicandum de auditis: ſed iudicium omne temerarium,& ſuſpitionẽ malam ſuſpendamus, donec certò conſtiterit id verum, & malum eſſe, quod nobis nuntiatum eſt,ſi ad nos pertineat prouidere.

6 Non contendamus verbis cum aliquo, nec contentiosè noſtram ſententiam defendamus.

7 Caueamus duriori verbo proximum exaſperare, vel cum iracundiæ impetu eum corrigere, ſed in ſpiritu lenitatis, aut certè cum ea modeſtia, vt non habeat occaſionem putandi,quod aliter quàm ex charitate, & zelo iuſtitiæ eum corripiamus.

8 Adulatoria verba omnino fugiamus, neminem in facie laudantes,vt ei placeamus, nulliúſque vitia palpantes,& falſa pietate excuſantes.

9 Corrigere fratres non omittamus,quando & in quibus noſtram fraternam correctionem illis, vel alijs prodeſſe poſſe non deſperabimus.

10 Mendacium, dolum & ſimulationem omnem fugiamus.

11 Secularia, ad nos non pertinentia, curioſa & otioſa verba, quæ nullam habent vtilitatem, aut vtilitatis intentionem, vitemus.

12 A ſcurrilibus verbis,nugis, fabulis & riſu immoderato atque clamore, perpetuò abſtineamus, & multò magis à laſciuis, turpibus, iniurioſis, aut apertè malis verbis ſemper præcaueamus.

Denique fac benigniſſime
IESV, vt

1 Ea ſola loquamur, quæ fuerint vel ad honorem tuum,

2 Vel ad noſtram aut proximorum neceſſitatem, ædificationem, aut vtilitatem:

3 Seruando ſemper in ſermone, modeſtiam & breuitatem;

4 In corde, benignitatem;

5 In vultu, ſerenitatem;

6 In geſtu, compoſitionem membrorum decentem, honeſtatémque & grauitatem modeſtam.

7 Eya benigniſſime IESV, per ſuauiſſimum ſpiritum tuum, & angelicum miniſterium, Fac vt

Omnis noſter ſermo, ſit in gratia ſale conditus, ſic, vt det gratiam & ædificationem audientibus.

8 Sic loquamur, quaſi ſermones Dei, atq; vtinam, non nos, ſed ſpiritus tuus ſemper loquatur in nobis, & per nos.

9 Vtinam per ſpiritum tuum & angelicum miniſterium, ſuggeras nobis verba ſalutaria, quibus in colloquijs cum alijs conſtituti, poſſimus verba ſuperflua aut nociua excludere, aut interrũpere prudẽter & modeſtè.

1 Vtinã inter loquendũ, vno oculo ſemper te intus nobis præſentiſſimum attendamus.

2 Et ex te clarè & efficaciter intelligamus, quid, quando & quomodo tacendum, vel loquendum, aut ceſſandum ſit.

3 Et ſtatim fideliter, ſimpliciter ac integrè tuæ inſpirationi acquieſcamus, omni

humano

humano timore poſtpoſito.

4 Da etiam,bone IESV, vt poſt omnem loquutionem, quàm primùm nobis licuerit, nos diſcutiamus & tecum recolligamus.

5 Atque ſi in ſupradictis deliquerimus, pœniteamus.

6 Et propoſitum renouemus.

7 Eya, benigniſſime IESV, quantò difficilius eſt linguam ab omni delicto cuſtodire,& in omnibus bene dirigere.

8 Tantò maiorem gratiam ad hóc nobis digneris conferre.

9 Et in hoc nos cautiores & magis ſolicitos ſemper reddere.

10 Amen. Ita quæſo fiat ſicut amanter & confidenter petimus.

¶ *Exercitium pro modeſtia & verecundia.*

Modeſtiſſime IESV, quia vis, & ſicut potes, ſcis & vis,fac nos tui amore & imitatione,tuoq́; dono & merito, verè & religiosè modeſtos.

Eya igitur, da & fac, vt

1 Nunquam præſumamus aliquid præcipitanter & inconſideratè aggredi, abſque tua interna vel externa licentia, & intentionis recta directione.

2 Non attentemus aliquid proprio motu vltra vires, aut acceptam gratiam, vel vltra quàm ſtatus noſter & officium requirunt.

3 Non tentemus te periculis nos vltrò exponentes,quod poſſumus vitare.

4 Singularia, ad quæ nec noſtra regula, nec maiorum nos cohortantur exempla, non præſumamus aggredi.

5 Secreta & peculiaria exercitia, quæ ab alijs non ſolent publicè fieri,& ad quæ ex debito noſtræ vocationis non tenemur, non oſtentemus, nec in publico exerceamus, nec alijs reuelemus, niſi propter te & ſecundùm te, ad tuam gloriam,& noſtram vel proximi ædificationem.

6 Proprio ſenſui non innitamur, nec in ſententia noſtra pertinaces ſimus: ſed in dubijs (præſertim grauioribus) humiliter à ſeniore vel prudentiore, conſilium quæramus,& aliorum ſententiæ (ſalua veritate fidei & iuſtitiæ) facilè cedamus,modeſti,ſuadibiles & pacifici.

7 Non ambiamus, nec appetamus honores, dignitates, primos accubitus & ſimilia: ſed appetamus & eligamus ſemper (quantùm in nobis eſt) humiliorem & inferiorem locum,cæteris ſubeſſe,viliores obedientias & abiectiſſima obſequia amplecti, & in omnibus minima ſemper & maximè indigna,quæ à cæteris contemnuntur aut relinquuntur, & ſuperſunt, habere,æſtimando nos iſtis etiam eſſe indignos.

8 Non præſumamus ante ſeniores, vel maiores loqui,aut non interrogati,reſpõdere, aut alios loquentes interrumpere,aut non vocati,accedere: vel non miſſi,nos intromittere ad ea,quæ nobis commiſſa non ſunt.

9 Ad omnia,quæ nobis iniunguntur,velut

operarios malos & indignos, ac insufficientes nos iudicemus, & tamen propter meritum obedientiæ, simpliciter, & fideliter ea implere conemur, confidentes de sola tua misericordia & potentia.

10 Nostræ vilitatis & multiplicis iniquitatis conscij, verecundè semper & vbique, coram te & hominibus nos habeamus, in omni conuersatione nostra, & exercitijs tam internis quàm externis; in habitu, gestu, incessu, aspectu, verbo & cæteris, verecundiam, humilitatem, & modestiam semper exhibentes, demissisq; oculis, & capite modicè inclinato, in tua præsentia reuerenter ambulantes.

SEQVVNTVR VIRTVTES secundæ meditationi ascriptæ; quæ sunt, Paupertas, Sobrietas, Castitas & Deuotio.

¶ *Exercitium pro paupertate voluntaria.*

O pauperrime IESV, Deus superamandissime,

1 TV, cùm diues esses, & ad nutum omnia possideres, vt tua inopia nos ditares, dignatus es extremã paupertatem, nuditatem, & indigentiam eligere, assumere, & cum gaudio pa-

ti & tolerare, ab infantia vſque ad mortem.

2 Tu enim voluiſti ex paupere matre, pauperi fabro deſponſata, naſci in Bethleem parua & paupere ciuitate, in diuerſorio pauperum, vbi etiam locum non inueniens, in præſepio es poſitus, vilibus pannis inuolutus, omnibúſque neceſſarijs commoditatibus deſtitutus.

3 Tu in omni vita tua, nec agrum, nec argentum, nec poſſeſſionem aliquam, nec vllam rem propriam habuiſti: nec de rebus huius mundi recepiſti, aut recipere voluiſti, niſi quantùm neceſſe fuit ad ſubleuandam extremam indigentiam vitæ tuæ, idq; cum fame, ſiti, frigore, calore & multo labore ac auſteritate.

4 Nec de rebus delicatis & exquiſitis, neceſſitates corporis ſubleuaſti, ſed de rebus groſſis & communibus, quæ ſecundùm loca & tempus inueniebantur in ea prouincia, in qua tu ſine domo, & habitaculo proprio viuebas, non habens vbi caput reclinares.

5 Denique (propter infinitum & dulciſſimum amorem quo tu nos dilexiſti) ſummè pauper fuiſti, re, voluntate, & ſpiritu.

6 Pauper, inquam, & inops, quoad res temporales.

7 Pauper in amicis & in potentia, quam, cùm haberes, oſtendere noluiſti: ſed quaſi infirmus apparere voluiſti.

8 Pauper in ſapientia mundana, in fama ſanctitatis, & in ſtatu dignitatis.

9 Et in omnibus ſic pauper exiſtens, paupertatem prædicaſti, pauperéſque beatos, &

regni

regni cœlorum possessores,& mundi iudices affuturos docuisti.

10 Diuites autem, affectu & cupiditate, condemnasti, & diuitias ac abundãtias prædictas esse contemnendas, re,verbo, conuersatione & exemplo, prædicasti, ac suadere voluisti.

12 Postremò, tu pauperrimus & nudus omninò,in cruce pendere, nec vel modicum aquæ, pro refocillanda siti tua vehementissima, habere elegisti.

11 Denique in alieno sepeliri sepulchro dignatus es.

1 Eya ergo, benignissime IESV, in ea charitate, qua tu tantus & talis, pro nobis tantillis & tam indignis,tam extremam paupertatem & penuriam subire & amplecti voluisti.

2 Quia vis,& sicut potes, scis, & vis, fac nos tui amore & imitatione,

3 Tuóque dono & merito.

4 Non verbo solùm,sed re,voluntate,spiritu, & facto diligere & sectari paupertatem.

5 Idq; in rerum temporalium possessione & proprietate.

6 In amicitijs & familiaritatibus.

7 In potentia, & sapientia mundana, & curiositatibus.

8 In fama sanctitatis, & appetitu ac desiderio omnis prælationis & dignitatis.

9 In omnibus denique rebus & delectationibus creatis.

10 Quibus, si non possumus omninò carere, & nos totaliter spoliare & priuare: fac, vt saltem illis nunquam per affectum

& proprietatem inhæreamus, ſed abſq; proprietate illis vtamur, tantùm propter te, & ſecundùm te.

1 Fac igitur, vt nihil cupiamus habere præter te, aut niſi propter te, & ſecundùm te.

2 Nihil proprium nobis vendicemus, dicamus, aut poſſidere deſideremus.

3 Nihil abſq; tua, vel (ſi in obediẽtia regulari viuimus) ſuperioris noſtri licentia & voluntate petamus, recipiamus, aut retineamus, nihilq; doneus, mutuemus, permutemus, aut quouis modo alienemus.

4 Vtamur omnibus, nobis ad vſum conceſſis, non tanquam proprijs, ſed tanquã tuis, à te mutuò acceptis: idq; iuxta tuam, vel (ſi in obedientia viuimus) ſuperioris noſtri voluntatem & intentionem.

5 Paratũ cor ſemper habeamus reſignandi omnia & relinquendi omnia quæ habemus abſque murmure & triſtitia inordinata, quoties & quandocunque tu ipſe volueris, aut permiſeris, aut ſuperior noſter (ſi in obedientia viuimus) petierit, ſiue mandauerit.

6 Curioſitatem, pretioſitatem, abundantiam, & ſuperfluitatem, in omnibus quibus vtimur, odio habeamus, horreamus, & fugiamus, aut ſi hæc adfuerint, inde doleamus, & iraſcamur, & quantum commodè poterimus, iſta viriliter abiiciamus.

7 Simplicitatem, vilitatem, & ſtrictam neceſſitatem in omnibus amemus, eligamus, deſideremus, quæramus, & cum gaudio amplectamur.

8 Ipſis etiam neceſſarijs commoditatibus, cum aliquo tædio & affectus auerſione, vta-

mur,

mur, ex conſideratione tuæ, & ſanctorũ tuorum extremæ paupertatis & indigentiæ, & ex deſiderio tuæ conformitatis.

9 Penuriam in omnibus tecũ pati (quantum diſcreta & vera neceſſitas permittit) eligamus, quæramus, & cum gaudio ſpiritus eam præſentem amplectamur & toleremus.

10 Vndecunque ſuper nos venerit penuria, & rerum etiam neceſſariarum ſubtractio, eam de manu tua cum laude & gratiarum actione ſuſcipiamus, & quamdiu durauerit, cum gaudio toleremus, in vnione tuarum indigentiarum: nec ab ea liberari deſideremus, aut procuremus, niſi propter te, & ſecundùm te.

¶ *Pro paupertate in rebus ſpiritualibus.*

Da etiam pauperrime IESV, & fac vt

1 Nihil nos ex nobis eſſe, ſcire, poſſe, vel habere, non ſolùm credamus ſed ſentiamus, & confiteamur.

2 Nihil etiam appetamus nos eſſe, ſcire, poſſe, vel habere, aut reputari, niſi propter te, & ſecundùm te.

3 In donis à te acceptis, nunquam quieſcamus, nec illis fruamur, aut variè & inordinatè delectemur in eis.

4 Sed illis vtamur, duntaxat propter te, & ſecundùm te, ad tuum honorem, iuxta ſupremum beneplacitum.

5 Lucrum ex illis facere propter te, &

ſecundùm te,ſimus ſoliciti,& ſi quod lucrum fecerimus, illud tibi prorſus aſcribamus, & integrè offeramus, nihil inde gloriantes,aut nobis reſeruantes, vel aſcribentes.

6 Parati ſimus donis omnibus carere, quoties tibi placuerit, aut tu permiſeris.

7 Nec de eorum ſubtractione nimiùm contriſtemur, aut perturbemur, ſed eam de manu tua, cum laude & gratitudine amplectamur.

8 Oremus tamen & laboremus, pro eorum recuperatione, vt illis adiuti fideliùs & alacriùs tibi ſeruiamus.

9 Sed hoc faciamus cum perfecta reſignatione, ad tolerãdam omnem penuriam, ariditatem, & donorum tuorum carentiam, quandiu volueris.

10 Vt ſic nudo amore, te, nudum & crucifixum pro nobis, ſequamur, non minùs te amantes, nec minùs tibi adhærentes: ſed nec remiſſiùs ſecundùm ſpiritum tibi ſeruientes in ariditate, & deuotionis ſubtractione, quàm in abundantia tuorum donorum, & ſenſibili deuotione & alacritate.

¶ *Exercitium pro Sobrietate & Temperantia.*

Temperantissime, & sobrietatis studiosissime IESV Domine, quia vis, & sicut potes, scis, & vis, fac nos tui amore & imitatione, tuóque merito & dono, verè ac religiosè temperantes & sobrios.

Fac igitur, vt

1 Cibum, somnum, & cæteras oblectationes & voluptates, ad vsum & conseruationẽ vitæ præsentis necessarias, & ad confortandum nos in tuo seruitio, iuxta statum nostrum & officium, vtiles & accommodas, sumpturi, prius deliberato animo firmiter statuamus, nos eas nequàquam sumpturos, nisi te id velle putaremus.

2 Et offeramus nos promptos & paratos, ad carendum & abstinendum eis, quoties & quandocunque tibi placere intellexerimus, idq; tui amore, & desiderio assequendorum fructuum abnegationis.

3 Sicq; hac præparatione & oblatione præmissa, eas sumamus, non propter delectationem quæ in eis est.

4 Sed PROPTER TE, hoc est, quia vis, & gratum habes, vt sic faciamus.

5 Et SECVNDVM TE, id est, secundũ mensuram & modum, tam in quantitate, quàm in qualitate tibi placita.

6 Et

6 Et per te, id eſt, de tua paterna prouidentia & liberalitate.

7 Et tecum, in tua præſentia manentes tibiq; intendentes.

8 Humiles, nos indignos his commodis exiſtimantes.

9 Obedientes tuæ voluntati.

10 Miſerantes, & ſuccurrentes noſtræ neceſſitati.

1 Tibiq; gratias agentes, pro eo quòd illas tribuis, & eis vti dignatus es.

2 Et nihilominus ex conſideratione tuarum, & ſanctorum tuorum, abſtinentiarum, Erubeſcentes, de noſtra diſſimilitudine.

3 Timentes, & ſolicitè præcauentes, ne in his ſumendis excedamus.

4 Reſignantes nos, ad quamcunque volueris abſtinentiam.

5 Et obſecrantes, vt ſuppleas imperfectum noſtrum.

6 Et ad perfectiores abſtinentias nos, ſicut volueris, promoueas.

¶ *Pro ſobrietate exercitium aliud.*

Temperantiſſime IESV, vt tui amore & imitatione, tuóque merito & dono temperantes ſimus: Fac vt neceſſarias corporis recreationes ſumamus,

1 Purè propter te, non autem propter

delectationem, licèt non sine delectatione; sed quia vis, & gratum habes vt illas sumamus etiam cum delectatione, quatenus per eas in tuo seruitio confortemur.

2 Cum gratitudine, gratias agentes pro paterna tua prouidentia & charitate, quâ hæc nobis prouides, & eisdẽ pro nobis vti voluisti, ac sanctis tuis dedisti illis sobriè vti.

3 Cum humilitate & erubescentia, ex cõsideratione nostræ indignitatis & difformitatis à tua & sanctorum tuorum abstinentia, parcitate & austeritate.

4 Cum timore & cautela, ne in harum recreationum vsu superfluo, aut inordinato, te offendamus.

5 Cum reuerentia tuæ diuinæ præsentiæ, coram te reuerenter, honestè, maturè, & modestè hęc commoda sumentes, absque nimia auiditate, præcipitatione, aut effusione.

6 Cum parcitate & tenuitate discreta, & veræ paupertati congrua, tantùm in quantitate de istis sumendo, quantùm in veritate necessarium, vel vtile nobis esse iudicauerimus, vel æstimauerimus, ad confortandum nos in tuo seruitio, aut quantùm putauerimus te velle, vt pro temporis ratione & nostri status ac officij conditione, de his sumamus.

7 Cum austeritate discreta, sic vt omnem non necessariam, nec vtilem ad spiritualem profectum, vel sanitatẽ corporis, delectationem & lautitiem, vel mollitiem in his fugiamus, quantùm, sine singularitatis nota, vel proximi scandalo, poterimus.

8 Cum auersione mentis, à delectatione,

quæ

quæ in illis eſt,eas,quatenus noſtræ ſenſualitati ſunt iucundæ, potius odientes & reſpuẽtes,quàm deſiderantes.

Cum deuotione, & ſpirituali mentis ad te eleuatione, & meditatione, aut lectione, ſic vt numquam toti cibum ſumamus, nec more canum, totos nos circa cibum effundamus, ſed corpore cibum ſumente, ſupremis animæ viribus, tecum vniti maneamus, & tibi vacemus & intendamus.

¶ *Pro caſtitate exercitium.*

Caſtiſſime IESV, quia vis, & ſicut potes, ſcis,& vis, fac nos tui amore & imitatione, tuóque merito ac dono, verè ac religioſè caſtos.

Fac igitur,vt

1 Solicitè fugiamus omnem actum, colloquium,guſtum,aſpectum,cogitationem & ſocietatem,ex quibus ad libidinem vitioſam nos excitari, aut carnalibus ſtimulis agitari, vel fluxu quodam inquinari nos ſentimus, niſi pro neceſſaria & ſalutari cauſa oporteret nos alicui tali actui vel cogitationi, aut ſocietati intendere.

2 Tunc enim,ſi contra noſtram voluntatem huiuſmodi ſtimulos ſentiremus,hoc potius ad meritum & coronam, quàm ad peccatum & pœnam nobis imputaretur, dummodo à principio vſque ad finem, voluntas

ſuperior huiuſmodi ſtimulos reſpueret, & deteſtaretur, aut ſaltem eos non approbaret, nec acceptaret.

3 Vitemus etiam, & caueamus cuiuſcunque perſonæ ſocietatem & familiaritatem, pluſquàm decet, amicabilem, quæ affert delectationem, etſi non per ſe libidinoſam, periculoſam tamen & plus æquo ſenſualem, quæ quandoque palliare ſe ſolet ſub officijs ſpiritualibus, putâ inſtructionis, confeſſionis, & ſimilium.

4 Non permittamus, quibuſcumque medijs, prætextu, vel cauſis, etiam ſpiritualibus, nos inclinari vel conſtringi ad aliquas familiaritates diſtrahentes. Ex quibus ſequitur, etiam inter orandum, imaginatio dilecti, aut eorum quæ ad ipſum pertinent, aut deſiderium cum eo exiſtendi, colloquendi & ſimilium. Nec velimus à quoquam, ſingulari fauore nos coli, pluſquàm cæteros: quia talia (licet quandoque bona videantur) tamen miro modo animam inficiunt, & retrahunt ac impediunt à via tua pura & recta, in qua tibi ſoli placere quæritur.

5 Tentationibus carnis nos vrgentibus, & naturalibus motibus nos ſtimulantibus, integra voluntate & plena confidentia, ad te, tanquam ad aſilum caſtitatis, tutiſsimum, confugere aſſueſcamus, tibique offeramus voluntatem & propoſitum firmiſſimum tibi inſeparabiliter adhærendi.

6 Senſus noſtros exteriores, iuxta rationis & inſpirationis tuæ dictamen, cu-

ſtodiamus, dirigamus, & ab omnibus, quæ immunditiam poſſent in nobis cauſare, reſtringamus.

7 Diſcretam, & ferè ſemper æqualem, cibi & potus, ac ſommi ſobrietatem & menſuram (ſine qua caſtitas immaculata vix poteſt ſeruari) ſolicitè cuſtodiamus.

8 In nullo tuo dono vel gratia, quantumuis ſublimi, quieſcamus, aut extra te, deleſtemur, aut fruamur.

9 Sed ſuprà ſenſum & intellectum, ſuprà omnia dona, etiam inuiſibilia, in te pertranſeuntes, tibi conglutinemur.

10 Caſtoque amore, in te ſolo incomprehenſibili bono, amatoreque fideliſſimo, & zelatore caſtiſſimo, quieſcamus, teque nudo & vnitiuo amore fruamur, & in te abſorbeamur.

¶ *Pro deuotione exercitium.*

Deuotiſsime IESV, quia vis, & ſicut potes, ſcis, & vis fac nos tui amore & imitatione, tuoque merito & dono verè deuotos.

Fac igitur, vt

1 Solicitè vitemus ea, quæ veram deuotionem impediunt, vel ab ea diſtrahunt, videlicet.

2 Cupiditatem temporalium, per paupertatis amplexum.

3 Concupiſcentiam & vitioſam delecta-

tionem carnalium, per temperantiæ & castitatis exercitium.

4 Curiositatem rerum, vel scientiam, ad nostram salutem, statum, vel necessitatem nō pertinentium.

5 Sensuum, maximè visus, incontinentiam, præsertim sub diuino officio.

6 Negligentiam, acediam & inordinatam tristitiam, cæterasque vitiosas passiones animum perturbantes.

7 Vt sic pura mente, & tranquilla, tibi adhæreamus, & in te solo delectari studeamus.

8 Ad omnia, quæ tibi placita sunt, perficienda, & quæ displicent, fugienda, rationalem & superiorem voluntatem promptam & paratam offeramus, quantumuis sensualitas & homo noster exterior, recalcitret & obmurmuret.

9 Et in summa etiam ariditate, & deuotionis sensibilis subtractione, spiritus vigore, & nudi tui amoris virtute cogamus nostrum exteriorem hominem facere quod tu vis.

10 Quando autem tibi placuerit nobis infundere, sensibilem deuotionem, alacritatem & dulcem quandam affectionem erga omnia quæ tibi sunt placita, da vt eam humiliter de manu tua suscipiamus, & ea, cum timore vtamur, ad tuam gloriam, & iuxta supremum beneplacitum tuum, cum plena resignatione ea carendi quando & quomodocumque tibi placuerit, hoc solùm à te requirentes? vt à tua nudà & intima charitate (in qua vera deuotio, & prompta voluntas tibi seruiendi consistit) numquam permittas nos separari, Amen.

SEQVITVR EXPLICATIO virtutum tertiæ meditationi aſcriptarum, quæ ſunt, auſteritas, patientia, manſuetudo, benignitas.

¶ *Pro auſteritate exercitium.*

Auſteritatis & pij laboris amator, dator & remunerator, IESV laborioſiſsime, quia vis, & ſicut potes, ſcis & vis, fac nos tui amore & imitatione, tuóque merito & dono, verè & religiosè auſteros & laborioſos.

Fac igitur, vt

1 Superfluas voluptates, recreationes & conſolationes, profectui ſpiritus inutiles, & corporis ſanitati non neceſſarias, odio habeamus, fugiamus, & oblatas, vel reſpuamus, vel cum tædio & auerſione toleremus.

2 Auſteritates verò diſcretas, in fame & ſiti, in frigore & æſtu, in fatigationibus & cæteris huius vitæ incommodis, amemus & deſideremus.

3 Eaſdemque ſponte & viriliter aſſumamus, quantùm ſtatus noſter, noſtraque naturalis conditio & infirmitas permiſerit, & quantùm ex tua inſpiratione, vel ſuperiorum noſtro rum conſilio, intellexerimus expedire

ad ſpiritualem profectum & pietatem, quæ ad omnia valet.

4 Atque in primis fac, vt eas auſteritates, quæ ex ſtatus noſtri & ordinis, ac profeſſionis noſtræ debito & honeſtate nobis imponuntur, aut conſuluntur, fideliter, ſimpliciter, confidenter & integrè amplectamur, & quandiu ſani ſumus & fortes, cuſtodiamus.

5 Nec diſpenſationes aut remiſſiones ab his quæramus, aut ſuſcipiamus, niſi euidentiſſima vtilitas, aut neceſſitas per te approbata, aut obedientiæ præceptum vel conſilium id requirat.

6 Sed zelo iuſtitiæ & regularis diſciplinæ, prædictas auſteritates, nos ipſi primò ſtrictè propter te ſeruemus, deinde exemplo pariter & verbo ad eaſdem ſeruandas, alios excitemus & prouocemus.

7 Eas etiam auſteritates, quas maturâ tecum deliberatione, vel (ſi ſub obedientia ſpeciali viuimus) ex conſilio noſtri patris ſpiritualis & directoris, ſeruandas ſuſceperimus & propoſuerimus, da & fac, vt fideliter & ſimpliciter ſeruemus, certò, abſque hæſitatione & diſcutione, credentes, eas tibi eſſe placitas, quicquid mundus, caro, aut Dæmon, vel quiuis alius ſuadere conetur.

8 Nullo etiam timore nocturno, nullaque puſillanimitate ab eis, vel alijs, (quos ordo noſter nobis imponit) ſeruandis, deterreamur, quaſi ex eorum tolerantia languores, vel infirmitates ſimus cõtracturi: ſed certò in te confidamus, quod tu nos, propter

te eas

te eas assumentes & tolerantes, præseruabis à notabili & nociua infirmitate, aut si quam inde fortasse incurrerimus; nos confortabis ad patiendum illam sine spirituali damno.

9 Fortiter etiam & magnanimiter propter te, & per te sufferamus laborem, & difficultatem, aut afflictionem; quæ in huiusmodi austeritatibus tolerandis potest occurrere.

10 Nec ab eis quiescamus, donec dicat spiritus tuus, aut superior noster, vt ab eis cessemus.

Et istas austeritates seruemus,

1 In ieiunijs, & abstinentijs.
2 In asperitate vestium, & strati duritie.
3 In vigilijs, & orationibus.
4 In cellæ & silentij custodia.
5 In studijs, & meditationibus.
6 In laboribus obedientiæ.
7 In correptionibus, & disciplinis ordinis.
8 In voluntarijs pœnitentijs.
9 In studio mortificationis, & abnegationis.
10 In omnibus, quæ ad rigorem & strictam obseruantiam & ad disciplinam nostri status & vocationis pertinent.

¶ *Pro patientia exercitium.*

Patientissime IESV, quia vis, & sicut potes, scis & vis, fac nos tui amore & imitatione, tuóque merito & dono, verè & religiosè patientes.

Fac igitur,vt

1 In omnibus aduerſis, quæcumque occurrerint, ad tuam pluſquàm paternã prouidentiam, potentiſſimam, ſapientiſſimam & benigniſſimam, oculos cordis ſtatim leuemus, viua fide credentes, ſine eius diſpoſitione, nihil prorſus nobis contingere.

2 In ea ſperemus, eámque caſto & ardenti amore proſequamur, laudemus & ſuperexaltemus, & de eius diſpoſitione & ordinatione, immediatè aduerſa omnia ſuſcipiamus.

3 Eadémq; nobis bona & vtilia fore, certò cõfidamus, ſi tamen tibi conſtãter per fidem, ſpem & charitatem adhærere ſtuduerimus.

4 Ac propterea, cum gaudio tibi, per cor tuum gratias agamus, in omni aduerſitate, de tuæ voluntatis & diſpoſitionis paternæ circa nos impletione, & pro amore illo ſingulari, quo aduerſa omnia in bonum nobis (ſi te dilexerimus) conuertis.

5 Nec non de tua conformitate, quâ per eiuſmodi aduerſa tibi, propter nos paſſo, conformamur.

6 De paterna caſtigatione peccatorum noſtrorum.

7 De mortificatione priuati amoris, & vitiorum.

8 De probatione tui amoris, & exercitio virtutum.

9 De communicatione, & renouatione fructuum paſſionis tuæ in nobis.

10 Sicque huiuſmodi fide, laude, gaudio & gratitudine, vincamus & propulſemus omnem impatientiam, inordinatam triſtitiam,

1 Atque in primis in tribulationibus, quas tu bone IESV, immediatè nobis immittis (quales ſunt,infirmitates ,ſterilitates, mortes amicorum, præſentis vitæ miſeriæ & ſimiles) fac vt ſeruemus erga te manſuetudinem,pietatem,deuotionem, ſuauitatem,dulcedinem , beneuolentiam atque gratitudinem.

2 Nunquam igitur contra te , pro huiuſmodi,murmuremus.

3 Nec minùs te amemus,nec negligentiùs aut remiſſiùs (ſaltem ſecundùm rationalem voluntatem) tibi ſeruiamus.

4 Sed de paterna tua benignitate & miſericordi iuſtitia, eas tanquam medicinas ſaluberrimas,nobis miſſas credamus.

5 Atque propter amorem & honorem tuum , illas, in vnione paſsionum tuarum, amorosè,reuerenter, patienter & libenter vſque in finem toleremus.

6 Cum gaudio , gratias tibi agentes pro amore tuo & bono multiplici , ad quod illas ordinaſti.

7 Nos reſignantes , & offerentes ad plura & grauiora patiendum , ſi volueris , cum certa in te fiducia , quod facies cum tentatione prouentum, vt poſſimus ſuſtinere.

8 Da etiam vt dæmonis tentationes & afflictiones,de manu tua ſuſcipiamus.

9 Nec illi iraſcamur, aut imprecemur, vel maledicamus.

10 Sed vice illius , pro ſingulis eius tentationibus,toties te laudemus, quoties ille hoſtis te laudaſſet , ſi in gratia & veritate tua perſeueraſſet.

In his autem tribulationibus, quæ à proximis nobis inferuntur,

Da & fac, vt

1 Non consideremus, nec ponderemus, quàm iniustè aut malignè illi nos affligant.

2 Sed agnoscentes, nos pro peccatis nostris grauiora meruisse, credamus illos, tanquam paternæ tuæ iustitiæ ministros, ad purgationem peccatorum nostrorum, nobis à te missos & ordinatos esse.

3 Ac propterea nullam nobis iniuriam fieri putemus, aut conqueramur.

4 Nec eos, qui nos affligunt, accusemus, vel de eorum malitia loquamur (nisi zelus iustitiæ vel salutis eorum aliud requireret.)

5 Nec libenter audiamus eos vituperari, aut accusari, sed potius excusemus illos.

6 Nullum odium, rancorem, indignationem aut amaritudinem, in corde nostro teneamus contra eos, sed ex corde, omnem contra nos offensam, illis condonemus & remittamus.

7 Non optemus, vel procuremus illis vllum malum animo vindictæ.

8 Non gaudeamus de eorum malo, aut damno (si quod illis contigerit) sed potius condoleamus, nisi quatenus id ad tuum honorem cederet.

9 Nec de eorum laude, vel prosperitate tristemur, nisi quatenus ea abuterentur.

10 Nullum signum rancoris vel amaritudinis, ostendamus erga eos.

1 Nec communia charitatis obsequia &

officia illis ſubtrahamus.

2 Nunquam faciem ab illis auertamus, nec denegemus eis colloquium, aut priſtinam familiaritatem communem, niſi aliter pro noſtra vel illorum ſalute expediret.

3 Sed eos, tanquam amabiles miniſtros tuos (quos ad horam permittis cadere, aut malignè agere, vt per eos nos purges, piè caſtiges tibíque gratifices) reputemus, ac propterea illos amemus propter te, ſecundùm te, & per te.

4 Eorum iniuſtitiam & malitiam excuſemus, aut certe diſſimulemus.

5 Pro eorum ſalute, te affectuosè & ſpecialiter oremus.

6 Læta facie illis occurramus, honore eos præuenientes.

7 Affabiliter & dulciter, eis reſpondeamus.

8 Obſequijs ſpecialibus & beneficijs (ſi occaſio ſeſe offerat, & ſaluti eorum expediat) eos proſequamur & præueniamus.

9 Sicque erga eos, corde, geſtu, verbo & opere nos exhibeamus, vt vincamus (ſi fieri poteſt) in bono noſtro, malum eorum, & carbones ignis ac ardentis charitatis, ſuper capita eorum congeramus, ad tuam gloriam & omnium ſalutem.

SEQVITVR EXPLICATIO VIRTVTVM QVARTAE meditationi ascriptarum, quæ sunt, charitas & dilectio Dei & proximi, intentionis rectitudo, abnegatio sui & obedientia. Et quia, de charitate & amore Dei intentionísque rectitudine, & abnegatione sui, in præcedentibus tractatum est, hîc agetur tantùm de reliquis.

¶ *De charitate & amore proximi exercitium.*

Amantissime IESV, quia vis, & sicut potes, scis & vis, fac nos tui amore & imitatione, tuóque merito & dono, verè & sincerè proximos amare. Da igitur & fac vt proximos omnes amemus,

1 PROPTER TE, id est, quia tu vis, & tibi placet vt ita faciamus, indéque à nobis gratum obsequiũ acceptas, quod debet esse nostri amoris præcipuum motiuum, finis & merces.

2 Amemus proximos, IN TE, hoc est, quatenus aliquid tuum est in proximis, id solum, quod bonum, iustum & sanctum est, ac proinde tuum (à quo omne bonum procedit)

in proximis diligentes. Sic autem diligendo, in te, proximos, teipſum magis diligimus, quàm proximos.

3 Amemus proximos PER TE, id eſt, per deiformem charitatem, à te infuſam, & per ſpiritum tuum diffuſam in cordibus noſtris.

4 Amemus proximos SECVNDVM TE, id eſt, eo modo, quo vis id fieri & ſecundùm formam & exemplar quod oſtendiſti, nos prior diligens, dulciter, ſapienter, efficaciter & fortiter.

Da igitur & fac vt amemus proximos noſtros,

4 DVLCITER, abſque amaritudine, diſplicentia, indignatione, vel odio erga perſonam eorum, ſed cum ſuaui, pia, dulci & beneuola affectione, bonum ipſis fauentes & deſiderantes.

5 Amemus eos, SAPIENTER, ea tantùm illis optando bona, quæ tu vis vt optemus, & quæ ſint illis verè ſalubria.

6 Amemus eos, PRVDENTER, ea tantùm ab eis deprecando mala, quæ tu vis vt deprecemur, & quæ verè ſint illis nociua, nunquam palpando aut amando eorum vitia, ſed odiendo & perſequendo.

7 Amemus eos, EFFICACITER, non verbo & lingua ſolùm, ſed opere & veritate amorem noſtrum comprobantes, & charitatis ac miſericordiæ opera & obſequia illis impendentes.

8 Amemus eos, FORTITER, aduerſa quæq; pro eorum ſalute tolerando, ardua aggrediendo, & animas etiam noſtras (ſi opus

esset) pro eis ponendo tui amore & imitatione.

9 Amemus eos, CONSTANTER, non in prosperitate tantùm eorum, sed & in aduersis, illis fideliter & constanter assistendo & succurrendo.

10 Amemus eos, PVRE, absque carnali, vitioso, vel sensuali amore.

1 Amemus eos, LIBERALITER, absque intuitu retributionis, & mercedis, vel commodi quod ab illis expectemus.

2 Amemus eos, ORDINATE, priùs, & singulâriùs illos amando, quos tu vis priùs & singulariùs amari.

3 Et per DIVINVM amorem ordinando, purificando & gratificando cæteros amores, scilicet,

4 NATVRALEM, quò carnē nostram, naturam, & eos, qui carnis & naturæ affinitate nobis cōiuncti sunt, naturaliter diligimus.

5 ACQVISITVM, quo eos, quibuscum sociabiliter & dulciter conuersamur, arctiùs amamus.

6 MERCENARIVM, quo afficimur ad eos, à quibus beneficia aut commoda aliqua expectamus.

7 RATIONALEM, quo eos diligimus, quos bonos & virtutis studiosos, & amabiles esse cognoscimus.

8 CARNALEM verò & vitiosum amorem, aut quouis modo nos à te distrahentem, tua diuina charitas, de corde nostro, prorsus expellat, & eradicet.

9 Nec permittat nos admittere vllū amorē cuiuscunq; personæ, qui generet inquietu-

dinem, distractionem & desiderium ad illius personæ corporalem præsentiam, vel specialem familiaritatem, aut qui cor nostrum depingat imaginibus tempore orationis, aut mentalis ad te conuersionis.

10 Talis enim amor vanus est, & tui diuini amoris venenum pessimum.

Fac etiam amantissime IESV, vt propter te, & secundùm te, & per te proximos omnes

1 Revereamur, appretiemus, & sublimiter de eis sentiamus, si non secundùm præsentem & apparentem eorum vitam, saltem secundùm eorum substantiam, qua ad imaginem & similitudinem tuam sunt creati, & occultas in illis gratias, aut futuram eorum emendationem & perfectionem.

2 Piè & suauiter erga eos afficiamur.

3 Benè iudicemus de illis, & operibus eorum, non apertè malis, vt facilè bona de illis audita, credamus.

4 Optemus, & quantùm commodè poterimus, procuremus illis omne bonum tibi placitum, & illis salutiferum.

5 Gaudeamus de eorum bonis, tanquam de proprijs.

6 Gratiásque tibi agamus pro illis, sicut pro nostris.

7 Et oremus pro conseruatione & augmento eorum, ad tuam gloriam.

8 Libenter narremus, & prædicemus alijs bona & virtutes eorum, & ab alijs laudari gaudeamus.

9 Succurramus eorũ necessitatibus & indigentijs, corporalibus & spiritualibus, quandocunque, & quantùm secundùm te, & per te, poterimus, idq; hilariter, & strenuè, ac promptè.

10 Et quicquid minus effectu, & re ipsa præstare poterimus, pro desiderio, & feruenti oratione suppleamus.

Ah dulcissime & beneuolentissime IESV, præserua nos, ne vnquam proximum aliquem, etiam eum qui nos læsit, vel adhuc nos odio habet & persequitur,

1 Contemnamus, vilipendamus, & quasi nullius pretij sit, vel momenti, despiciamus, & dedignemur.

2 Nec odio illum habeamus, aut amaro animo, & affectu erga eum simus.

3 Nec malè & sinistrè, ac temerè iudicemus de eo, & operibus eius dubijs, nec de eius emendatione desperemus, quãdiu hîc viuit.

4 Non optemus, nec procuremus ei vllum verè malum, sed deprecemur, & sicut poterimus, impediamus.

5 Non gaudeamus de illius malo & damno, sed contristemur.

6 Non indignemur, nec irascamur contra eius personam, sed vitia personæ, zelo iustitiæ, cùm opus fuerit, arguentes, ipsam personam amemus, eiq; compatiamur.

7 Mala eius & vitia, nec libẽter alijs nunciemus (nisi pro salutari causa) nec ab alijs narrari gaudeamus, sed nec citò mala de eo audita credamus.

8 Non

Non aggrauemus, vel nimiùm ponderemus eius vitia, ſed potius excuſemus & ſupportemus, quantùm (ſalua iuſtitia & veritate) poterimus.

9 Fraternè & diſcretè eum corrigamus, aut corrigi procuremus, prout ſecundùm te expedire putauerimus.

10 Oremus affectuosè pro eius liberatione & emendatione, ſicut pro noſtra vellemus orare, & ab alijs orari. Et omni modo poſſibili ac licito, pro malis ab eo auertendis, ſicut pro noſtris, laboremus, parati pro eius ſalute, animas etiam noſtras (ſi opus eſſet) tui amore & emendatione ponere.

¶ *Pro obedientia erga prælatos exercitium.*

Obedientiſſime IESV, fac nos tui amore & imitatione, tuoq; merito & dono, verè & religiosè obedientes noſtris prælatis.

Da igitur & fac, vt

1 Prælatos & ſuperiores noſtros, tua prouidentia nobis datos & ordinatos eſſe credamus.

2 Téque velle per eorum miniſterium, nos exercere, & ad te dirigére, eóſque præ cęteris hominibus, nobis vtiliores eſſe reputemus.

3 Reuereamur eos, & ſublimiter de eis ſentiamus, non tam perſonam eorum & merita attendentes, quàm ordinationi tuæ, & dignitati, quam gerunt, deferentes.

4 Amemus eos cordialiter, & dulciter erga eos afficiamur propter te, & secũdùm te.

5 Honoremus eos, verbo, gestu & opere eis reuerentiam exhibendo, nunquam cum eis ludendo, iocando, contendendo, aut durè loquendo.

6 Defectus eorum (si quos habent) aut ignoremus, aut quantùm poterimus, excusemus, & tegamus; nec cuiquam reuelemus, nisi ei qui velit & possit eis prodesse.

7 Reuelemus eis nostra consilia, dubia & tentationes, eorúmque consilium & sententiam, tanquam ex ore tuo prolatam, suscipiamus, & nobis salutarem credamus.

8 Correptiones eorum, tanquam paterno affectu nobis illatas, humiliter, & gratanter accipiamus & toleremus.

9 Iudicium nostrum & voluntatem nostram, eorum iudicio, & voluntati subiiciamus, & conformemus in omnibus licitis, quę non iudicauerimus esse manifestè tuæ voluntati contraria.

10 Et quicquid præceperint nobis, aut consuluerint, quod non iudicemus contrarium tuę voluntati & præcepto: id omne propter te, & secundùm te, per te, & tecum aggrediamur, prosequamur, & perficiamus, in vnione tuarum obedientiarum & operationum, ad tuam gloriam, & omnium salutem.

1 Idq; FIDELITER, credendo te velle id, quod ipsi præceperint, à nobis fieri.

2 SIMPLICITER, sine nimia discussione, an hoc expediat, vel non.

3 HVMILITER, absque præsumptione, & appetitu laudis vel fauoris.

4 CONFIDENTER, tuæ gratiæ adiutorio innitendo.

6 MAGNANIMITER, propter hoc prospera contemnendo.

6 FORTITER, dura & aduersa propter hoc ferendo.

7 LIBERALITER, pro solo tuo amore absque intuitu mercedis.

8 HILARITER, cum gaudio spiritus, ex eo quod tibi gratum in hoc præstamus obsequium.

9 FERVENTER, absque tepore.

10 VELOCITER, absque mora.

11 INTEGRE, non in vno tantùm, aut altero præcepto, sed in omnibus.

12 PERSEVERANTER, vsque in finem in obedientia perseuerando.

ANNOTATIO.

Quæ hic de actibus obedientiæ dicuntur (præsertim in 2.7.8 & 9. numeris) specialiter ad eos spectãt, qui obedientiæ voto sese astrinxerunt, & qui habent prælatos timoratos, & accessibiles. Cùm enim dicat Dominus per Prophetam: Dabo eis reges in furore meo. *Et rursus*, Qui facit regnare hominem hypocritam propter peccata populi. *Quando superiores sunt apertè mali, & ad malum potius, quàm ad bonum suo exemplo & consilio inducunt, non sunt misericorditer à Deo dati, nec cæteris hominibus vtiliores, nec expedit subditis, vt illis suas tentationes reuelent, aut eorum consilia, tanquam ex ore Dei prolata, amplectantur, & simpliciter sequantur, suámque voluntatem eorum voluntati conformẽt. Debent nihilominus illis obedire in his, quæ*

ex officio suo iubent & prohibent, non contra Deum. Quando etiam prælati non sunt accessibiles, seu quando non patet facilis ad eos accessus, subditi sua consilia illis reuelare, & consilium eorum sequi in omnibus non possunt.

SEQVITVR EXPLICATIO virtutum quintæ meditationi ascriptarum, quæ sunt, Contritio, seu pius luctus, Compassio, & Oratio.

¶ *Exercitium pro contritione, & pio luctu.*

Tristitiæ & pij luctus amantissime IESV, quia vis, & sicut potes, scis, & vis, fac nos tui amore & imitatione, tuóque merito & dono, verè & piè lugentes & contritos.

Eya igitur,

1 INfunde cordibus nostris purum, & ardentem tui amoris affectum, veræ contritionis fontem & radicem.

2 Accende in nobis tui amoris zelum & desiderium.

3 Illumina intellectum, ad considerādum & videndum, quantùm tibi displiceat quodlibet peccatum.

4 Dilata

4 Dilata memoriam, ad recolendam ſimul multitudinem omnium peccatorũ noſtrorum, & eorum, qui ſpecialiùs ad nos pertinent, cæterorúmque hominum.

3 Irradia intelligentiam, vt circumſtantias peccatum quodlibet aggrauantes, profundè, & perſpicaciter ponderemus & videamus.

6 Odium & deteſtationem peccati cuiuſlibet nobis infunde.

7 Affectum emolli & compunge, ad ſentiendum peccati dolorem, auferens cor lapideum, & donans nobis cor carneum, hoc eſt, affectum pium & deuotum, quo ſuper ſingulis peccatis verè, & ex animo doleamus & lugeamus.

8 Fac vt amoroſis oculis conſideremus, & cum gratitudine recolamus, tuam maieſtatem infinitam, & erga nos nimiam charitatem, fidelitatem conſtantiſſimam, ineffabilémque benignitatem.

9 Et ex hac conſideratione ardentiſſimo tui amore inflammemur, feruentiſſiméque deſideremus te honorare, tibiq; placere, & gratum obſequium præſtare propter te.

10 Fac è contra, vt profundè, attentè, & diligenter recogitemus, noſtram extrêmam vilitatem, & erga te nimiam infidelitatem, ingratitudinem & iniuſtitiam.

11 Et ex hac conſideratione, excitemur ad perfectum noſtri contemptum & odium.

12 Et accendamur zelo iuſtitiæ, ad vltionem noſtratum, contra te offenſarum.

Fac

Fac ergo (ſuperamandiſſime & ſupercolendiſſime IESV) vt lugeamus, & ex intimo corde doleamus, quod nos tam viles & indigni, à te, tali & tanto, tot tantíſque beneficijs, ex puriſſima charitate affecti, tam facilè, toties, támque grauiter, multipliciter & impudenter

1 Inhonorauimus diuinam tuam præſentiam & ſapientiam, irreuerenter coram ea nos habendo & peccando.

2 Irritauimus tuam æquitatẽ, & nimiam ſanctitatem.

3 Offendimus tuã ſupremã maieſtatem.

4 Vilipendimus tuam infinitam bonitatem, & perfectionem.

5 Contempſimus tuam inæſtimabilem erga nos charitatem & amorem.

6 Neglex imus tuum feruentiſſimum zelum, & ſtudium erga noſtram ſalutem.

7 Ingrati fuimus erga tuam liberaliſſimam beneficentiam, tuis beneficijs abutentes, eáque diſſipantes.

8 Infideles fuimus, erga tuam fidelitatem conſtantiſſimam.

9 Iniurioſi & impij fuimus erga te, omni affinitatis & officij genere nobis coniunctiſſimum.

10 Inobedientes fuimus, tuæ ſupremæ autoritatis iuſſis & legibus.

11 Diſſimiles fuimus, tibi perfectiſſimo virtutum omnium exemplari.

12 Incurij fuimus immensæ beatitudinis à te nobis præparatæ, eam pro nihilo habentes, nec saltem desiderantes.

Eya superamandissime IESV, per cordis tui internos dolores pro peccatis nostris susceptos, omniumque verè pœnitentium cótritiones,

Da & fac, vt

1 Verè & cordialiter super prædictis lugeamus, conteramur & doleamus, quatenus tui sunt offensiua, tibique displicent: & quia tu vis, & sicut vis, vt pro his conteramur & lugeamus.

2 Fac, vt proponamus de cætero ab his per gratiam tuam, propter te solicitè præcauere, & mortem potius eligere, quàm rursùs scienter te offendere.

3 Esuriamus, dignè tot & tantas erga te offensas vlcisci & punire, & conemur, tantùm te honorare per contrarias virtutes, quantùm te per peccata inhonorauimus.

4 Cognoscamus, nos nullis nostris pœnis aut meritis posse, vel pro minimo peccato, tibi dignè satisfacere.

5 Credamus, tuæ vitæ & passionis meritum esse sufficientissimum & infinitum, teque velle id nobis communicare.

6 Offeramus illud patri tuo, per suauissimum cor tuum, in plenam satisfactionem, & omnigenam hostiam, pro nostris & to-

tius mundi peccatis.

7 Et,in vnione eiuſdem tuæ paſſionis, offeramus etiam nos, ex puro tui amore,& reſignemus ad ſuſcipiendam, & libenter tolerandam omnem crucem, quancumque immiſeris,inſpiraueris,aut venire ſuper nos permiſeris.

8 Voluntariam aliquam pœnam & ſatiſfactionem, pro ſingulis grauioribus delictis noſtris aſſumamus, & ſimul cum tua paſſione offeramus.

9 Obſecremus & deſideremus à te, quocumque volueris modo,nos hîc caſtigari, & plenè à peccatis purgari & emendari.

10 Et omnes cruces, omniaque aduerſa, quæ nobis vndecumque aduenerint, recipiamus immediatè de manu tua paterna, tanquam ſalutares medicinas à te nobis miſſas, eaſdemque cruces, quamdiu durauerint,cum gratitudine & gaudio ſpirituali toleremus, Amen.

Da etiam, & fac benigniſsime IESV, vt videamus & lugeamus miſerias quibus ſumus circundati, videlicet quòd,

1 Tot vitioſis paſſionibus, ſæpiùs adhuc agitamur & inquinamur.

2 Tam pauperes & nudi ſumus, veris virtutibus.

3 Tam negligentes & remiſſi, ad eas acquirendas.

4 Tam inſenſibiles & ſurdi,ad gratiæ tuæ

motum & inſpirationes tuas.

5 Tam duri, ad compunctionem & lachrimas.

6 Tam infirmi, ad reſiſtendum malis, ad tolerandum aduerſa, & ad perficiendum bona.

7 Tam imprudentes, ignari, perplexi & indiſcreti in agendis.

8 Tot & talibus hoſtibus circundati.

9 Tot & tantis huius exilij miſerijs, & mortalis corporis infirmitatibus vexati & aggrauati.

10 Totque & tantis periculis, iræ & furoris tui, ac æternæ damnationis expoſiti.

Da etiam benigniſsime IESV, lachrymas deuotionis, quibus dulciter & deuotè lachrymemur.

1 Ex ardenti deſiderio gratiæ tuæ, & virtutum, ac ſpiritualis profectus.

2 Ex guſtu & ſapore tuæ bonitatis, & dulcedinis.

3 Ex deſiderio cæleſtis patriæ, & tuæ viſionis & dulcedinis.

¶ *Pro compaßione exercitium.*

Compatientiſsime IESV, quia vis, & ſicut potes, ſcis & vis, fac nos tui amore & imitatione, tuóque merito & dono, verè compatientes. Atque in primis, vt tibi propter nos paſſo, compati poſſimus fructuosè,

Fac,vt

1 Amore tuo inflammati, omne bonum tibi ſummè deſideremus.

2 Omne malum tibi inferri, ſummè horreamus.

3 Scientiæ & intellectus dono,clarè videamus & ponderemus,quæ & quanta mala ſint tibi in paſſione tua illata.

4 Zelo tui honoris & iuſtitiæ doleamus ſuper his, de offenſa diuinæ maieſtatis.

5 De ſumma erga te innocentiſſimum & ſanctiſſimum iniuſtitia.

6 Pietatis dono,tuis paſſionibus,tanquam proprijs, aut alicuius nobis chariſſimi & cõiũctiſsimi cõpatiamur:imò tãtò ampliùs tuis, qãntò tuquouis patre & amico, nobis es propinquior,& amicus longè chariſſimus.

7 Optemus, ex amore conformari tibi in paſſionibus.

8 Ac propterea, oblectamenta ſuperflua, voluntariè propter te abiiciamus & fugiamus.

9 Auſteritates & pœnitentias diſcretas, & rationabiles aſſumamus.

10 Et aduerſa omnia, vndecumque venerint,in vnione paſsionum tuarum, cum gaudio amplectamur & toleremus, vt ſic tibi efficaciter compati, & conformari,ſicut vis, & quia vis,poſſimus.

Vt autem paſſionis tuæ recordatio, ad cõpatiendum nos magis excitet, fac nos eam quaſi præſentem recolere, & in ea diligenter attendere & conſiderare, quis, & quantus, pro qualibus, & qua charitate, quæ, &

uanta,cum quantis, & qualibus virtutibus, ropter quos,& quantos fructus, tu pati digatus sis: *prout suprà fusiùs est declaratum in abula decem exercitiorum.*

Pro compassione erga proximos exercitium.

Et vt proximorum nostrorum miserijs propter te,& secundùm te, compati possimus, IESV compatientissime,

Da & fac, vt

1 Proximos omnes, cordialiter amemus cut nos ipsos.

2 Bonum eorum,ardenter desideremus & iligamus.

3 Malum eorum,odio habeamus & horeamus.

4 Scientiæ dono,mala eorum clarè videaius & ponderemus.

5 Pietatis tuæ dono,eis,tanquam proprijs ialis,compatiamur.

6 Esuriamus, & feruenter optemus illis iccurrere.

7 Oremus deuotè & continuè, pro eoim liberatione.

8 Offeramus pro illis, tuæ passionis metum.

9 Resignemus nos,ad dimittendum, ageum & patiendum quicquid volueris, pro orum subleuatione.

10 Et

10 Et eorum intentione, ab oblectamentis non necessarijs abstineamus.

11 Austeritates discretas assumamus.

12 Et aduersa omnia, vndecumque venerint, in vnione tuæ passionis, pro eis toleremus & tibi offeramus, vt sic vice eorum te honoremus, iram tuam ab eis auertamus, & impetremus eis tuam gratiam, illuminationem, iustificationem, sanctificationem, liberationem, confortationem, redemptionem, tuæque diuinitatis æternam tentionem, visionem & fruitionem.

Compatiamur autem proximis super his præsertim malis, quæ peccando incurrerunt:

scilicet super,

1 Damno, gratiæ diuinæ, & virtutum.
2 Cæcitate, & ignorantia salutarium.
3 Iniustitia, & ad peccandum pronitate.
4 Cōcupiscentia, & cupiditate inordinata.
5 Captiuitate miserabili.
6 Infirmitate maxima.
7 Negligentia pœnitendi & proficiendi.
8 Malis & miserijs præsentibus.
9 Reatu pœnæ æternæ.
10 Damno æternæ gloriæ.

Pro his, pia & interna cordis commotione, excitemur ad sanctam tristitiam & compassionem, qua affecti, desideremus & conemur, quantùm poterimus, proximis sic afflictis, succurrere, propter te, secundùm te, per

te,& tecum, ad tuam gloriam & eorum ſalutem præſentem & perpetuam, Amen.

¶ Pro oratione exercitium.

Deuotiſsime orator IESV ſuauiſsime, quia vis, & ſicut potes, ſcis & vis, fac nos tui amore & imitatione, tuóque merito & dono deuotos oratores.

Fac igitur vt omnes noſtras orationes faciamus,

1 Amanter, propter te, & ex amore tuo, vt, ſicut vis, in hoc tibi placeamus, & gratum tibi obſequium præſtemus. Tua enim voluntas, qua vis nos aliquid à te petere, & petēdo obtinere, debet nos magis mouere & excitare ad orandum, quàm deſiderium noſtri profectus, ex ea re, quam petimus, prouenientis.

2 Oremus PVRE, abſque affectu cuiuſcunque peccati, auertentes affectum noſtrum ab omni peccato.

3 Oremus FIDELITER, credentes te velle & poſſe, nos ſalubriter exaudire.

4 Oremus HVMILITER, recognoſcentes nos indignos eſſe exauditione, propter noſtram ingratitudinem, infidelitatem, negligentiam & iniquitatem multiplicem.

5 Oremus OBSECRANTER, per tuam bonitatem, cæteraſque perfectiones, & vitæ, ac paſsionis meritum, ſanctorumque ſuffragia exaudiri ſupplicantes.

6 Oremus CONFIDENTER, cum ſpe

Eſurientiſſime IESV, quia vis, & ſicut potes, ſcis & vis, fac nos tui amore & imitatione, tuoq; dono & merito, verè eſurire iuſtitiam.

Da igitur & fac, vt

SICVT dum valdè eſurimus, continuè & vehemẽter cibum deſideramus: ſic continuè, ſine intermiſſione, & ardẽter cum magno deſiderio cupiamus iuſtitiam per nos & alios exerceri,

Videlicet vt nos & cæteri omnes,

1 Fugiamus, quicquid tibi diſplicet.

3 Faciamus, quicquid à nobis vis fieri.

4 Patiamur, quicquid tibi placuerit.

5 Tuam voluntatem, in omnibus & de omnibus ſemper & vbique deſideremus & procuremus impleri.

6 Superioribus, amorem, reuerentiam & obedientiam impendi.

7 Subditis, cuſtodiam, diſciplinam & ſubuentionem exhiberi.

8 Omnibus, beneuolentiam, conſilium & auxilium præſtari.

9 Quæ noſtra vocatio, ſtatus aut officium exigunt, implere ſtudeamus.

10 Pro peccatis noſtris, dignos pœnitentiæ fructus faciamus.

Et cætera omnia, quæ vera & perfecta iuſtitia requirit, cum ſpirituali eſurie, & deſiderio feruenti implere ſtudeamus.

¶ *Pro ſtrenuitate, & virtutibus ei coniunctis exercitium.*

Strenuiſſime IESV, quia vis, & ſicut vis, fac nos tui amore & imitatione, tuóque merito & dono, verè ſtrenuos.

Da igitur nobis in tuo ſeruitio, & inomnibus, quæ propter te agere debemus,

1 STRENVITATEM, id eſt, internam quandam & irremiſſam, tuæ charitatis ſtimulationem, & impulſum, torporem omnem procul pellentem.

2 Da, ALACRITATEM, abſque pigritia & deſidia.

3 Da, DILIGENTIAM, abſq; negligentia.

4 Da, VIGILANTIAM, abſque dormitatione & ſomnolentia.

5 Da, DEVOTIONEM, abſq; tædio & acedia.

6 Da, FERVOREM, abſque tepore & frigore charitatis.

7 Da, ZELVM ET INDIGNATIONEM SANCTAM, contra vitia & hoſtes ſalutis noſtræ.

8 Da, SEVERITATEM, in corrigendis vitijs, & perſequendis hoſtibus.

9 Da, BENIGNITATEM, in fouenda natura & perſona.

10 Da, DISCRETIONEM, qua ſciamus, vbi, quando, qualiter, & quantùm ſeueritate, vel benignitate vtendum; aut duriùs, vel remiſſiùs agendum & loquendum ſit.

¶ *Pro ſeueritate, benignitate & diſcretione ſpeciale exercitium.*

Seueriſſime & benigniſſime IESV, quia vis, & ſicut potes, ſcis & vis, fac nos tui amore & imitatione, tuóque merito & dono, diſcretè ſeueros & benignos. Atque in primis, fac nos erga nos ſeueros, ſic vt

1 Peccata noſtra, non diſſimulemus nec obliuiſcamur, ſed ante oculos noſtros ponamus, & coram te recogitemus.

2 Non palpemus ea, nec excuſemus, ſed accuſemus, & dignè ponderemus, aggrauantes circunſtantias eorum diligenter conſiderando.

3 Arguamus & increpemus noſtram infidelitatem, ingratitudinem & iniuſtitiam.

4 Ad dolorem & veram contritionem pro his nos excitemus, & pro ea habenda & ſentienda, laboremus.

5 Proponamus, firmiter ab his præcauere, & eorum occaſiones, quantùm poterimus, prorſus abiiciamus & vitemus.

6 Eſuriamus peccata noſtra dignè punire, zelo iuſtitiæ & tui honoris.

7 Offeramus pro his, tuam paſſionem.

8 Confiteamur ea, idoneo ſacerdoti, integrè, humiliter & deuotè.

9 Pœnam aliquam congruam & ſalutarem, pro illis voluntariè aſſumamus, in vnione paſſionis tuæ.

10 Deſideremus & obſecremus, hîc à te pro his miſericorditer caſtigari, emendari & purgari.

11 Et propterea omnes aduersitates, vndecunque nobis euenientes, tanquam peccatorum nostrorum purgationes, cum gaudio amplectamur, nec ab his liberari quæramus, nisi propter te,& secundùm te.

12 Sic tamen rationabiliter & discretè,pœnitentiæ exercitia faciamus, vt natura nostra non nimis grauetur,& debilitetur, vel profectus spiritualis & pietas interior (quæ ad omnia valet) impediatur.

Vt autem erga proximos,simus discretè seueri & benigni, fac, vt cum viderimus proximos nostros (maximè eos, qui nobis commissi, vel affinitate aut familiaritate coniuncti sunt) peccare,

1 Amemus, & dulciter afficiamur erga eorum personam & naturam.

2 Non contemnamus eos,nec desperemus de eorũ emendatione,sed potiùs reuereamur eos, & sublimiter sentiamus de eis, etsi non secundùm præsentem iustitiam, certè secundùm occultam tuã de eis prædestinationem, eósque nobis in corde nostro præferamus.

3 Compatiamur eorum fragilitati, miseriæ,& lapsui, nostram & communem attendentes fragilitatem.

4 Oremus pro eorum iustificatione & emendatione.

5 Non palpemus,nec excusemus, aut dissimulemus sic eorum peccata, vt ea crescere sinamus,sed mox vt ea cœperint oriri, radicitùs

tus amputare ſtudeamus, ac propterea moneamus eos fraternè in ſpiritu lenitatis, aut per alios, magis idoneos, moneri faciamus, vt ſe emendent.

6 Arguamus oportunè & importunè, excuſantes ſe in peccatis, & pigros ac negligentes excitemus.

7 Increpemus zelo diſciplinæ, fortiter & charitatiuè (in omni tamen patientia & doctrina) duriores, ſuperbos, contradicentes, & inobedientes, qui nobis ſunt commiſſi, ita tamen, vt terribiliter foris increpatione ſonante, ferueat intus dilectio.

8 Caſtigemúſque eos diſcretè & in miſericordia, provt culpæ eorum qualitas, & perſonæ conditio exigit, caueamúſque in hac caſtigatione, vel remiſſiores, vèl ſeueriores, ſeu crudeliores inueniri. Oleũ miſericordiæ, vino correptionis ſemper miſcere ſoliciti.

9 Ante, & poſt correptionem eorum, beneuolentiæ gratiam illis exhibeamus, occurrendo eis ſerena facie, benignè eis reſpõdendo, hilariter in neceſſarijs illis ſuccurrendo.

10 Dimittamus ex corde illis offenſam, quâ, nobis reſiſtentes, nos offenderunt, nec minùs propterea illos amemus.

11 Sed neque ſigna vlla amaritudinis, odij aut diſplicentiæ erga eos oſtendamus, quin potiùs quaſi nihil ab eis ante perperam admiſſum ſit, diſſimulemus, & erga eos nos geramus.

12 Denique ſic diſcretè, modeſtè & oportunè, tempore, loco, & modo debitis, arguamus & corripiamus proximos, vt non nimis eos exaſperamus, vel deteriores faciamus.

§ *Pro magnanimitate, fortitudine, & constantia exercitium.*

Magnanimis, fortissime & constantissime IESV, quia vis, & sicut potes, scis & vis, fac nos tui amore & imitatione, tuóque merito & dono, verè magnanimos, fortes & constantes.

Eya igitur, fac nos

1 Generosos, & terrenorum contemptores, quatenus ex consideratione nobilitatis animæ nostræ (quæ nulla re creata potest satiari) indignum reputemus, animam nostram ad appetenda & amplectenda terrena, demittere, nisi quantùm propter te, & secundùm te, illis ad vsum necessitatis indiget.

2 Fac nos, contra vanum & inordinatum timorem mundi, carnis vel Diaboli aut aduersorum, piè in te CONFIDENTES, & sanctè ac religiosè audaces, nullum, præter te, aut nisi propter te, timentes.

3 Fac nos, MAGNANIMOS, sic vt in fide, spe & charitate tuæ bonitatis & omnipotentiæ radicati, magno & virili animo, absque vlla pusillanimitate vel diffidentia, aggrediamur & amplectamur quæcunque tibi placita fuerint.

4 Fac nos, FORTES, ad resistendum tentationibus mundi & diaboli, ad reprimendas & mortificandas carnis concupiscentias & passiones noxias, subdendámque carnem spiritui.

5 Fac nos, PATIENTES, ſic, vt deſpectum, penurias & cruces omnes, tui amore, tranquillo ſufferamus animo, abſque immoderata triſtitia.

6 Fac nos, VIRILES ET VIRTVOSOS ad aggrediendum fortiter, & viriliter proſequendum & perficiendum, quæcunque tibi fuerint placita, quantumuis ardua & difficilia fuerint.

7 Fac nos, CONSTANTES, ſic vt in proſperis & aduerſis, æqualem vultum retineamus, omnia æqualiter de paterna tua prouidentia & benignitate cum gratiarum actione, ſuſcipientes, & omnia ad honorem tuum conuertere ſatagentes.

8 Fac nos, STABILES, in bonis propoſitis, & inceptis ſtudijs, ac operibus bonis, ſic vt nunquam ex leuitate & inconſtantia ea dimittamus, vel mutemus, ſed propter te, ſecundùm te, & per te, ea fideliter, ſimpliciter, confidenter, fortiter & perſeueranter continuemus, donec aliud tu ipſe conſulueris aut diſpoſueris.

9 Fac nos, PROFICIENTES, de die in diem, ſic vt à ſtudio & conatu proficiendi in tuo amore & virtutibus, nunquam ceſſemus, vel tepeſcamus, ſed ſemper ad anteriora nos extendamus, tui amore, & deſiderio perfectiùs tibi placendi & obſequendi.

10 Denique, fac nos PERSEVERANTES, vt in omnibus, quæ tibi ſunt placita, vſque in finem perſeueremus.

SEQVITVR EXPLICATIO VIRTVTVM SEPTIMÆ meditationi aſcriptarum, quæ ſunt, miſericordia, veritas, iuſtitia, gratitudo, liberalitas, magnificentia.

Pro miſericordia exercitium.

Miſericordiſſime IESV, quia vis, & ſicut potes, ſcis & vis, fac nos tui amore & imitatione, tuóque merito & dono, verè miſericordes,

FAc igitur, vt ſemper habeamus cor & animum promptum ad miſericordiam, & ad charitatiuè, pro tuo amore, impendendum opera miſericordiæ, tam corporalia, quàm ſpiritualia, omnibus proximis, amicis, & inimicis miſericordiæ capacibus, & hoc propter te, ſecundùm te, per te, & tecum, iuxta rectæ rationis dictamen, pro cuiuſque neceſſitate & noſtra facultate.

Fac igitur, vt affectu miſericordiæ & pietatis omnes,

1 Amemus, & dulci affectu proſequamur, tamen abſque inordinato amore.

2 Reuereamur & honoremus omnes, tanquam tuos filios, ad imaginem tuam creatos, benéque de eis iudicemus & ſentiamus.

3 Supportemus benignè defectus eorum, corporales & ſpirituales, abſque amaritudine & indignatione, & quantùm poterimus (ſalua iuſtitia) illos excuſemus.

4 Congratulemur eorum bonis, tanquam proprijs, & ea promoueamus, orando, exhortando, iuuando.

5 Condoleamus & compatiamur eorum malis, tanquam noſtris, & pro viribus conſolemur afflictos.

6 Arguamus & corrigamus eos fraternè, cum charitate, modeſtia, & prudentia, ſicut viderimus eorum ſaluti expedire.

7 Ignoſcamus ex corde offendentib. nos quouis modo, ſicut deſideramus à te nobis ignoſci.

8 Cuſtodiamus eos à peccato & ſcandalo, quantùm poterimus, ſolicitè præcauentes, ne vllo noſtro dicto, vel facto aliquem ſcandalizemus, aut peccādi occaſionē ei præbeamus.

9 Inſtruamus ignorantes, & conſulamus dubitantibus, propter te, & ſecundùm te, exemplo primùm, & deinde verbo, cùm licuerit.

10 Affabiliter & amicabiliter, cum omnibus conuerſemur, ſtudentes omnes amare, & ab omnibus amari, propter te, & ſecūdùm te.

11 Cōcordemus, & pacem habeamus cum omnibus, quantū abſque tua offenſa fieri poterit, & diſcordantes pacificare ſtudeamus.

12 Oremus deuotè pro omnibus, & offeramus nos tibi ad patiendum pro omnium ſalute, quicquid tu immiſeris, inſpiraueris, aut ſuper nos venire permiſeris, parati animas noſtras pro ſalute proximorum ponere,

quoties opus fuerit, tui amore & imitatione.

Opera etiam misericordiæ corporalia, aut re ipsa & actu, cũ poterimus, aut (si non possumus actu) saltem pio affectu, desiderio, oratione & fauore omnibus impendamus, orantes te vt subuenias, sicut vis, scis, & potes omnibus

1 Orphanis & viduis.
2 Pauperibus, & debitis grauatis.
3 Persecutionem patientibus.
4 Peregrinis.
5 Sitientibus.
6 Esurientibus.
7 Nudis.
8 Ægrotis,
9 Captiuis.
10 Mortuis & ánimabus purgandis.

¶ *Pro veritate exercitium.*

Veracissime IESV, quia vis, & sicut potes, scis, & vis, fac nos tui amore & imitatione, tuoq́; merito & dono, veraces

1 IN INTELLECTV, vt absque errore & falsitate, quæ scire debemus, verè sciamus & intelligamus.

2 Fac nos veraces IN CORDE, seu VOLVNTATE, vt nunquam optemus vel proponamus aliquid dicere contra veritatem.

3 Fac nos veraces, IN ORE, sic, vt nũquam falsum quid loquamur,

4 Nec mentiamur, aliud in ore, quàm in corde habentes.

5 Fac nos veraces, IN PROMISSIS, vt nihil promittamus absque voluntate illud exoluendi, & quæ iusta promisimus, fideliter reddamus.

6 Fac nos veraces, IN FACTIS ET SIGNIS, vt nihil per hypocrisim, simulationem, vel dolum agamus.

7 Fac nos veraces, IN FIDE ET DOCTRINA, vt quod verum est credamus, confiteamur & doceamus.

8 Fac nos veraces IN VITA ET CONVERSATIONE, vt veraciter, & non apparenter virtutes exerceamus & sectemur.

9 Fac nos veraces IN IVDICIIS, vt veraciter omnia diiudicemus, & à temerarijs & incertis iudicijs abstineamus.

10 Fac nos veraces IN IVSTITIA, vt sine acceptione personarum, vnicuique reddamus, quod æquitas postulat.

¶ *Pro iustitia exercitium.*

Iustissime IESV, quia vis, & sicut potes, scis, & vis, fac nos tui amore & imitatione, tuóque merito & dono, verè iustos, erga te primùm, sic, vt exhibeamus tibi

1 Fidem integram & constantem, in corde & ore.

2 Timorem continuum tuæ offensæ.

3 Spem & confidentiam in te.

4 Charitatem puram & feruentem.

5 Adorationem supremam, & reuerentiam.

6 Laudem, & gloriam.
7 Congratulationem.
8 Intentionem tibi placendi ante opus.
9 Obedientiam perfectam in omnibus.
10 Gratiarum actionem & oblationem, post quodlibet opus.

Erga nos, vt iusti simus, fac vt

1 Frequenter & diligenter examinemus, & discutiamus omnes nostras cogitationes, loquutiones & opera.

2 Agnoscamus nostrã vilitatem & multiplicem defectuositatem.

3 Nósque vilipendamus, & contemni desideremus & gaudeamus, ac sub omnibus nos humiliemus.

4 Odio habeamus nostram propriam voluntatem & malitiam.

5 Abnegemus eam, per subtractionem delectabilium non necessariorum.

6 Castigemus eam, per discretas pœnitentias.

7 Custodiamus nos à peccato, occasiones peccandi fugiendo.

8 Foueamus naturam & carnẽ nostram, quantùm expedit ad hoc, vt tibi seruiamus, necessaria ei non denegando.

9 Ea, quæ nostra vocatio, status, vel officium à nobis requirunt, tempore, loco, & modo debitis exequamur, & prohibita fugiamus.

Erga prælatos, vt iusti simus, fac vt

1 Amemus eos, propter te.
2 Reuereamur & honoremus.

3 Supportemus, & tegamus eorum defe-ctus, si quos habent.

4 Succurramus eis, si in aliquo nostro auxilio indigeant.

5 Oremus specialiter, pro eorum directione in omnibus.

6 Zelemur & defendamus eorum honorem & bonam famam, quantùm, salua iustitia, poterimus.

7 Quæramus ab eis consilium & directionem, humiliter & deuotè.

8 Credamus eorum consilio & sententiæ, nostrum proprium sensum sub eorum iudicio captiuantes & submittentes.

9 Obediamus eorum iussis & mandatis.

10 Patienter feramus, eorum correptiones.

Erga subditos, vt iusti simus, fac vt

1 Amemus eos, & in corde nostro reuereamur.

2 Exemplum bonum, eis præbeamus in omnibus.

3 Oremus iugiter, pro illorum salute.

4 Instruamus eos, & dirigamus prudẽter.

5 Exhortemur & excitemus eos, ad perfectiora semper.

6 Subueniamus promptè & benignè eorum veris indigentijs.

7 Custodiamus eos à peccato.

8 Corripiamus eos delinquentes.

9 Consolèmur tentatos & afflictos.

10 Animas nostras, si opus sit, pro eorum salute ponamus.

Erga omnes, vt iusti simus, fac vt

Omnibus, etiã inimicis, exhibeamus amorem & beneuolentiam, propter te, & secundùm te, consilium boni exempli, & sanæ doctrinæ, auxilium orationis, & piæ subuentionis, & omnia misericordiæ opera, quibus indiguerint.

¶ *Pro gratitudine exercitium.*

Gratissime IESV, quia vis, & sicut potes, scis, & vis, fac nos tui amore & imitatione, tuoq; merito & dono, verè gratos erga te, sic vt

1 Recogitemus & attendamus omnia beneficia, nobis, vel cuicunque creaturæ impensa.

2 Ascribamus ea omnia tibi, & de manu tua immediatè recipiamus omnia bona nobis à quocũque facta.

3 Indignos nos agnoscamus omnibus bonis, eáque ex mera & gratuita tua liberalitate nobis impendi credamus & confiteamur.

4 Adoremus te, supremæ latriæ cultu, pro his omnibus, recognoscentes & confitentes, te primum & præcipuum horum omnium autorem & conseruatorem esse.

5 Laudemus te pro his, & te solùm inde laudari desideremus.

6 Amemus te feruentiùs, ex horum consideratione.

7 Congratulemur tuæ liberalitati, & de

bonis acceptis eatenus gaudeamus, quatenus hæc cedunt ad tuam gloriam, & nos ad tibi dignè seruiendum confortant, non quatenus nobis sunt vtilia.

8 Operemur in acceptis donis, iuxta tuam voluntatem, & lucrum ac fructum ex illis facere studeamus.

9 Lucrum omne quod fecerimus, tibi ascribamus, & humiliter offeramus, reputantes & confitentes nos semper seruos inutiles, & imperfectum nostrum iugiter arguentes.

10 Offeramus nos totos tibi in omne obsequium, iuxta supremum beneplacitum tuum, optemúsque omnes sic tibi gratos esse, & ad hoc eos prouocemus, quantùm poterimus.

Erga alios benefactores nostros.

1 Fac etiam nos sic gratos, vt eos reputemus tanquam tuos dispensatores, per quos tu nobis benefacis.

2 Et propter te, illos amemus & honoremus.

3 Agnoscamus & confiteamur, cum gratitudine, beneficia nobis ab illis impensa.

4 Obsequio grato, aut reciproco beneficio (si indiguerint & præstare illud poterimus) gratos nos comprobemus.

5 Et quod opere non potuerimus, oratione & bona voluntate id suppleamus.

¶ *Pro liberalitate exercitium.*

Liberalissime IESV, quia vis, & sicut potes, scis, & vis, fac nos tui amore & imitatione, tuoq; dono & merito verè liberales,

Fac igitur, vt

1 Amanter, ex vero tui amore.

2 Volunrariè & liberè, absque coactione & necessitate.

3 Hilariter, cum gaudio spirituali, & absque tristitia.

4 Gratis & liberaliter, absque intuitu & expectatione retributionis & mercedis.

5 Integrè & perseueranter, offeramus nos totos, nostráque omnia semper & vbique, tibi Deo superamandissimo, & omni obsequio, propter te, superdignissimo.

6 Ad omne tuum beneplacitum, & gratum obsequium, in recognitionem tuæ bonitatis & beneficentiæ.

7 Offeramus nos ad omnẽ ignominiam, penuriam & crucem tolerandam ex consideratione peccatorum nostrorum.

8 Offeramus nos, ad orandum & impendendũ nos totos pro salute & subsidio proximorũ, ex consideratione miseriarũ illorum.

9 Denique fac, vt absq; cupiditate & auaritia, absque tenacitate, & absque prodigalitate, omnium veris indigentijs, maximè spiritualibus, succurramus, amãter, liberaliter & prudẽter, propter te, & secũdùm te, pro nostra facultate & rationis vero dictamine.

Pro

¶ *Pro magnificentia exercitium.*

Magnificentiſsime IESV, quia vis, & ſicut potes, ſcis & vis, fac nos tui amore & imitatione, tuoque merito & dono, verè magnificos, ſic vt.

1 Magna & conſtanti fide, in te credamus.

2 Magna de te ſperemus, & magnificè in te confidamus.

3 Continuè, ardenter, & ſummè te deſideremus.

4 Amemus te magnifico & præcipuo amore.

5 Obediamus tibi, & tuis propter te heroicè, in rebus etiam difficillimis.

6 Magna pro tui amore dimittamus, omnibus propter te renunciantes.

7 Magna propter te operemur, non languentes circa præcepta communia: ſed ad ſublimia virtutum & conſiliorum exercitia nos extendentes.

8 Magna pro te pati deſideremus, & parati ſimus tolerare.

9 Magnificemus & ſuperexaltemus te, ſemper & præ omnibus.

10 Magnificè tandem fruamur tua diuinitate, & in tua vnione quieſcamus.

ANNOTATIO.

Nota, hic magnificentiam non ita propriè sumi, vt à scholasticis, sed communiùs, sic vt complectatur omnia, quæ ex animi magnitudine magna & sublimia fiunt.

SEQVITVR EXPLICATIO virtutum octauæ meditationi ascriptarum, quæ sunt, temperantia, continentia sensuum, cordis munditia, & contemplatio.

¶ *Pro temperantia, & continentia sensuum, exercitium.*

Temperantiæ & continentiæ amator, pijssime IESV, quia vis, & sicut potes, scis & vis, fac nos tui amore & imitatione, tuóque merito & dono verè sensuum continentes, sic vt,



Ihil, nisi propter te, & secundùm te, desideremus, consentiamus, vel delectemur, audire, videre, vel legere, olfacere, gustare, loqui, vel tangere, apprehendere, imaginari, æstimare,

memoria retinere, vel recolere, agere, pati & relinquere: ſed ab omnibus aliis, quæ non propter te, neque ſecundùm te, ſenſibus noſtris occurrerint, ſenſus noſtros interiores & exteriores, omniaque membra noſtra contineamus & abſtrahamus, omniaque naturæ & ſenſualitatis ſolatia, non neceſſaria, neque tibi placita, abiiciamus & fugiamus, & noſtros ſenſus tecum diſcretè coaffligamus, ſicut inſpiraueris, aut volueris, vel permiſeris.

¶ *Pro cordis munditia exercitium.*

Munditiæ cordis amator & largitor piiſsime IESV corde mundiſsime, quia vis, & ſicut potes, ſcis, & vis, fac nos tui amore & imitatione, tuóque merito ac dono verè mundicordes, quod vt aſſequamur,

1 Purga & præſerua memoriam noſtram, à vanis & vitioſis recordationibus & imaginibus.

2 Ab obliuione ſalutarium.

3 Ab inſtabilitate & multiplicitate.

Purga & præſerua intellectum noſtrum,

4 Ab ignorantia vitioſa rerum ſalutarium.

5 Ab errore, & falſitate.

6 A ſuſpi

6 A ſuſpitionibus, & iudicijs ſiniſtris & temerarijs.

7 A perplexitate, & ſcrupuloſitate.

8 A curioſa, & altiori perſcrutatione rerum diuinarum.

9 A ſuperflua, & vana rerum inutilium & noxiarum conſideratione.

Purifica & præſerua affectum, ab inordinatis paſſionibus.

1 Amoris.
2 Deſiderij.
3 Deſperationis.
4 Spei.
5 Gaudij.
6 Odij.
7 Horroris.
8 Metus.
9 Audaciæ.
10 Triſtitiæ.
11 Et Iræ.

Et da vt ea tantùm quæ tu vis, & ſicut vis.

1 Recolamus & recogitemus, vtiliter & ſtabiliter.

2 Diſcernamus, prudenter.

3 Intelligamus, veraciter & clarè.

Quæcunque autem tibi placita eſſe cognouerimus,

4 Ea verè bona iudicemus, & prædicemus.

5 Amemus, acceptemus & desideremus.
6 Desperantes de nobis, de te illa speremus.
7 Magnanimiter & fortiter illa prosequamur, & quæramus.
8 Gaudeamus in te, postquam ea consequuti fuerimus.
9 Gratiasque tibi pro his agamus, & vtamur illis, iuxta tuum beneplacitum.
10 Ad anteriora obsequia, nos semper extendamus.

Ea verò, quæ tibi displicere intellexerimus.

1 Verè mala iudicemus, & prædicemus.
2 Odio habeamus, & horreamus.
3 Metuamus, & præcaueamus solicitè.
4 Audacter & fortiter ea persequamur & fugiamus.
5 Doleamus de his, si euenerint.
6 Irascamur; & vindictam de his sumi desideremus.
7 Offeramus tuam passionem, pro eorum satisfactione.
8 Resignemus nos ad omnem pœnam pro illis subeundam, quamcunque immiseris, aut permiseris.
9 Pœnam aliquam discretam, voluntariè pro illis assumamus.
10 Renouemusque propositum contra illa.

¶ *Pro spiritus eleuatione & contemplatione exercitium.*

Contemplatiuorum altiſſime & eleuatiſsime IESV Domine, quia vis, & ſicut potes, ſcis,& vis, fac nos tui amore & imitatione, tuóque merito & dono, verè contemplatiuos,& ſpiritu eleuatos:quod vt fiat,

1 Memoriam noſtram purifica, & nuda ab omni creata imagine.

2 Reple tua diuinitate, vt nihil aliud præter te cogitet.

3 Stabili in tua præſentia, ſic vt

4 Stabiliter teipſum, per teipſum recolamus,& præſentem nobis ſentiamus.

5 Te adoremus, & ſummè reuereamur.

6 Téque ſecurè poſſideamus.

7 Intellectum noſtrum purga ab obſcuritate, & creaturarum actuali intelligentia.

8 Eleua & conforta, tuo glorioſo lumine.

9 Reple & clarifica, tua diuina veritate abſque ſpecie intermedia:vt ſic teipſum, per teipſum

10 Clarè, & facie ad faciem videamus.

11 Te laudemus, glorificemus, & ſuperexaltemus.

12 Téque admirantes, in te deficiamus, & intelligendo, ſine intellectu efficiamur.

Voluntatem denique noſtram totam, tua diuina charitate & bonitate purgans & perficiens.

1 Affice nos affectu tui amoris caſtiſſimo.

2 Succende nos, tui deſiderio feruentiſſimo.

3 Reple nos, tuo infinito gaudio.

4 Satia, tua fruitione beatifica.

5 Pota, torrente voluptatis tuæ.

6 Inebria ab vbertate domus tuæ.

7 Abſorbe, in tuæ diuinitatis abyſſum: ſic vt à noſtra operatione naturali deficientes, tuam duntaxat inactionem patiamur.

8 Transforma, in vnam tecum voluntatem, ſicut ferrum candens, in ignem transformatur.

9 Vni nos tibi, ſine medio inſeparabiliter.

10 Quieta & beatifica, vt in tua pace dormiamus & requieſcamus, ſicque tuum gaudium in nobis habere, & præclariſſimum opus tuum in nobis operari poſſis. Ad tuam gloriam ſempiternam, & omnium ſalutem.

SEQVITVR EXPLICAtio virtutum nonæ meditationi aſcriptarum, quæ ſunt, prudentia, ſapientia, eloquentia, ſimplicitas, puritas, pax & pacificatio.

¶ *Pro prudentia exercitium.*

Prudentiſſime IESV, quia vis, & ſicut potes, ſcis & vis, fac nos tui amore & imitatione, tuoque merito & dono, verè prudentes:

Sic, vt prudenter

1 INtentionem noſtram, ante opus dirigamus, & illud inchoëmus propter te, & ſecũdùm te, ad placendum tibi, & gratum obſequium tibi præſtandum.

2 Inquiramus in dubijs tuam voluntatem, primò per deuotam obſecrationem: deinde per internam & maturam tecum deliberationem.

3 Eligamus prudenter, quod tibi conformius, & noſtræ voluntati magis contrarium fuerit.

4 Conſulamus in grauioribus, humiliter & deuotè patres, aut prudentiores.

5 Credamus & acquieſcamus dociliter eorum conſilijs.

6 Debita nostri status & officij, prudenter aduertamus, rectè discernamus, eáque modo, tempore, & loco, debitis, perficiamus, medium virtutis in omnibus seruando.

7 Prouideamus futuris, absque solicitudine inquieta de crastino.

8 Discretionem spirituum à te recipiamus, per quã laqueos diaboli, & naturæ quæsitiones, errores & excessus cognoscam⁹ & vitem⁹.

9 Prudenter intelligamus præterita, sapiamus præsentia vtiliter, & nouissima prouideamus salubriter.

Pro sapientia exercitium.

Sapientissime IESV, quia vis, & sicut potes, scis & vis, fac nos tui amore & imitatione, tuóque dono & merito verè sapientes, sic vt cum sapore & gustu, singulis rebus conuenienti, singula sapiamus & intelligamus.

Fac igitur vt sapiamus

1 Tuam diuinam maiestatem & præsentiam, cum reuerentia.

2 Tuam æquitatem & sanctitatem, cum timore.

3 Tuam sapientiam & gloriam, cum laude & admiratione.

4 Tuam bonitatem, cum amore & gaudio.

5 Tuam charitatem & beneficentiam, cum grato obsequio.

6 Nostram vilitatem & nihileitatem, cum

humilitate cordis & noſtri contemptu.

7 Noſtram ingratitudinem & multiplicem erga te offenſam,cum odio,contritione & pœnitentia.

8 Gehennam & pœnam promeritam, cum tremore & fuga.

9 Mundi huius vanitatem & glóriam ac pompam,cum contemptu & abrenũciatione.

10 Gloriam æternam, cum ſpe & ardenti deſiderio.

11 Tuam, & proximorum paſſionem & miſeriam multiplicem, cum compaſſione & miſericordia.

12 Tuam, & proximorum proſperitatem & gloriam, cum congratulatione & gratiarum actione.

Et præſerua nos ab omni inſipientia & inſenſibilitate, à ſcientia, ſine charitate & affectu,quæ inflare potius ſolet,quàm prodeſſe,à ſtultitia, ne ſcilicet, quod bonum nouimus, contemnamus,vel malum cognitum, ſequamur.Nec mala,bonis,vel parua, magnis præferamus. Præſerua nos etiam ab omni malitia,ſeu mali affectu, (quem vincere debet ſapientia.)

¶ *Pro eloquentia Chriſtiana.*

Eloquentiſsime IESV, quia vis, & ſicut potes,ſcis & vis,fac nos tui amore & imitatione, tuóque dono & merito, verè & chriſtianè eloquentes,

Sic, vt loquamur ſemper

1 Maturè, abſque præcipitatione & inconſideratione.

2 Modeſtè ac humiliter, abſque clamore & vanitate.

3 Breuiter, abſque ſuperfluitate, & effuſione nimia.

4 Amanter & ardenter, ex ignito charitatis affectu, ſic, vt loquendo alios inflammare poſſimus, ad tui amorem & odium peccati.

5 Prudenter & diſcretè, pro qualitate loci, temporis, perſonarum & cæterarum circunſtantiarum.

6 Zelanter & conſtanter, cum zelo & intentione tui honoris, & ſalutis proximorum, fortiter & conſtanter ea, quæ ad hoc ſpectant, profitentes & enunciantes.

7 Affabiliter & honeſtè, cum ſerenitate vultus, & honeſta ac decenti membrorum compoſitione.

8 Copiosè, ad exhortandum & excitandum ſingulos ad ea, quæ ſunt tibi placita.

9 Moderatè, ad corripiendum delinquentes, cum modeſtia, ſic, vt non nimis exaſperentur.

10 Efficaciter, ad perſuadendum alijs, quod ſalubrè & acceptum tibi fuerit, cum virtute multa.

Atque vtinam non nos loquamur, ſed ſpiritus tuus in nobis loquatur, & faciat omnes ſermones noſtros, in gratia ſic ſale conditos diſcretionis, vt gratiam & ædificationẽ præſtent audientibus, detque nobis os & ſapientiam, cui non poſſint reſiſtere aduerſarij noſtri, ad tuam gloriam & omnium ſalutem.

§ Pro simplicitate exercitium.

Simplicissime IESV, qui cum simplicibus graderis, & conuersari delectaris, quia vis, & sicut potes, scis & vis, fac nos tui amore & imitatione, tuóque merito & dono verè simplices

1 In amore, vt te solum in omnibus, & omnia in te, simpliciter, sine multiplicitate amemus.

2 Fac nos simplices in intentione, qua te solum, tuíque honorem & beneplacitum in omnibus intendamus, quæramus, & pro fine præcipuo, & tota mercede omnium laborum nostrorum, expectemus.

3 Fac nos simplices in operatione, multiplicitatem distrahentem inter operandum fugientes, & tibi, propter quem operamur, per simplicem intentionem & introuersionem magis intendentes secũdùm spiritum, quam externæ rei, quam operamur, sic & anima, seu inferiori ratione opus externum dirigente, spiritus superior te sibi præsentem sentiat, tibíque intendat, & ex te aduertat, quid, quando & quomodo agendum, vel cessandum sit.

4 Fac nos simplices in loquutione, absque affectata curiositáte & eloquentia mundana, ac sine dolo & duplicitate loquentes simpliciter & veraciter.

5 Fac nos simplices in iudicijs, oculo simplici omnia aspicientes, & in meliorem par-

tem,quantum (salua veritate) possumus, interpretantes.

6 Fac nos simplices in omnibus occurrentibus, tam aduersis quàm prosperis, omnia simpliciter & immediatè de paterna tua prouidentia, & benigna dispositione, cum gaudio suscipientes & recipientes.

7 Omniáque ad tuam tuàm laudem & gloriam referentes.

8 Et ex omnibus fructum aliquem elicere & percipere satagentes.

9 Fac nos simplices, in omni vita & conuersatione nostra, simpliciter, & sine duplicitate & sine simulatione ambulantes & viuentes.

10 Fac nos simplices, in meditatione & contemplatione, sic vt clausis & introuersis sensibus & viribus intra nos, in tua præsentia maneamus, simplicique & nuda cogitatione, amore & desiderio, vni tibi simplici Deo adhæreamus & vacemus, donec in tuam transformemur simplicitatem & vnionem beatificam.

¶ *Pro puritate & pudicitate, exercitium.*

Purissime & pudicissime IESV, quia vis,& sicut potes, scis & vis, fac nos tui amore & imitatione, tuóque merito & dono, verè puros & pudicos, sic vt

1 Solicitè semper vitemus & abiiciamus,

quicquid puritatem mentis, vel corporis castitatem maculare vel impedire ſolet.

2 Purè & caſtè amemus te, non propter tua dona, aut præmia repromiſſa principaliter te diligentes, ſed propter te, videlicet, quia ſuperoptimus es, & omni amore & obſequio ſuperdigniſſimus, & quia ſic vis purè amari.

3 Purè amemus nos, propter te & ſecundùm te.

4 Purè etiam amemus omnes proximos in te, propter te & ſecundùm te, omni impuro amore prorſus pulſo & fugato.

5 Purè creaturas omnes amemus, in te, & propter te, illis tantùm vtentes ad honorem tuum, & iuxta ſupremum beneplacitum tuum.

6 Purè omnia agamus, dimittamus & patiamur propter te, & ex amore ſincero, quia vis, & gratum habes hæç nos agere, dimittere vel pati.

7 Purè virtutes ipſas quæramus, propter te, quia vis & ſicut vis vt illas quæramus, petamus & à te recipiamus.

8 Purè virtutum exercitia operemur, abſque vlla admixtione vitij cuiuſcunque, & abſque vlla proprietate.

9 Purè quoque ipſam tuam gloriam & beatitudinem quæramus, & expectemus, propter te, quia ſcilicet vis & ſicut vis vt illam petamus & conſequamur ad tuam gloriam.

10 Denique ſic nunc puro & mundo corde caſtóque corpore tibi ſeruiamus, vacemus & adhæreamus iugiter, vt cùm puris & caſtis

tuis virginibus, & omnibus beatis angelis & ſanctis, tibi tandem agno immaculato & puriſſimo, per incorruptionem proximi ſimus, téque ſequamur quocunque ieris, ad tuam gloriam ſempiternam.

¶ Pro pace interna exercitium.

Pacatiſſime IESV, cui in pace factus eſt locus, quia vis, & ſicut potes, ſcis & vis, fac nos tui amore & imitatione, tuóque merito & dono, verè pacatos, quietos & tibi vnitos, ſic vt

1 Charitatis glutino, tibi ſemper vniti adhæreamus.

2 Pacem in te, in omni euentu, & in omni etiam preſſura & tribulatione, habeamus, per ſecuram in te confidentiam, & plenam reſignationem.

3 Maturè & modeſtè, abſque immoderato impetu, omnia perficiamus.

4 Tranquillè & liberè, abſque anxietate & inquietudine nimia, cum ſpiritus libertate omnia operemur.

5 Solicitudinem omnem, quæ perturbare nos poſſet, & liberam in te introuerſionem impedire, abiiciamus, & in te proiiciamus, cui cura eſt de nobis pluſquàm paterna.

6 Diſcurſus multos, variáque conſilia & lectiones, ac ſtudia multiplicia, non amemus nec ſectemur.

7 Sed tibi potius, per introuerſionem &

orationem continuam, intendere & vacare ſimus ſoliciti,quandiu obedientia,vel charitas,aut propria neceſſitas non requirunt aliud à nobis fieri.

8 Studeamus ſemper ſolicitè, quid intus nobis loquaris, & quid à nobis exigas, quicquid ſit tibi acceptius, in omni loco & tempore.

9 Vniamus & conformemus voluntatem noſtram tuæ diuinæ voluntati,tam in aduerſis,quàm in proſperis,ſic vt nihil prorſus velimus aut nolimus,quàm quod tu vis nos velle aut nolle.

10 Sicque in tua pace, quæ ſenſum omnem exuperat, in idipſum incommutabile & æternum bonum,quod tu ipſe es,dormiamus nunc, & in æterna beatitudine requieſcamus ad tuam gloriam ſempiternam.

¶ *Pro pacificatione exercitium.*

Pacifice IESV,quia vis,& ſicut potes,ſcis & vis,fac nos tui amore & imitatione, tuóque merito & dono,verè eſſe pacificos. Tecum in primis,

Quod vt fiat, da vt

1 Peccata omnia (quæ ſola, nos à te diuidunt, & pacem noſtram tecum interrumpunt) prorſus abiiciamus.

2 Per veram & amoroſam contritionem de commiſſis.

3 Per integram & puram de illis confeſſionem.

4 Per dignam & congruam satisfactionem tuæ passioni vnitam.

5 Per occasionum peccandi substractionem & fugam, solicitámque cautelam, ne in futurum peccemus.

6 Per fidelem, simplicem & integrã obedientiam in omnibus, quæ à nobis, per teipsum, vel per tuos vicarios superiores nostros, exigis & requiris.

Et vt nobiscũ pacifici simus, fac vt

7 Corpus nostrum & membra omnia, cogamus seruire spiritui & iustitię, ad iustitiam & tuam gloriam.

8 Appetitũ inferiorẽ, rationi subiiciamus.

9 Rationem & intellectum, in obsequium fidei & simplicis obedientiæ, captiuemus & submittamus.

10 Voluntatem nostram, tuæ, & tuorum vicariorum voluntati omnino subdamus & conformemus.

11 Corde, lingua & opere concordemus, quod credimus, & prædicamus agendum vel fugiendum, opere ipso agentes vel fugientes.

Vt autem cum proximis pacifici simus, fac vt

1 Nunquam cum aliquo, temerè contendamus, aut nostram sententiam, contentiosè & pertinaciter defendamus.

2 Sed pacificè, quid sentiamus, eloquentes, alios sinamus credere quod voluerint.

3 Cedamus aliorũ sententiæ potius, quàm contentioni deseruiamus, vbi, salua veritate & iustitia, id poterimus.

4 Caueamus ſolicitè ne aliquem offendamus, vel ſcandalizemus vllo noſtro verbo, ſigno vel facto.

5 Si aliquem putemus offenſum, vel ſcandalizatum ex aliquo noſtro dicto, ſigno vel facto, etiamſi non intenderimus illum offendere, vel ſufficiẽtem fortaſſe cauſam ſe ſcandalizandi, ei non dederimus, eum tamẽ præueniamus, & prima opportunitate quæſita & inuenta, conemur ei ſatisfacere, eumq; placare, niſi fortè ex malitia & pertinacia, ſe de bono opere ſcãdalizaret. Tale enim ſcandalum eſt contemnendum, tuo exemplo, qui de Iudæis ſe ſcandalizantibus ex doctrina tua, dixiſti: Sinite eos, cæci ſunt, & duces cęcorum: ſcandalum autem puſillorum, fac vt vitemus, & ſi qui infirmi, de noſtro bono opere ſcandalizati fuerint, per nos modeſtè admoneantur & informentur de bonitate & vtilitate noſtri operis, qui ſi perſeuerauerint ſcandalizari, tunc ſunt relinquendi.

6 Si autem aliquem verè læſerimus, & iniuſtè offenderimus aut cõtriſtauerimus, verbo, ſigno vel facto, da vt ſtatim, prima opportunitate quæſita & inuenta, humiliter, & non fictè, neque lingua tantùm, ſed corde, veniam ab eo petamus, & prout æquitas poſtulauerit, ei ſatisfaciamus, eúmque placare, & nos cum eo reconciliare ſtudeamus.

ANNOTATIO.

Hîc tamen aduertendum eſt, quod ſi prælatus aliquis, zelo iuſtitiæ ſubditum delinquentem corrigens, exceſſerit in verbo, duriori aut ſeueriori correptione, non tenetur veniã à ſubdito poſtulare, ſed coràm Deo culpã ſuã agno-

ſcere,

ſcere & punire, & ſe poſtea magis affabilẽ, & benignum erga ſubditum, quẽ læſit, exhibere.

7 Eis verò, qui quouis modo nos offenderint, ſtatim ex corde ignoſcamus, & omnem eorum offenſam contra nos ſic illis dimittamus, vt in corde nullam retineamus erga eos diſplicentiam, amaritudinẽ, indignationem, iram vel odium, ſicut à te volumus & petimus nobis ignoſci.

8 Nullúmque prorſus ſignũ rancoris, odij vel indignationis eis oſtendamus, ſed eos propter te, & ſecundùm te amemus, tanquam tuæ erga nos paternę caſtigationis miniſtros, & pro eis ſpecialiter te exoremus.

9 Et quodcũque beneficiũ illis pro ſua ſalute præſtare poſſe nos putauerimus, quæſita & inuenta occaſione, illis præſtemus & exhibeamus.

10 Si autẽ probabiliter putauerimus, quod eos præueniendo, & per nos viſitando & alloquendo lucrari eos poſſumus, & ad ſuæ culpæ cognitionem, & emendationem adducere, aut certè auferre de corde eorum, affectum malum, quem erga nos conceperunt, nõ differamus eos viſitare, præuenire & alloqui dulciter & amicè.

11 Aut ſi per aliquem aliũ illis familiarem, vel amicũ, hoc meliùs fieri putauerimus, per illum id fieri rogemus & procuremus.

12 Quod ſi nec ſic placari, & à malo erga nos affectu retrahi voluerint, nos tamẽ, quantùm in nobis eſt, ſincera charitate eos propter te amantes, & tuæ paternæ prouidentiæ, & benignitati eorum curam committentes, pacem cum illis internam & externam ſer-

uemus,vt cum his etiam,qui oderunt pacem, pacifici esse possimus.

Fac etiam pacifice IESV, vt non solùm cum proximis, sed etiam inter proximos pacifici esse studeamus, sic vt

1 Oremus instanter pro discordantium pace.

2 Exhortemur,aut per magis idoneos exhortari curemus ad pacem & concordiam, eos, qui inter se discordant.

3 Alloquamur sigillatim eos,bonum affectum alterius erga alterum, singulis eorum renunciantes, & alterumalteri excusantes,ac omni modo nobis possibili,ad pacem & concordiam eos renouare, satagentes.

4 Susurrones autem & detractores,ac discordiam seminantes, vel fouentes,omni studio persequamur & impediamus.

Et vt inter te Deus bone, & peccatores homines pacem faciamus, da vt

5 Oremus te deuotè & instanter,pro peccatorum omnium conuersione, pœnitentia, iustificatione, & reconciliatione tecum.

6 Exhortemur & excitemus eos ad conuersionem & pœnitentiam agendam, exemplo, verbo & omni modo nobis possibili, & quod per nos facere non possumus, per alios fieri procuremus & gaudeamus.

7 Offeramus tibi pro eorum conuersione & satisfactione,tuæ vitæ & passionis,sanctorúmque

rúmque tuorum merita, maximè in ſacratiſſimo miſſæ ſacrificio.

8 Offeramus etiam pro eis, noſtros pios labores, & exercitationes, tuis vnitas & immerſas.

9 Et quæcunque nobis occurrerint aduerſa, in vnione tuæ paſſionis, dulciter ea pro peccatorum reconciliatione toleremus, & offeramus tibi ſimul cum tuis & ſanctorum tuorum paſſionibus.

10 Sicq; in tempore iracundiæ, efficiamur inter te & peccatores reconciliatio, ad tuam ſempiternam gloriam, & iuxta tuum beneplacitum & deſiderium, quo ſalutem animarum tantopere concupiſcis.

SEQVITVR EXPLICATIO virtutum decimæ & vltimæ meditationi aſcriptarum, quæ ſunt, Tolerantia paſſionum propter iuſtitiam, innocentia, ſecuritas, finalis perſeuerantia.

Pro tolerantia afflictionum propter iuſtitiam exercitium.

Afflictiſſime IESV, quia vis, & ſicut potes, ſcis, & vis, fac nos tui amore & imitatione, tuoq; merito & dono, perſecutioné pati propter iuſtitiam, da igitur & fac, vt

1 CRedamus & ſentiamus acceptiſsimum tibi eſſe, & nobis vtiliſsimum, vt aliquid propter iuſtitiam patiamur.

2 Ac propterea, hoc tui amore & imitatione deſideremus feruenter, & petamus inſtanter.

3 Diffidentes tamen prorſus de nobis, obſecremus te iugiter & confidenter, vt non ſinas nos tentari ſupra id quod poſſumus, ſed facias cũ tẽtatione prouentũ, vt poſsimus ſuſtinere quicquid ſuper nos venire permiſeris.

4 Patiamur ergò propter iuſtitiam fidei, conſtanter coram infidelibus & hæreticis fidem noſtrã verbo & opere profitentes, quantumcunque nos afflixerint.

5 Patiamur propter vitæ Chriſtianę iuſtitiam, præcepta tua & virtutum tibi placitarum exercitium, noſtræq́; profeſsionis, & officij vota & debita conſtanter & fortiter implentes, & nulla propter hoc aduerſa formidantes.

6 Patiamur propter iuris æquitatẽ, ad hoc laborantes, & propter hoc pœnam omnẽ & laborem hilariter ſuſtinentes, vt vnicuique quod æquum & iuſtum eſt, tribuatur.

7 Videlicet, vt tibi & tuis vicarijs, in dignitate per te, & pro te conſtitutis, debita reuerentia & obedientia deferatur.

8 Subditis verò à ſuis prælatis ſubuentio, cuſtodia, & diſciplina exhibeatur.

9 Æqualibus, & proximis omnibus, ab æqualibus & alijs proximis amor, & miſericordiæ corporalis & ſpiritualis opera, propter te, & ſecundùm te præſtentur.

10 Propter hæc, da vt patiamur à nobis voluntarios labores & pœnitentias, per nos discretè assumendas, cum tuo vel patris spiritualis consilio, idq; hilariter & voluntariè.

11 A te patiamur, quascunque immiseris, infirmitates, amicorum mortes, damna rerum aut alia aduersa, quæ per te ipsum, aut occultam causam super nos, vel nostros venire volueris, & hoc, cum gratiarum actione, & gaudio.

12 A quibuslibet proximis vel inimicis, quascunque permiseris tribulationes, iniurias & cruces, cum patientia, mansuetudine, & benignitate toleremus.

Da etiam benignissime IESV, & fac, vt aduersa omnia, vndecumque occurrerint, in vnione tuarum passionum patiamur, cum

1 Iugi laude, & gratiarum actione, laudantes semper tuam paternam prouidentiam & benignitatem, qua omnia aduersa ordinas in salutem diligentium te.

2 Et gratias agentes, pro tuæ huius paternæ voluntatis impletione, & pro omni bono & fructu multiplici, propter quem aduersa nobis immittis, aut permittis euenire.

3 Patiamur aduersa, cum humilitate & obsecratione, humiliter agnoscentes, nos maiora pro peccatis nostris meruisse, & nostris viribus vel industria non posse ista dignè sufferre.

4 Ac propterea obſecrantes te, vt peccata noſtra plenè per tuam paſſionem deleas ac remittas, & gratiam & virtutem nobis dones, qua aduerſa iſta vſque in finem dignè poſſimus ſufferre.

5 Patiamur omnia, cum confidentia & reſignatione, cõfidentes quòd tu peccata nobis dimittis, & gratiã ad ſuſtinenda aduerſa conferes, eademq; in bonum noſtrum cõuertes.

6 Atque propterea nos fiducialiter, plenè & integrè tibi reſignantes, & òmnem ſolicitudinem noſtram in te proiicientes, parati recipere & ferre, quicquid volueris aut permiſeris.

7 Patiamur omnia, cum charitate & gaudio, hoc eſt, cum chara, pretioſa & amoroſa noſtræ voluntatis cum tua voluntate vnione, concordia, & conformatione.

8 Et cum ſpirituali gaudio, inde reſultante, & ex eo etiam quod tua voluntas circa nos impletur.

9 Patiamur omnia, cum pace & patientia, hoc eſt, cum interna mentis tranquillitate & quiete, ex vera & integra cum tua voluntate concordia procedente.

10 Et abſque inordinata triſtitia, impatientia, & deiectione nimia.

1 Patiamur omnia, cum lõganimitate forti, & manſuetudine ſuaui, non deficientes in tribulationibus per diffidentiam aut impatientiam, propter diuturnitatem tribulationum, & dilationem conſolationis, ſed perſeueranter in te confidentes, & te longanimiter expectantes, viriliterque agentes & te ſuſtinentes.

2 Atque per ſuauem manſuetudinem expellentes omnem iram,amaritudinem,indignationem,murmur & maleuolentiam erga eos, quos putamus eſſe cauſas noſtræ afflictionis.

3 Patiamur aduerſa, cum bonitate & benignitate,retinentes bonam voluntatē & deſiderium benefaciendi his qui nos perſequūtur & affligunt.

4 Et ex benignitate atque beneficentia, exhibentes illis beneficium, quando indigēt, & occaſio ſeſe offert.

5 Patiamur omnia, cum fide, credendo & confidendo, quod nos non deſeres vſquequaque.

6 Et cum fidelitate, qua fidenter tibi adhæreamus,propoſita & exercitia ſancta,tempore tribulationis non deſerentes, nec ad externas conſolationes immoderatè nos ſic conuertentes,vt à te infideliter recedamus.

7 Patiamur etiam, cum modeſtia, ſic vt numquam de nobis præſumamus: nec aliquid vltra gratiam & virtutem,à te nobis cōceſſam,attentemus, nec ſuperbiamus,aut vanè gloriemur de noſtra patientia.

8 Patiamur omnia,cum continentia, quâ ſenſus noſtros,& vires omnes animæ & corporis, à noxijs, & vanis, & ſuperfluis oblectationibus viriliter & cum laborioſo ſtudio abſtrahamus & contineamus.

9 Et cum caſtitate,hoc eſt,cum tranquilla mentis & corporis puritate, & cordis munditia.

10 Patiamur omnia, cum innocentia, ſic vt in nullo peccati affectu cuius verè nos

non pœniteat) maneamus : nullasque iustas occasiones affligendi nos, demus his qui nos persequuntur, in nullo eos lædentes vel prouocantes, nec etiam patiamur, vt fures & homines, propter crimina per nos perpetrata, (quamquam & propter hæc, libenter pœnam sustinere, laudabile sit) sed propterea quod iustitiam sectamur & defendimus.

1 Patiamur etiam, cum securitate, non timentes eos, qui corpus possunt occidere, vel bona diripere : sed te solùm, qui potes animam & corpus in gehennam mittere, & qui dignissimus es, quem nos, vel in minimo offendere, solicitè semper timeamus & præcaueamus, propter tuam infinitam bonitatem, perfectionem & benignitatem. Timorem ergo persequentium nos, vel aliorum quorumcunque, nos habeamus, sed te solum offendere timeamus, & in cordibus nostris te sanctificemus: atque in tua protectione, & paternæ voluntatis tuæ dispositione & prouidentia, securè confidamus.

2 Patiamur omnia, cum prudentia cordis, qua recta intentione, propter te, & secundùm te, omnia patiamur.

3 Et per quam, inter patiendum, prudenter & honestè nos geramus.

4 Et remedia congrua, tibi placita, assumamus, tantùm propter te, secundùm te, per te, & tecum.

5 Nec decipiamur insidijs & falsis suasionibus hostium, vel aliorum.

6 Patiamur etiam, cum sapientia oris, sic vt des nobis inter patiendum os & sapientiã, quando opus fuerit, cui non possint resistere

aduerſarij noſtri, ſicut promiſiſti tuis Apoſtolis, quando ad patiendum eos mittebas, inter lupos.

7 Patiamur omnia, cum ſimplicitate columbina, abſque malignitate, duplicitate, dolo, & abſque voluntate aut intentione quemquam fallendi, vel cuiquam nocendi.

8 Denique patiamur, cum finali perſeuerantia, ſcilicet vſque in finem tribulationis, & præſentis vitæ: quandiu tibi placuerit aduerſis nos exercere, purgare & probare, nullam ab huiuſmodi tribulationibus quærendo liberationem, niſi quando & ſicut te velle putauerimus. Sic ergò cum his fructibus Spiritus ſancti, aduerſa omnia patiamur: vt per ſingula momenta poſſimus illum fructum percipere, ad quem illa ab æterno præordinaſti, & quem tuis paſſionibus nobis promeruiſti, ad tuam gloriam, & omnium ſalutem, Amen, IESV Benigniſſime, quia vis, & ſicut potes, ſcis & vis.

PRAEFATIO

IN TRACTATVM DE Contemplatione, ex V. patre Dionysio Cartusiano collectum.

Quia tertius iste Tractatus exercitiorum spiritualium pertinet ad puram contemplationem, & superaltissimæ Trinitatis adorationem & glorificationem: ideo vtile duximus præmittere ei quendam alium tractatum, ex libello De Cōtemplatione V. patris nostri Dionysij Cartusiani, *per nos collectū & compilatum, seruatis eiusdem auctoris verbis & sententijs, sed ordine & modo, nostro proposito accommodatis. Quem per 14. Capitula distinximus: in quibus hæc continentur & declarantur.*

Capitula sequentis Tractatus.

TRACT



TRACTATVS
DE CONTEMPLATIONE in generali, & ſpecialiter de ſuperſanctiſſimæ Trinitatis conſideratione.

Ex V.P.Dionyſij Cartuſiani ſcriptis collectus.

Quid ſit vita Contemplatiua, & quæ vera Contemplatio.

CAPITVLVM I.



Ita Contemplatiua ea propriè dicitur & eſt, cuius finis non eſt opus externum, ſed ipſa veritatis cognitio & cõtemplatio ſincera, affectuoſa & charitate formata, quæ nõ refertur ad aliud, ſed eſt rationalis creaturæ finis & beatitudo, cuius actus, ad intellectum ſpeculatiuum pertinet, ſed eius complementum & forma perficitur in voluntate, per charitatẽ, ſicut æterna beatitudo quam expectamus, eſt formaliter viſio Dei clara:

completiuè autem, eſt eius fruitio beatifica. Vita autem actiua dicitur, cuius finis immediatus ac proprius, eſt opus ſeu actio exterior; & hæc pertinet ad intellectum practicũ.

Contemplatio quid ſit. Contemplatio etiam propriè ſumpta, eſt diuinitatis, & eorum quæ ad eadem referuntur, affectuoſa, prompta atque ſincera cognitio & conſideratio. Igitur contemplatio primò & maximè concernit ipſam diuinitatem, cuius cognitio debet eſſe finis omnium ſcientiarum & notitiarum, iuxta illud, noſſe te, conſummata eſt ſapientia. Nihilominus ad contemplationem etiam ſpectat, conſideratio creaturarum per habitudinem & reſpectum ad Deum, ſecundùm quod ab ipſo profluunt originaliter: gubernantur prouidentialiter, & ad ipſum finaliter tendunt. Ob id enim Deus vniuerſitatis machinam tam pulchriformiter adornauit, tam ſapienter diſtinxit, tam mirabiliter in proprio loco collocauit, tanta magnitudine, multitudine, & virtute impleuit, vt ex horum omnium conſideratione, eius maieſtas à nobis adoretur, eius ſapientia, pulchritudo, bonitas ac poteſtas & opulentia iugiter honoretur, laudetur, ametur atque glorificetur.

Affectuoſa autem eſſe debet contemplatio, tùm quia eſt actus ſapientiæ (quæ donum eſt ſpiritus ſancti, quo cum ſapore & guſtu diuina cognoſcimus & contemplamur) tum quia vera contemplatio, debet eſſe in charitate formata, virtuoſiſque actibus perornata. Sine his enim, frigida, ſterilis & informis conſiſtit, nec nomen contemplationis meretur.

Prompta etiam & facilis debet esse contemplatio, vt tãquam ignis celeriter ac libertimè ad diuina contemplanda in superna se erigat, creaturísque relictis, ad creatorem pertingat. Est enim (secundùm Hugonem) contemplatio, perspicax & liber animi contuitus, in res perspiciendas vsquequaque diffusus. Et (secundùm D. Bernardum) est verus certúsq; animi intuitus de quacunque re.

Postremò, contemplatio debet esse sincera & limpida, vt nec passioni, nec culpæ, nec errori sit mixta, sed sit purgati animi certa & clara veri notitia.

Ad contemplationem verã quatuor requiruntur.

1 Igitur ad veram contemplationem, quatuor hæc requiruntur, Charitas, seu actualis Dei dilectio, quæ est vita animæ; eam cum Deo coniungens.

2 Secundum, iussio seu intentio voluntatis, quæ actum contemplatiuum ex dilectione iubet, vel intendit & vult fieri.

3 Tertium, ipsa contemplatio seu speculatio diuinorum, in qua formaliter consistit contemplatio & vita contemplatiua.

4 Quartum, delectatio consequens, ornans & complens contemplationis actum. Non tamen requiritur quod hæc delectatio sit sensibilis seu perceptibilis, sed sufficit, quod sit verum intellectualeq; gaudium, seu complacentia voluntatis rationalis, in actu contemplandi.

CAPITVLVM II.

¶ *Qui aptiores sint ad contemplationem.*


VI naturaliter quieti & modesti spiritus sunt, ad contemplatiuam vitam sunt aptiores, si tamen suis naturalibus bene vtantur, & Dominum iugiter orent, quatenus per dona gratiæ perficiat in eis bona naturæ. Veruntamen qui naturaliter sunt inquieti, si in statu perfectionis acquirendæ, putà in religione sunt constituti, non debent propterea à contemplatione cessare, sed iugiter orare pro gratia emendandi suos defectus, & sibi ipsis bonam violentiam facere, intendendo solitudini & quieti, orationi & meditationi, donec gratiæ incrementum suppleat naturalem ineptitudinem. Discretio tamen illis est pernecessaria, ne sub fasce ruant.

Qui etiam tàm naturali, ingenuo ac proprio studio, quàm gratiæ Dei adiutorio, ac fidei illustratione, habent de diuinis notitiam, cæteris paribus, sunt ad contemplationem magis idonei, gratia enim non tollit naturam, sed perficit, tantóque perfectiùs in rationali creatura operatur, quātò in ea maiorem aptitudinem, inchoationem aut perfectionem inuenerit. Veruntamen si quis ingenio & doctrina fulgens, de proprijs viribus inordinatè confidat, & plus debito innitatur naturalibus donis, magis à contemplatione, per istorum donorū abusum & præsumptionem, impediretur, quàm proueheretur. Oportet enim vt contemplator se semper Deo humillimè subdat, & donis gratiæ principaliter innitatur. Et quia Dei gratia non coarctatur conditione, proprietate, limitibúsque

naturæ.

naturæ, ideò nonnullis idiotis & rudibus personis, tam perfectæ conuersationis gratiam præstitit Deus, quòd ad summæ Trinitatis ac purissimæ Deitatis altissimas contemplationes & raptus extaticos sunt in hac vita perducti.

Itaque si aliqua persona, siue religiosa, siue in seculo manens, extenderit se toto conatu ad cordis munditiem, iustitiæ zelum, virtutis affectum, diuinum amorem, & quotidianum mentis in omni gratia profectum, etiam si idiota & rudis fuerit, erigetur diuinitùs ad sublimiorem Dei contemplationem, quàm quantumcunque ingeniosi & docti, vitæ puritatem non satis quærentes. Quandiu autem tales simplices deuoti, non subleuantur à Deo per supernaturalem irradiationem ad contemplationem, debent ex fidei informatione, aut aliorum doctorum instructione, per propriam industriam ac considerationem de Deo & Trinitate humiliter & deuotè contemplari. Quando autem eorum mens clementer ac copiosè perfunditur summæ lucis veritate, ac puris radijs intelligibilibus, tunc non indigent propria industria, nec practicis exercitijs.

¶ *Quòd contemplationis duplex sit modus, vnus rationalis & vsitatus, alius supernaturalis & mysticus.*

CAPITVLVM III.

CONTEMPLATIO duplici via & modo exercetur. Primò regulariter & communiter per rationis vſum & diſcurſum, & hæc cōtemplatio rationalis dicitur. Cuius complementum, decor & forma debet eſſe dilectio Dei, vnde debet habere ſecum coniunctos diuinæ charitatis actus, tā internos quàm externos, quales ſunt, de Dei bonitate cæteriſq; eius perfectionibus gaudere, ad Deum feruidè affici, ex eius amore de peccatis compungi, orare pro extirpatione vitiorum, in quantùm ſunt impedimenta contemplationis, & pro gratia acquirendi contemplationem. Paſſionem Chriſti affectuosè & compaſſiuè recordari. Præclariſſimùm inſuper contemplatiuæ huius vitæ opùs eſt Hymnis, Pſalmis, ſeu laudibus creatoris, pura mente inſiſtere, hoc enim dæmones fugat, deſideratam gratiam affluenter meretur, & vitæ cæleſtis præludium eſt.

Alius modus contemplandi, eſt ſupernaturalis & myſticus, qui à Spiritu ſancto deſuper radiante, cœlitùs animæ infunditur, Deo ſupernaturaliter mentem tangente, illuſtrante ac vngente. In qua contemplatione, mens humana ſe habet Angelico modo; veritatem conſpiciens ſimplici apprehenſione & intuitu ac cœliformi conſpectu, ſine rationis diſcurſu. Cùm enim ipſa creatrix ſapiētia (cuius poteſtas eſt infinita) veritatem docet, nulla eſt in addiſcendo mora, nec opus eſt rationis diſcurſu.

In hac Deiformi contemplatione, consistit mystica illa Theologia, quam describit magnus ille Dionysius Areopagita, quæ est secretissima mentis cum Deo locutio, supermentalísque visio, quæ in apice affectus consummatur & extasim operatur, in qua consurgitur ad Deum per omnium entium negationem, & in qua per supermentalem, flammigeram, experimentalem, ardentissimúmque Deificæ charitatis amorem Deus cognoscitur clarissima quadam caligine, per eleuationem mentis vltra omnia creata, & immediatam atque certissimam cum Deo vnionem extaticam.

Mystica Theologia & contēplatio quid sit.

Ad hanc Deiformem & mysticam contemplationem (vt Rusbrochius scripsit) internus & deuotus Dei amator pertingit, quādo Deus sua liberrima voluntate dignatur illum ad eam eligere & eleuare, eius spiritum vehementer succendēdo, sic vt totus æstuans, ignitus atque flammiger efficiatur, cunctáque creata transcendens & deserens, seipsum quoque & omnia obliuiscens, sincerè, integrè, & liberrimè feratur, resoluatur, & liquefiat, transformetur & absorbeatur in Deum, per æstuantissimam feruidæ charitatis affectionem ad Deum. Huc enim neque scientia, neque subtilitate, neque humana exercitatione pertingi potest, sed quem Deus dignatur sic seipso illustrare, & spiritum eius secum vnire, is hoc pacto Deum contemplari potest, non alius quisquam. Vnde ad hanc Deiformem contemplationem pauci admodum perueniunt, tum ob ipsorum ineptitudinem & inhabilitatem, tum ob luminis diuini

in quo iſta contemplatio , modo quodam diuino fit) latebras & receſſus.

Nec decet quenquam temerè , ad hanc inſtantiùs poſtulandam totum ſe ingerere , niſi priùs fuerit diutiùs probè exercitatus in odio ſui & propria abnegatione, atque virtutum exercitio , extirpationéque vitiorum omnium & affectionum vitioſorum. Magna enim præſumptio eſſet , abſque prædictis velle ad Deiformem contemplationem & vnitiuum amorem aſſequendum plenè ſe dare & exercere, licet ſit etiam incipientibus vtile ad hunc amorem , tanquam ad finem vltimum aſpirare , & alia ſua exercitia referre, ſed non in eo diutiùs immorari , niſi ſentiant ſe ſupernaturaliter à Deo trahi , & deſuper irradiari & inflammari , ſicut aliquando dignatur Deus quoſdam prorſus imparatos ac indignos præuenire, immutare, afficere, & ad ſe conuertere, etiã tunc quando actu Deum offendunt , vt patet in Paulo Apoſtolo. Regulariter tamen , communitérque ad gratiæ ſuſceptionem exigitur, vt homo faciat quod in ſe eſt , ad illam ſe præparando & coaptando. Deniquè toto corde quærendo.

Quæ ſunt obſeruanda & exercenda, priuſquàm aliquis ſecundùm curſum regularem idoneus ſit eleuari ad Dei ſupernaturalem contemplationem.

CAP

CAPITVLVM IIII.

Qvi ad perfectiora & sublimiora supernaturalis cõtẽplationis charismata cupit pertingere, hæc primum obseruare satagat.

1 Primò omnium diligentissimè discat, impleat,& obseruet omnia ad quæ obligatur, puta, diuina præcepta, & (si religiosus est) ordinis sui regulam,statuta & consuetudines, quia ingratum est Spiritui sancto quicquid ei obtuleris,neglecto eo ad quod teneris.

2 Horas Canonicas, & alias orationes, quas vocaliter dicere tenetur, studeat persoluere integrè, distinctè, attentè, reuerenter & quantùm poterit deuotè.

3 Omnia decenter & secundùm ordinem faciat,quæ sunt agenda, siue in interioribus, siue in exterioribus exercitijs deuotionis,siue etiã in necessarijs corporis.Sic enim non conturbabitur; & vnumquodque virtutis opus, suo tempore cõtinuans,habitũ acquiret, quo postea delectabiliùs & stabiliùs operabitur.

4 Vocationem suam, & professionem (si religiosus est) omni die vigilanter perpendat & impleat, curiosa verò & ad se non pertinentia,fugiat.

5 Cibo,potu,somno, veste, & alijs ad vitæ conseruationem necessarijs sobriè & temperatè cum discretione,vtatur.

6 Sapienter aduertat naturalem suam dispositionem, & fortiùs ac instantiùs dimicet aduersus vitia, ad quæ procliuior est, cum indesinenti imploratione diuini auxilij contra ea.

7 Et maximè inſtet pro eradicatione amoris priuati & ad ſe reflexi, quo ſe amat in ſe, volendo & quærendo commoda propria & delectabilia ſibi in ſe & propter ſe, qui amor eſt peſſimus & omnium vitiorum origo.

8 Ad virtutes etiam omnes,& maximè ad eas, viriliter ſe accingat & exerceat, ad quas bene eſt diſpoſitus, vt non abutatur donis Dei.

9 Super omnia autem cupiat & ſtudeat Deum ſolum propter ſe, purè ac feruidè toto corde diligere,quærere, & amplecti. Cætera verò omnia duntaxat amet propter Deum, vel in Deo & ſecundùm Deum, quatenus ei conducunt ad placendum Deo, & voluntatem eius perficiendam, aut vnionem cum Deo obtinendam.

10 Et quia aduerſa & dura, propter Deum tolerata proſunt ad placendum Deo,ad Chriſti pro nobis paſſi imitationem & conformitatem, ad peccati remiſſionem, priuatíque amoris extirpationem,& ad gratiæ & gloriæ adeptionem, curet ad honorẽ Dei cum gaudio amplecti diſcretas vigilias, abſtinentias, diſciplinas,ſilentium,ſolitudinem, cæteróſq; pœnitentiæ labores & actus, cunctáque aduerſa & dura ſibi contingentia, æquanimiter tolerare.

11 Fraterna quoque charitate ornatus,proximos omnes, etiam inimicos, ſicut ſeipſum diligat propter Deum,& ſecundùm Deum.

12 Omniúmque ſalutem, velut propriã cupiat,pro omnibus oret,omníbuſq; afflictis & male viuentibus,cõpatiatur,& feruida prece, alioq; modo ſibi poſſibili ſuccurrat ac miſe-

ricordi

ricordiæ opera impendat, ſpecialitérque pro defunctis exoret.

CAPITVLVM V.

¶ Quibus modis & exercitiis propinquiùs præparetur ad ſupernaturalem contemplationem is, qui prædicta obſeruauerit.



QVI in ſupradictis probè exercitatus fuerit, cùm voluerit ad miſticam contemplationem ſpecialiùs & propinquiùs ſe præparare, & inſtantiùs aſpirare, ſequentia obſeruet.

1 Omnem conſolationem carnalem & vilem, non neceſſariam abiiciat, & ſapientiæ lumen auidiſſimè appetat & poſtulet.

2 Cogitet & ſentire ſtudeat, Deum ſibi ſemper & vbique præſentem, cunctáque ſua deſideria, cogitationes, verba & opera intuentem ac iudicantem, ſicq; erubeſcat & timeat ſe habere infructuosè, inhoneſtè, aut vitiosè coram vultu & præſentia Dei æterni, & metuendiſſimi iudicis.

3 Iugiter & cordiali affectu, oret pro gratia gratum facienre (quæ animam conſtituit in diuino eſſe ad promerendum idoneo) impetranda in ſe, conſeruanda, augenda & perficienda. Et pro charitate, quæ eſt contemplationis incitamentum, forma, & conſummatio.

4 Oret vt Deus fidem ſuam rationibus credendorum benigniſſimè perficiat & illu-

ſtret, per donum intellectus contemplatiu neceſſarium.

5 Oret etiam, pro cæteris donis Spiritu ſancti, quæ faciunt mentem promptè ac bene mobilem, docilem ac dirigibilem à Spiritu ſancto, & præſertim pro dono ſapientiæ quo perfuſus rectum, ac ſaporoſum ſortiatu iudicium de Deo & diuinis, per conformitatem affectus ad ea, & non per nudam & informem tantùm notitiam.

6 Oret inſuper pro profunda & firma humilitate (quæ veræ contẽplationis debet eſſe fundamentum) ne contemplans nimis ſupra ſe aſcendens ruat. Quãtò enim ſeipſum ſub creatore magis humiliauerit: eò ſublimiùs ad Dei contemplationem eleuabitur.

7 Oret etiam pro timore Dei caſto, ſancto & filiali, ne maieſtatem Dei vltra quàm decet ſcrutari præſumat, præter ea quę in ſacris ſcripturis & ſanctorum patrum ſcriptis ſunt expreſſa & tradita.

Superbi enim, præſumptuoſi, & intimorati, habentur & ſunt ad contemplationem veram prorſus indigni, quantumcunque ingenioſi fuerint aut docti.

8 Conſueta habeat deuotionis exercitia, à quibus, & à continua imploratione diuinæ gratiæ non ceſſet, ſiue ſenſerit actualem feruorẽ vel deuotionẽ, ſiue non ſenſerit. Quando autem ſentit ſe in aliquo deuotionis exercitio laſſari, ad quod non obligatur, ad aliud deuotionale exercitium ſe conuertat.

9 Quod ſi in omnibus percipit ſe indeuotum & frigidum, ſic vt ad nulla ſpiritualia afficiatur, clamet ad Dominum cum ſuſpirijs,

&

& gemitibus,& pectoris tonsione, vel etiam se in terram coram Dei præsentia proiiciendo & prosternendo, ac dicendo, *Ne derelinquas me Domine Deus meus, ne discesseris à me. Intende in adiutorium meum Deus salutis meæ*, & similia.

10 Insuper propriam indignitatẽ pẽsans, ad aliquem sanctorum conuertatur, maximè ad Dei matrem & virginem, & eos sanctos quos speciali honore veneratur, quos oret, vt quod suis non valet, corũ meritis assequatur.

11 Cupiat & studeat habere semper actualem mentis eleuationem in Deum, aut vnionem cum Deo, & quoties se ab ea elongatum animaduerterit, doleat, & ad eam, mentem reuocet, & stabiliat, ad quod iuuabit hunc versum sæpiùs corde reuoluere, *Cor mundum crea in me Deus, &c.* Et vt cordis euagationem efficaciùs frenet, quoties se senserit distrahi, aut inutiliter occupari, pœnam aliquam sensibilem sibi infligat (putà digitum fortiter comprimẽdo, aut vnguibus torquendo) aut locum mutet, vel aspiciat crucifixum.

12 Nullúmque temporis punctum sine fructu transire patiatur: sed quid diuinum, semper mente pertractet, orans, gratias agẽs, psallens, meditans, etiam horà refectionis, & laboris, & in lecto, quantùm salua discretione poterit.

15 Denique post hæc omnia, oret fideliter, humiliter, & instanter pro gratia Deiformis contemplationis obtinẽda. Scimus enim quoniam precem fidelem, humilem, feruentem, rationabilem, & indefessam Deus non

ſpernit, quamuis aliquando propter melius bonũ noſtrum, vtiliter differat nos exaudire.

14 Orando autem pro hac myſtica contemplatione;non opus eſt,vt multa verba loquatur,ſed ignea verba mente,aut etiam ore promat. Ad huius enim ſalutaris ſapientiæ adeptionem, opus eſt intima compunctione potius quàm profunda inueſtigatione, ſuſpirijs & crebris gemitibus, potius quàm copioſis argumentationibus,lachrymis, quàm ſententijs,oratione potius, quàm lectione.

15 Ante omnia ergo ſtudeat puritati,compunctioni internæ,& vnioni mentis cũ Deo, magisq́; auxilio gratiæ, quàm proprio ingenio, aut induſtriæ innitatur.

16 Proptereà in vniuerſis ſuis exercitijs, imò in omni hora, optet & petat creſcere in amore Dei,& gratia contemplandi, hæc, aut ſimilia verba affectu deuoto & feruido ſępiùs proferens, aut corde voluens.

O Domine Deus,quando te dulciſſima dilectione conſtringam? quando ſtrictiſſimo amore te ardenter amabo: quando tibi totaliter adhærebo? Si hæc & ſimilia verba cordialiter dicere in conſuetudinem duxerit, & in prædictis virtútum exercitijs, & vitiorum eradicatione prius fuerit probè exercitatus, ſentiet ſe in breui immutari,à mundo auerti, & ad Deum affici.

17 Inſuper frequẽter ſe erigat ad orationes mentales & feruidas,in quibus Deum, quantùm po e t,magnificè laudet & glorificet,ſeq́; viliſſimũ ſentiat, & contemnat, ſic dicendo:

O Deus ſuperdigniſſime, miſerere mihi indigniſſimo.

O Deus ſanctiſſime , adſis mihi impuriſſimo.

O Deus beatiſſime, miſerere mihi miſerrimo. Et ſimilia prout vnctio ſatis docebit, ſi præſcripta obſeruauerit. Imò proficiendo in tali exercitio, incipiet per ſola Dei nomina ardentiſſimè ad Deum affici, ipſum affari, laudare & amplecti, dicendo: Deus præſentiſſime, intentiſſime, promptiſſime: Deus miſericordiſsime, patientiſsime, beneuolentiſsime, & ſimilia.

18 Prætereà vt gratiæ Chriſti in præſenti, & gloriæ in futuro efficiatur magis particeps, quotidie recordetur, quantùm poterit affectuoſiùs & compaſsiuiùs, paſsionis Chriſti. Atque pro gratia id agendi, Chriſtũ deuotiſſimè inuocet. Eſt enim paſsio Chriſti, ſplẽdidiſsimũ ſpeculum, atque prçclariſsimus liber, in quo omnes virtutes, omniumq; virtutum perfectionem addiſcere poſſumus, in qua oſtenditur, quanta ſit grauitas peccati, quãta ſit diuina iuſtitia, quæ maluit Chriſtum tanta pati, quàm peccata manere inulta, quanta etiam ſit dilectio Dei patris & Chriſti ad nos.

In præfatis exercitijs Dei amator internus & deuotus, ſe fideliter, amorosè, feruenter, diſcretè & perſeueranter exercens, expectet patienter & longanimiter, tractum & irradiationem Dei ſupernaturalem, ad quam ſi Dominus eum eleuare tãdem aliquando dignabitur, ſtatim vbi eam ſenſerit, omnia, quæ ſibi præparauerat, & diſpoſuerat exercitia ad hoc, vt eam obtineret, & ad eam ſe præpararet, deſerat & relinquat, tractúmque Dei liberè & perfectè ſequatur.

Quòd

Quòd si Dominus non dignetur, aut differat eum, qui in prædictis exercitijs perseueranter se exercuerit, eleuare ad istam mysticam, deiformem, & supernaturalem cõtemplationem, non turbetur, nec animo deijciatur, nec violenta quadam importunitate conetur eam obtinere, sed indignitatis suæ conscius, patienter hanc dilationem sustineat, & humiliter in consuetis exercitijs suis perseueret, donec suâ liberrima voluntate, & gratuita dignatione velit Deus eũ ad sublimiorem contemplationẽ erigere & eleuare. Consideret etiam & reputet sibi esse vtiliùs & securiùs, ea nunc carere, quàm potiri, ne fortè per eam eleuetur in superbiam, & piè confidat, quòd si noluerit Deus hîc eam illi dare: tamen in futura vita, tantò amplius illa fruetur, quantò ad eam hîc magis se præparauerit per exercitia spiritualia, & quantò ardentiùs eam desiderauerit.

¶ *Quod in Trinitatis contemplatione consistat summa deuotio, præcipuum meritum, & maximus profectus.*

CAP. VI.

INTER omnia contẽplationum genera supereminet, & excellit superaltissimæ Trinitatis cõtemplatio, si debitè fiat, quia in ea & maior deuotio, & excellentius meritũ, & profectus amplior inuenitur. Nam quò superbenedictam Trinitatem sincèriùs atque profun-

diùs contemplamur, ardentiusq; amamus, eò verè deuotiores existimus. Siquidem deuotio est prõptitudo voluntatis ad ea quæ Dei cultum concernunt, quæ requirit præuiam contemplationẽ, siue meditationem. Actus enim voluntatis, præexigit actum intellectus. Cùm ergo contemplatio sit iter & causa ac vehiculum deuotionis, quantò obiectum contemplationis est diuinius, melius, & præstantius, tantò ipsa cõtemplatio ex sua natura est amplioris deuotionis productiua, licèt in imperfectioribus ex eorum incapacitate, contingat oppositum, quia cùm egeant sensibiliũ excitatione & manuductione quibus ad diuina consurgant, ideò fortiùs ad deuotionem mouentur ex consideratione passionis dominicę, & eorũ quæ Christi humanitatem respiciũt, quàm ex prænobili cõtemplatione supersanctissimæ Trinitatis. Perfecti verò, quorũ solidus est cibus, quantò splendidiùs intuẽtur supergloriosæ Trinitatis mutuã cõmunicationẽ, intuitionẽ, dilectionẽ, & fruitionẽ, eiusq; opulentiã & fœlicitatẽ, tantò ampliori promptiorique animo feruntur ad vniuersa quæ ad ipsius reuerentiam cultumq; pertinent, quicquid possunt, incessanter agẽdò, & nihilominùs se nihil dignum tãta maiestate agere arbitrãdo. Siquidẽ prædicta contẽplantes, vidẽt quàm immensa sit celsitudo, bonitas, beatitudo, amabilitas, honorabilitas, charitas & perfectio superiucũdiss. Trinitatis. Quod intuẽtes, iudicant se nihil posse ei impẽdere condignæ reuerentiæ, charitatis aut cultus, etiamsi millies plus possent facere quã totus mũdus. Ideò sese humillimè D[illegible] subiiciũt, &

totos deuouent ac se mancipant eius cultui, plenè & superferuidè.

Præterea, quo superamabilissimæ Trinitatis contemplatio fuerit clarior, eò & delectabilior erit. Delectatio autem excitat, conseruat, ac roborat operantem in opere: sicque contemplatio superlaudabilis Trinitatis pręcipuā causat in voluntate prōptitudinē, ad ea quæ Dei sunt, ratione delectationis annexæ.

Item dilectio est deuotionis causa, imperialiter mouens ad eam. Cōtemplatio autem charitatem excitat, & accendit, ac per consequens deuotionem causat. Et cùm dilectio, quâ Deum trinum diligimus, sit summa ac maxima contemplatio Trinitatis, perfectissimam causat deuotionem. Adhuc, sicut humanitas Christi, ad Deum tanquam ad vltimum finem ordinatur: sic omnis contēplatio, delectatio, atque deuotio circa eam habita, finaliter referenda est ad superdesiderabilissimæ Trinitatis cōtemplationem, dilectionem & deuotionem. Secundò in hac supersplendidissimæ Trinitatis contemplatione, præcipuum meritum consistere dicimus propter quatuor. Primò propter obiecti incomparabilem dignitatē. Secundò propter fidei eminentem vigorem, cuius tantò plus innititur contēplatio Trinitatis, quātò rationē magis transcendit, ac per hoc maioris est meriti fides circa eam. Tertiò propter sapientiæ salutaris (cuius contemplatio ista est actus proprius) eminentiā singularem. Quartò propter charitatis intimæ specialem inclusionem in actu contemplationis, quæ est amorosa cognitio, ab amore imperata vel intenta.

Postremò

Postremò maximus profectus consistit in superdelectabilissimæ Trinitatis contemplatione, quoniam sicut perfectio, beatitudoque patriæ, est contemplatio clara & immediata superspeciosissimæ Trinitatis per speciem propriam, seu facie ad faciem, sic fœlicitas ac perfectio viæ, est contemplatio eiusdem, per fidem rationibus credendorum illuminatam. Vnde ad hanc contemplationem cætera exercitia sunt referenda. Et sicut sublimiùs est in ipso fine eiusque adeptione proficere, quàm in medijs ad eum relatis: sic omninò diuiniùs est proficere in hac contemplatione, quàm in inferiorum virtutum, scientiarumque & meditationum actibus, meritò ad eam ordinandis. Itaque vt adipiscamur veram, ac potissimam deuotionem, meritum præcipuum ac copiosum profectum, enitamur crescere in prælucida contemplatione superclarissimæ Trinitatis, semper in omnibus magis intendentes & diligentes Dei honorificentiam & amorem, quàm propriam mercedem & commodum.

***

Cùm

Cùm quanta humilitate & reuerentia & ſimplici ac firma fide contemplãda ſit ſuperaltiſſima Trinitas.

CAP. VII.

QVantò Trinitas eſt altior & purior: tantò cum maiori reuerentia, humilitate, & cordis munditia ad eius contemplationem accedere oportet. Nam (vt ſcripſit D. Auguſtinus) nullibi periculoſiùs erratur, nec laborioſiùs aliquid quæritur, nec fructuoſiùs aliquid inuenitur, quàm vnitas Trinitatis.

Contemplator igitur, euagationes, inquietudines & phantaſmata prorſus à ſe abiiciens mente recollecta, amoroſa ac timorata accedat, cum omni humilitate, metu & reuerentia ad contemplandum myſterium ſuperſanctiſſimæ Trinitatis: ſemper ſupponens pro certiſſimo fundamento, fidei veritatem: & abſtineat à præſumptuoſo & immoderato ſcrutinio, nec tranſgrediatur terminos à patribus ſanctis præſcriptos: ſed ſacræ ſcripturæ, Catholicorumque patrum ſolidiſſimis documentis innitens, nihil de proprio ſenſu audeat adiicere, niſi illorum ſententijs certiſſimè conſonet. Et quicquid contemplatori deuoto in Trinitatis contemplatione occurrerit, ſuam capacitatem & intellectum tranſcendens, nõ vanè tentet illud diſcutere: ſed fide certiſſima illud credens, commẽdet reuerenter eius intelligentiã Spiritui ſancto,

& cōtentus de eo quod datur ſibi intelligere & credere, gratias Deo cordialiter agat. Et ex conſideratione eorum quæ omnem mentis creatæ capacitatem tranſcendunt, conſurgat in piam admirationem, non in præſumptuoſam diſcutionem: penſando quod ſicut Deus æternus eſt penitus incomprehenſibilis, creatæque mentis capacitatem tranſcendens: ita & eius actio, præſertim ad intra. Stultiſſimum igitur eſſet velle eam comprehendere, aut humano ingenio metiri vel diſcurrere.

In his ergo quæ circa ſuperexcellentiſſimæ Trinitatis contemplationem vim intellectiuam tranſcendunt, non eſt nimium intellectus acuendus, figendus, ſeu occupandus, ſed ſimplici & ſtabili fide in his credendum & admirandum ac cum laude ſuperexaltandum eſt quod patrum documentis docetur & traditur.

Alia autem ſunt quæ in ſuperſubſtantialis Trinitatis contemplatione, vim affectiuam inflammant, deuotionemque nutriunt: quæ ſuppoſita fide ſuperuoluptuoſiſsimæ Trinitatis, faciliùs capiuntur, fructuoſiùs conſpiciuntur, dulciuſque guſtantur, & mentem in Deo fortiùs afficiunt & ſuccendunt. Quorum contemplationi vt anima deuota valeat frequentiùs intendere & vacare, diuturniùs quoque, affectuoſiùs & congratulabundiùs immorari, caueat ne aliquid in corde lateat, quo Deus poſsit offendi, charitas lædi, puritas infici, animus diſtrahi.

Quamuis enim ſuperiucundiſsimam Trinitatem nō poſsimus cōprehendere, oportet

tamen nos indefeſsè ac iugiter niti, vt eam quotidie ſinceriùs contemplemur, ſplēdidiùs intueamur, affectuoſiùs ſpeculemur, ſtabiliùs & ſuperferuentiùs cernamus. Ad hoc enim quæritur, vt dulcius inueniatur: ad hoc inuenitur, vt quæratur auidiùs. Vt autem hoc impetremus, enitamur quotidie creſcere in puritate interna, quiete mentali, & amore diuino, optemusque ſemper feruido zelo Deum reuereri, & eius illuminationem infatigabiliter imploremus. Quia quantò nunc in ſuperbeatiſſimæ Trinitatis contemplatione ſublimiùs promouemur, eo conformiores viciniores que reddimur perfectioni ac beatitudini ſupernorum ciuium, quorum tota merces, vita & occupatio eſt videre Deum vnitrinū.

Contemplatio Dei ſecundùm quod vnus eſt, & ſecundùm ea quæ tribus perſonis æqualiter conueniunt.

CAP. VIII.

O Domine Deus, Credo, & amans congratulanſque confiteor, quia tu es primum ens, actualiſſimum & perfectiſſimum, cauſaliſſimum & prorſus impaſſibile, nihil habens de materia aut proprietatibus eius admixtum.

Credo & congratulor, quia tu es ſubſtantia prorſus incorporea, immaterialis, inſenſibilis, ſpiritualis, intelligens, volens, amans & ſimpliciſſimus: aliunde non dependens ne-

que recipiens, neque indigens: in qua nulla prorsus diuersitas mutabilitas & inuenitur.

Credo, & cõgratulor, quia tu es actus purus, seu pura potentia actiua (quod idem in te est) nihil prorsus habens permixtum passiuæ potentiæ, quia tibi competit in omnia alia agere, influere, mouere & perficere (quod est propriũ potentiæ actiuæ.) A nullo autem potes quicquam recipere, moueri: & perfici quia es in te perfectissimus, omniũ perfectionũ & nobilitatum plenitudinem infinitè ac simplicissimè in te habens & comprehendens.

Ex quo sequitur quod tu es verè, intrinsecè, formaliter, intensiuè ac perfectionaliter infinitus. Quia non limitaris per materiam contrahentem, nec per differentiam determinantem, nec per potentiam passiuam conterminantẽ, sed actualitas tua est pura, inchoarctata, illimitata, liberrima & immensa.

Ex hac tua infinitate (quæ est prima, intrinseca atque dignissima proprietas tuæ diuinitatis) infertur & constat, quod tu Deus sublimis & benedictus, es vniuersis ac singulis creaturis infinitè ac incomparabiliter dignior ac perfectior, cum finiti ad infinitum nulla sit proportio nec comparatio, inde etiam constat quod tu Deus es æternus & inuariabilis, quia à nullo alio quicquam recepisti, nec recipere potes, & semper ac æternaliter in optima & beata tui dispositione te habes, nec vales mutari aut perfici. Vnde etiam in te cadere aut inesse non potest accidens, aut defectus vllus, sed nec vllo modo peccare potes. Peccatum enim omne cõtingit per recessum aut defectum à debito

fine. (Tu autem tibi ipſi es finis : vnde ſicut non potes deficere vel recedere à te ipſo, ſic nec vales peccare.

1 Denique quia infinitus es, ideò etiam exiſtis prorſus incircumſcriptibilis, illocalis, & vbique per eſſentiam & potentiam præſens, omniaque in te continens, omnia implens, omnia penetrans, æternus & ſuperexaltatus. Vnde procul à tui contemplatione debemus repellere omnem localem circumſcriptionem, omnem temporalem diſtentionem, omnem corporalem diſtantiam, omnemque ſenſibilem & materialem influentiam.

Tu enim es Ens abſolutè perfectum, à cuius eſſe, ſeu eſſentia (quod in te idem eſt) procul eſt quicquid imperfectionis, materialitatis, circumſcriptibilitatis, & potentialitatis in rebus creatis inuenitur. Quicquid verò perfectionis, dignitatis & eminentiæ in illis reperitur, tibi ineſt cum infinita plenitudine & ſimpliciſsima vnitate. Tu enim omnem creatam perfectionem infinitè ac ſimpliciſsimè in te comprehendis & ſuperexcedis.

Credo & congratulans confiteor, quia tu es ante omnia, non tamen ſolus: tu es poſt omnia, non tamen præuentus: tu es in omnibus, non tamen incluſus: tu es ſuper omnia, non tamen elatus, nec excluſus: tu es infrà omnia, non tamen oppreſſus.

Credo & confiteor, quia tu ſolus rerum eſſentijs illaberis: tu ad omnia per bonitatis tuæ inflexum procedens, permanes in teipſo immobilis & ingreſſibilis. Tu vniformiter, fixa

& æternaliter eodem modo ſemper te habes: tu in tua ſupereſſentiali ſimplicitate incõmutabiliter ſuperfaciliterq́ue in ſempiternũ manes & ſubſiſtis, ſuperbenedictus & eſſentialiter ſanctus.

Credo,& congratulans confiteor, quia tu es mens ſimpliciſsima, ſeparata, pura,& incircumſcripta, in qua idem ſunt intelligens, vis intellectiua & intellectio: ſeu natura, vis & actio, eſſentia, potentia, & operatio: eſſe, poſſe,& agere. Et, cum ſis ſummè ſimplex, quicquid in te eſt,eſt diuina eſſentia, & ipſe Deus. Tu ergò es vna eſſentia, vna virtus, vnaq́ue vita prorſus beata,quam nemo valet contemplari, niſi mente purificata, ſimplificata & Deificata.

Contemplatio emanationis ad intra, quæ in superſanctiſsima Trinitate inuenitur, qua nimirum pater generat Filium, & Pater ac Filius ſimul ſpirant Spiritum ſanctum, ſic vt in vna diuina eſſentia tres perſonæ ſubſiſtant.

CAP. IX.

Firma fide credo,& amans congratulansq́ue confiteor, quia licèt tu Deus ſis ſimpliciſsimus & vnus Deus, vnicam habens diuinitatem & eſſentiam:tamen es trinus in perſonis, Pater, Filius & Spiritus ſanctus, tres perſonæ, vnus & idem Deus.

Tu enim Deus æternus, immensus & perfectus, es intellectus sapientissimus, actualissimus, vniuersaliter agens, semper in actu, & tamen inuariabilis & summè simplex. Tu ergò teipsum æternaliter, semper, actualiter, perfectè, comprehensiuè & inuariabiliter cognoscis, intelligis & contemplaris. Sic autem teipsum cognoscendo, exprimis, dicis, concipis & producis intra te id quod de te cognoscis & comprehendis. Et hæc dictio ad intus immanenter prolata, seu conceptus tuus mentalis teipsum perfectè exprimens, est tuum verbum quod sic te cognoscendo producis, & intra te profers, quod est tibi consempiternum, incommutabile & prorsus æquale. Neque enim ab æterno teipsum integrè & perfectè cognouisces, si aut æternum non fuisset verbum tuum, aut aliquid minus esset in verbo tuo, quàm in te ipso.

Et quia cognitio & intellectio agitur per quandam assimilationem, verbum hoc intellectualiter à te emanans, immediatè procedit de tua substantia secundùm rationem similitudinis, in identitate naturæ, tanquam tua propria, plena, ac naturalis & diffinitiua imago, plenè & perfectè exprimens & continens totam tuam substantiam, naturam, excellentiam, maiestatem, perfectionem ac diuinitatem. Ideò verbum hoc, verè & propriè dicitur & est Filius tuus naturalis & prædilectus, & tu ipsum sic producens & generans, verè diceris & es ipsius pater æternus, alius ab eo in persona, sed vnus & idem in essentia & diuinitate Deus.

Tu enim pater ipſum filium tuum æternaliter generando, ipſi communicas & donas totam tuam eſſentiam & diuinitatem, non aliam, ſed eandem numero, quam à teipſo habes. Niſi enim eſſet tibi prorſus æqualis & connaturalis, nõ poſſet verè & perfectè tuam naturam & eſſentiam repræſentare & exprimere, cùm ea ſit infinita, & à re finita & creata non poſſit perfectè exprimi.

In hoc autem verbo & filio tuo, quicquid in te eſt, reſplendet perfectè ſicut in ſpeculo & imagine tua perfectà & naturali. Vnde etiam verbum hoc appellatur, ſplendor tuæ gloriæ, imago, ſpeculum & exemplar.

Et quoniam tu non ſolùm te ipſum, ſed etiã omnia alia cognoſcis æternaliter & perfectè, ideò verbũ hoc tuum (quod te & omnia intelligẽdo intus de tuo corde tuaq; ſubſtantia producis) eſt etiam exemplar ac ratio omnis entis creati: vnde & vocatur mundus archetypus, & ars increata rationibus plena.

Credo igitur firmiſſimè & amans congratulor, quia tu Deus pater æternaliter intra te generas verbum tuum, vnicum prædilectum filium, generatione intemporali, illocali, immateriali, intellectuali, immanenti, ſimplici, ac prorſus à creata mente incomprehenſibili & enarrabili, ſola fide & pura mente contemplanda.

Credo inſuper & amans congratulánſque confiteor, quia tu pater æternaliter & perfectè agnoſcens & contemplans hunc filium tuum de tua ſubſtantia genitum tibi eſſe coæternum, conſubſtantialem, coæqualem & prorſus conformem. Illum etiam æter-

naliter & perfectè amasti sicut teipsum, amore essentiali (qui nec personaliter nec realiter à te & filio distinguitur.) Et tu fili æternaliter & perfectè agnoscens, Patrem tuum esse optimum & superamandissimum, tibiq; omnem suam substantiam cõmunicasse liberalissimę, ipsum similiter eodem essentiali amore æternaliter atque perfectè amasti. Et ex hac mutua complacentia vestra æterna & infinita, vos Pater & Fili spirastis & produxistis ab æterno quendam amorẽ qui est vtriusque vestrûm suauissimus complexus, ac sempiternus & indissolubilis nexus. Appellatúrque Spiritus sanctus, à vobis ideò personaliter distinctus: quia à vobis procedit; vnde ipse est tertia persona superbenedictæ Trinitatis. Qui etiam, est idem vobiscum, verus, æternus & incircũscriptibilis Deus: quoniam ipse amor spiratus, non potest esse minor aut indignior, quàm sit mutua vestra amabilitas & complacentia, quæ cum sit prorsus infinita, ipse quoque amor spiratus est infinitus, ac per hoc est etiã increatus, æternus & verus Deus, quia nulla creatura potest esse infinita, & quicquid in diuinitate est, est ipsa diuinitas & ipse Deus, in quem nullum accidens potest cadere. Spiritus sanctus ergo est verus Deus: quia veram & eandem prorsus numero diuinitatem & essentiam, quam tu pater habens à temetipso, communicasti filio tuo ipsum æternaliter generando, & quam ab vtroque vestrûm spiratus amor spiritus sanctus æternaliter accepit.

Ab vtroq; enim vestrûm (ô Pater & Fili) Spiritus sanctus procedit, tanquam ab vno &

indiuiduo principio & ſpiratore, quia in eo quo Spiritũ ſanctũ ſpiratis & producitis (ſcilicet in voluntate & amore eſſentiali) non diſtinguimini, ſed eſtis vnum volens, vnum prorſus & eandem numero habentes voluntatem & eſſentialem amorem, & vnico volendi actu illum ſpiratis.

Sicut enim iſte mundus à vobis tribus (ô Pater, Fili & Spiritus ſancte) tanquã ab vno & eodem principio, ideò verè & Catholicè dicitur emanaſſe, quia in vobis tribus vna & indiuidua eſt potẽtia, per quam omnia creaſtis: vnde etiã fide Catholica profitemur te vnum eſſe Creatorẽ omnipotentem, & prohibemur dicere, tres Deos, tres Creatores vel tres omnipotẽtes: ſic à vobis, Patre & Filiò, tanquã ab vno ſpiratore procedit Spiritus ſanctus, quia in vobis eſt vna & eadẽ volũtas & vnus volẽdi actus, quo ipſum æternaliter ſpiratis, vnde etiã dicimus vnus ſpirator, nõ duo ſpiratores.

Et ſicut tu Fili per modũ emanationis intellectus à Patre inuariabiliter & æternaliter generaris, ita tu ſpiritus ſancte, per modũ emanationis ſeu actionis immanẽtis ipſius diuinę volũtatis, à Patre & Filio procedis ęternaliter.

Sicut etiam res intellecta, eſt in intelligente per verbũ eius intùs conceptũ, ipſius imaginem & ſimilitudinẽ exprimẽs: ita res amata, eſt in amante per amorẽ à voluntate intus manantem & profluentem. Et hic amor in Deo, eſt Spiritus ſanctus à vobis, Patre & Filio procedens, ſicut tu Fili, es illud verbũ intùs à Patre ſe intelligente prolatum & genitum.

Credo & gratias agens confiteor, quòd tu, vnitrine Deus, huius tuæ incomprehenſibilis

Trinitatis imaginem in anima nostra indidisti. In qua nimirum mens nostra se intelligendo, parit sui notitiam & conceptum internum, tanquam parens prolem, sicut tu pater te intelligendo æternaliter paris sapientiam genitam, quæ est verbum cordis tui, vnigenitus filius tuus. Mensquoq; nostra cum sui notitia, in qua sibi complacet, producit amorem sui, sicut tu Pater cum verbo tuo producis & spiras Spiritum sanctum.

Sicut etiam ex memoria nostra formatur & actuatur intellectus, & ex vtrísque voluntas, sic ex te Patre, nascitur Filius, & ex vtroq; Spiritus sanctus.

Sed quia tu es creator infinitus & immensus, & nos creaturæ tuæ finitæ, quantùm creatura à creatore, & finitum ab infinito distat, tantùm imago tuæ Trinitatis, quæ in nobis est, distat ab ipsa tua superbenedicta Trinitate. Et conceptus ac amor quem nostra mens se intelligendo & amando producit, non est ei essentialis sed accidens & variabilis, cùm non semper actu intelligat se, aut amet.

Neque etiam intellectus & voluntas conceptum & amorem immediatè ex sua substantia producunt, sed per operationem quæ mediat. In tua autem superinfinita Trinitate & diuinitate cum nihil inesse possit variabile, contingens & accidens, necesse est vt verbum à te patre naturaliter & immediatè sine intermedia operatione conceptum & genitum, & amor à vobis patre & filio, similiter spiratus, sit eiusdem essentiæ, naturæ & perfectionis: ac per consequens verus Deus.

Confitemur ergo verè & Catholicè, quia

tu

tu Pater es Deus, tu Fili es verus Deus, tu Spiritus sancte es verus Deus, & tamen horremus & refugimus dicere aut putare tres esse Deos, quia licet vnaquæque persona ratione emanationis & relationis sit personaliter ab alia distincta, est tamen in vobis tribus vna, indiuisa & eadem numero diuinitas, essentia, virtus & perfectio, quam tu Pater habens à teipso, plenè per æternam generationē, Filio tuo communicas, & quam ab vtroque vestrûm Spiritus sanctus per æternam sui spirationem & processionem accipit.

¶ Contemplatio eiusdem emanationis personarum in superbenedicta Trinitate, sumpta ex consideratione bonitatis, dilectionis & perfectionis Diuinæ.

CAPIT. X.

CVM vnumquodque nobiliori modo se habeat dum in actu est, quàm cùm in potentia sola est, credo & congratulans cōfiteor, quia tu Deus æternus & fortis qui semper in optima tui dispositione inuariabiliter consistis, semper etiam fuisti in actu illo ad quem naturalem habes potentiam & inclinationem.

Cùm ergò naturaliter & totaliter sis bonus, essentialiter & summè amorosus, imò ipsa essentialis bonitas prorsus immensa, pura, superplena, & superditissima, constat te naturalem habere inclinationē vt te totum diffundas, vt tibi soli nihil singulare reserues, vt te totum effluas atque communices, non ob tui

indigentiam, ſed ob interminabilem & propriam fœcunditatem: bonum enim omne eſt naturaliter ſui diffuſiuum. Semper igitur, imò æternaliter es in actu ſic te communicandi, & actualiter te totum cõmunicas & effundis.

Cæterùm diffuſio tuæ bonitatis diuinæ, à te per creationem, creaturis facta, non ſemper fuit, ſed cœpit ex tẽpore quo creaſti cœlum & terrã, & eſt modica & quaſi punctualis reſpectu immẽſæ & infinitæ tuæ diuinæ bonitatis, cùm ſit finita, & finiti ad infinitũ nulla ſit proportio. Oportet ergò neceſſariò confiteri, præter hanc creaturarum emanationem & tuæ bonitatis ad extra diffuſionem, in te eſſe aliam emanationem & diffuſionem tui ad intra, per quam actualiter, & veraciter totam tuam infinitam bonitatem alteri perſonæ communices & diffundas.

Et hoc eſt quod credimus firmiſſimè, & congratulantes confitemur, quia tu Deus Pater æterne, teipſum intelligẽdo, intellectu tuo per modum ſimilitudinis & naturę ab æterno genuiſti Filium tuum verbum & conceptum mentis tuæ perfectum, cui naturali diffuſione totam tuam ſubſtãtiam & diuinitatem communicaſti. Et vos Pater & Filius, ex mutua veſtra complacentia & dilectione, per modum voluntatis (quæ vna in vobis eſt) ſimul ſpiraſtis & produxiſtis ab æterno, condilectum Spiritum ſanctum, cui voluntaria diffuſione totam veſtram ſubſtantiam & diuinitatem communicaſtis.

Credimus ergò & confitemur, quia in te ô Deus æterne, eſt emanatio & diffuſio ad intra ſumma & perfecta, vtpote actualis & intrin-

ſeca, ſubſtantialis & hypoſtatica ſeu perſonalis, naturalis & voluntaria, liberrima & neceſſaria, indeficiens & perfecta. Per quam perſona ſeu hypoſtaſis producta, licèt propter emanationem & relationem ſit perſonaliter ab alia diſtincta, eſt tamen prorſus æqualis & conſubſtantialis perſonæ producenti. Niſi enim perſona producens & ſe diffundens, totam ſuam naturam alteri perſonæ cõmunicaret, non eſſet ſumma & perfecta diffuſio, nec proinde ratio boni ſummi (quod naturaliter eſt ſui diffuſiuũ) tibi æterno Deo conueniret.

Credimus igitur & congratulantes confitemur, quia ex hac ſumma & infinita bonitate tua ſequitur, ſumma & perfecta tui communicatio. Ex perfecta communicatione, neceſſariò ponenda eſt in vna diuinitate, trium perſonarum Trinitas. Et cum per hanc perfectam communicationem tota ſubſtantia vnius perſonę alteri communicetur, ſequitur ſumma perſonarum conſubſtantialitas. Et ex ſumma conſubſtantialitate, conſequenter intelligitur, ſumma ſimilitudo, conformitas, æqualitas & identitas, & inſeparabilis vnitas, quoniam vnaquæque perſona eſt inconfusè in duabus alijs tota, per circumincessionem, & vnaquæque perſona cum alijs duabus operatur ad extra, per omnimodam indiuiſionem ſubſtantiæ, virtutis & operationis. Et quicquid de ſimplicitate & perfectione infinita Dei abſolutè accepti poteſt dici, cuilibet perſonæ æqualiter & indiuisè conuenit.

Itaq; credo & congratulans confiteor, quia quilibet veſtrûm (ô Pater, ô Fili, & ô Spiritus ſancte) eſt infinitæ poteſtatis, ſecuritatis

& opulentiæ, infinitæ ſapientiæ, pulchritudinis, claritatis, gloriæ & æquitatis, infinitæq; bonitatis, charitatis, ſanctitatis, perfectionis & beatitudinis. Quæ omnia in vobis ſunt vna & eadem eſſentia diuina, ſimpliciſſima & indiuiſibilis ac immultiplicabilis.

Credo & congratulans cõfiteor, quia quicquid perfectionis in creaturis inuenitur, in te (ô Deus æterne) ſupereminenter exiſtit. Cùm ergo tu cœleſtibus corporibus, ſolariſque luci, imò & ipſi terræ tribuas ineffabilem fœcunditatem, cauſalitatem, diffuſionem & influxionem, vtique tu ſuperopulentiſſimus & immenſus, habes immenſam fœcunditatem & emanationem intrinſecam, ac totius tuæ ſubſtantiæ & plenitudinis communicationem perfectiſſimam. Vnde cùm generatio filij in identitate naturæ ſit perfectiſſima productio, vtiq; illa in te inuenitur. Propter quod Iſaias Propheta in tua perſona dicit: *Nunquid ego, qui alios parere facio, ipſe non pariam, dicit Dominus? Si ego qui generationem cæteris tribuo, ſterilis ero, ait Dominus Deus tuus?* cap. 6.

Et cùm nihil delicioſiùs iudicetur, gaudio & amplexu & præſentia filij ſapientis & boni, certè in te ſuperdelicioſiſsimo & affectuoſiſsimo Deo inuenitur & eſt perſona prodiens à te ſolo Patre, Filius vtique ſummè ſapiens & bonus, in quo ſemper tibi ſummè complacuiſti. Inuenitur quoque perſona ex vtroque veſtrum profluens, commune germen veſtrûm, quod æquali dilectione diligitis, & vos ſimiliter diligit.

Credo inſuper & amans confiteor, quia tibi (Deus æterne) competit & ineſt charitas

perfectissima & immensa, quam cùm nulli bono creato impẽdas (eò quòd non sit in infinitum amabile) certum est te alicui increato bono eam impendere. Cùm autem perfectio charitatis requirat habere dilectum & condilectum, agnosco & congratulans confiteor, in te inueniri personam diligentẽ (quæ est, Pater) & dilectam (quæ est filius) & condilectam (quæ est Spiritus sanctus,) quarum quælibet est infinitè amabilis, & cõdigna immensa dilectione. Cùm enim nihil extet suauius & fœlicius delicijs mutuæ charitatis, & in diuinæ tuæ beatitudinis superplenissima opulentia contineatur excellentissimè, quicquid spectat ad perfectæ fœlicitatis sanctas delicias, certum est in te esse has charitatis erga dilectum & condilectum delicias.

Credo & congratulans confiteor, quia tu Deus cùm sis lux exuberantissima & immensa purúsque actus, radium quoque infinitum ex te ab æterno producis, qui est Filius tuus.

¶ *Contemplatio infinitæ deliciositatis & complacentiæ, quam quælibet superbeatissimæ Trinitatis persona habet, & possidet iugiter in perfecta intuitione & fruitione alterius vtriusque.*

CAP. XI.

CREDO amánsque congratulor, ô beatissima Trinitas, quod quælibet ex vobis persona (ô Pater, Fili, & Spiritus sancte) alias duas perfectissimè & suauissimè diligit multis ratio-

nibus. Primò,quia quò quid est melius, tantò est diligibilius: quælibet autem persona scit alias esse bonitatis prorsus infinitæ.

Secundò, quantò aliquid alteri est similius, eò amabilius censetur: quia similitudo est causa amoris. Quælibet autem persona nouit alias sibi esse prorsus consimiles, & conformes in omni essentiali perfectione.

Tertiò, propinquitas vnius ad alium & affinitas, est ratio amandi, & quo aliqua sunt magis vnum, eò se ampliùs naturaliter diligunt. Quælibet autem persona intelligit se alijs duabus esse summè proximam,affinem, imò & prorsus vnam & eandem numero, in essentia, & in diuinitate.

Quartò, naturalissimum est amantem se amare, & quælibet persona nouit se ab vtraque altera infinitè amari. Quia quælibet persona tantùm cognoscit, & diligit aliam, quantùm cognoscibilis est, & diligibilis: quælibet autem persona cùm sit infinita, est etiam infinitè cognoscibilis & amabilis: vnde quælibet, aliam infinitè cognoscit, & diligit.

Quintò, communicatio propriæ bonitatis, siue beneficentia est ratio dilectionis, & quantò quis maiora ab aliquo recipit beneficia, eò tenetur magis eum diligere. Tu autem Fili scis te à Patre recepisse totam diuinitatis & bonitatis ipsius plenitudinem. Et similiter tu Spiritus sancte, agnoscis te idem à Patre & Filio accepisse.

Amans igitur tibi congratulor, ô Pater æterne, pro eo quod tu incomprehensibilis,

ſupereſſentialis,& immenſus Deus, ſtas & es ad vnicum ſuperdilectiſſimum filium tuum æternaliter, inuariabilitérque cõuerſus,quem perfectiſſimè cognoſcis eſſe ſuperoptimum, & ſuperamandiſsimum, tibiq́; omnino ſimilem,conformem, conſubſtantialem,coæqualem, & de corde tuo progenitum. Cui etiam te totum communicaſti, & in quem totius diuinitatis tuæ plenitudinem effudiſti, & à quo cernis te infinito amore amari. Vnde etiam illum amas, amplecteris & ſtringis dilectione ſuperacutiſsima,ſuperferuentiſsima, & prorſus infinita, ipſumq́; contemplatis, & inſpicis, cum immenſo & ſuperſuauiſsimo gaudio, eúmque intra te fruitiuè habes, & poſsides, cum complacentia verè immenſa, & ſuperdelectabiliſsima.

Amans ſimiliter tibi congratulor vnigenite Fili Deus, pro eo quod tu ſimiliter ſtas ad Patrem æternaliter & inuariabiliter conuerſus, ſciens & contemplans illum eſſe infinitè bonum & ſuperamabiliſsimum, à quô ſcis te totius boni, & beatitudinis ſuæ plenitudinem accepiſſe, quem noſti te infinito amore proſequi, téque ſibi per omnia ſimilem,conſubſtantialem,coæqualem, & vnum in natura genuiſſe. Propter quod tu viciſsim illum amas ſuperferuentiſsimo, & infinito amore,eúmque intueris, & perfectè comprehendis cum immenſa lætitia,& ſuperdelicioſiſsima complacentia.

Amans vobis congratulor (ô Pater & Fili) quia ſimili modo & feruore charitatis, cum infinita complacentia, ſtatis æternaliter, & inuariabiliter conuerſi ad Spiritum ſanctum,

quem simul ab æterno spirastis, eiq; omnem vestram substantiam & bonitatem communicastis, quem scitis superoptimum, vobisq; prorsus similem, coequalem, consubstantialem, vnum in natura, & à quo scitis vos infinito amore amari.

Amans tibi pariter cõgratulor Spiritus sancte Deus, quia tu similiter ad Patrẽ & Filium es æternaliter & inuariabiliter cõuersus, cum tam claro intuitu & perfecta comprehensione, cum tanto charitatis feruore, cũ tam immensa & perfecta lætitia & complacentia, sicut Pater & Filius ad se inuicẽ, & ad te sunt conuersi. Tu enim scis & contemplaris Patrem & Filium esse superoptimum & superamabilissimũ, téque ab vtroque infinitè amari, & habere, vt sis eis per omnia consimilis, coæternus, coæqualis, cõsubstantialis & vnus in natura & essentia.

Igitur amans vobis congratulor (ô Pater, Fili, & Spiritussancte, tres personæ & vnus Deus) quia quilibet vestrûm, vtrũque alium æternaliter, infinitè, superardenter, superdulcissimè, superiucundissimè, superintimè, & superperfectissimè intuetur, comprehẽdit, contemplatur, diligit, complectitur, stringit, fruitiuéque intra se habet & possidet, estq; in vobis omnium bonorum, pulchrorũ & desiderabilium superdiues, perfecta & securissima possessio. Cúmque mutuus amor vester sit immensus, conuictus etiam vester, & vnio est deliciositatis immensę, & vita vestra ęternalis est superdelectabilissima & superfœlicissima, siquidem cum infinita voluptate & opulentia inuicem perfruimini.

Eya vnitrine Deus superbeatissime & superbenignissime, quia vis, & sicut scis, vis, & potes, fac vt nos in hac tua beatitudine, vita & gloria epulemur, vestræq; mutuæ cõtemplationi, fruitioni, dilectioni, complacentiæ, & delicíositati infinitæ & æternæ, toto mentis affectu ex puro & feruenti amore congratulemur, non ob commodum nostrum, sed propter tuum beneplaciium & bonitatem, quia videlicet hoc vis, & per hoc tibi præstamus gratissimum, & perfectissimum obsequium, tuúmque gaudium in nobis (sicut desideras) impletur.

¶ *Contemplatio quorundam arcanorum & mysteriorum superaltissimæ Trinitatis, quæ simplicioribus non sunt facilè proponenda, nisi valdè dociles & fideles fuerint, nec etiam à subtilioribus sunt præsumptuosa consideratione discutienda, sed sola fide firmiter credenda, & cum admiratione confitenda & prædicanda.*

CAP. XII.

Credo simpliciter & admiror, amánsque cum gaudio recolo & confiteor, quia in te simplicissimo & vno Deo, est pura vnitas, vera Trinitas, & summa ac indiuidua simplicitas. Nec tamen vnitas repugnat Trinitati, nec

Trinitas vnitati, & in vnitate & Trinitate seruatur summa simplicitas.

Credo quia tu indiuidua Trinitas, Pater, Fili, & Spiritus sancte, estis tres verę, supersubstantiales, & æternæ personæ, suppositaliter, realitérque distinctæ, & tamen vos tres (seu vestra hæc Trinitas) nihil aliud est quàm purissima & simplicissima vnitas, vtpote ipsa diuina essentia, ac Deitas quæ multiplicari aut diuidi non potest, quia quicquid in Deo est, est vna simplex natura, & diuinitas æterna, & vnus Deus.

Credo quòd sola relatio personas distinguit & multiplicat, & tres personæ sola relatione ab inuicem differunt, in eo quod tu Pater à nullo procedens, generas Filium, tu Filius à solo Patre generaris, & tu Spiritus sanctus, ab vtroque simul spiraris, & procedis. Quæ relationes realiter diuersæ sunt, non quod sint diuersæ res essentialiter, seu secundùm essentiam, sed quod in vna & eadem diuina essentia verè, & realiter fundentur, & distinctæ sint propter diuersitatem relationis. Relatio enim non est quid aliud ab essentia diuina, nec quispiam superaddit eidem, imò est eadem res prorsus cum essentia. Sed sicut ea quæ in creaturis per plures formas, & entitates sunt, in Deo sunt vnica & simplicissima forma (nam homo per aliud est sapiens, & per aliud est bonus, & sic de cæteris: Deus autem vno & eodem esse, & est, & sapiens est, & bonus, & iustus, & omnipotens est: quia hæc & cætera omnia quæ Deo conueniunt, sunt vna simplicissima

essentia

eſſentia diuina) ſic propter diuinæ eſſentiæ vniuerſalem perfectionem, & infinitam plenitudinem, inuenitur in diuina eſſentia, & relatio, quæ eſt ratio diſtinctionis perſonarum, & vnitas naturæ quæ eſt communionis cauſa & vnitatis.

Tres ergo perſonæ ſuperſanctiſsimæ Trinitatis ſunt per comparationem ad eſſe relatiuum perſonaliter & realiter diſtinctæ, & tamen vnum in ordine ad eſſe abſolutum, quia ſunt vna natura, vna eſſentia, & vnus Deus. Vnde ſunt tres res, & vna res. Tres res propter relationum realem diſtinctionem, & vna res propter eſſentiæ identitatem, & vnitatem. Filius enim non recipit à patre aliud, aliámve naturam, quàm eſſe, & naturam Patris: ſed eſſentia diuina quæ eſt in Patre tanquam in fonte, per æternam generationem communicatur Filio, & per æternam ſpirationem, Spiritui ſancto.

Credo quòd tu Pater verè generas verbum Filium tuum, & licèt in te idem ſit actio, & eſſentia, hypoſtaſis ſeu perſona & natura, eſſentia tamen ipſa non dicitur generare, nec generari, quia non eſt terminus generationis paternæ, ſed ipſe Filius, qui eo ipſo quo gignitur, eſſentiam diuinam accipit à te Patre, de cuius ſubſtantia naturaliter, & neceſſariò procedit. Et quamuis ipſe Filius qui gignitur, nihil aliud ſit quàm diuina eſſentia, quam à te Patre accepit, tamen Filius ipſe generatur, eſſentia autem non dicitur generari.

Vnde eſſentia non vocatur aut dicitur Pater, nec Filius, nec Spiritus ſanctus, licèt Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus, nihil aliud

ſint

ſint eſſentialiter quàm ipſa eſſentia, ſed relationibus ab emanatione intrinſeca procedentibus differunt.

Eſſentia autem diuina per ſe ſumpta & nominata, non denotat vllam relationem, vnde nec vllius perſonæ nomen ei conuenit, quia ſolæ relationes in diuinis perſonis conſtituunt. Et licet relationes in eſſentia fundentur & realiter conſiſtant, non tamen eam determinant, ſed ſolas perſonas.

Perſona autem in diuinis aliter ſecundùm Theologos accipitur, & aliud ſignificat, quàm ſecundùm philoſophos: philoſophi enim perſonam diffiniunt, eſſe indiuiduam rationalis ſubſtantiæ naturam, ſingularem ac per ſe ſubſiſtentem, quæ diffinitio eſſentiæ diuinæ conuenit, & tamen Theologicè loquendo, eſſentia diuina non eſt perſona, quia in diuinis perſona dicitur & diſtinguitur ſola relatione.

Credo & admirans confiteor, quia licèt in vobis tribus Patre, Filio, & Spiritu ſancto, vnus & idem numero ſit intellectus, & vna voluntas, & quilibet veſtrûm ſeipſum, & alias perſonas plenè intelligat, & amet: tamen tu Pater, ſolus intra te profers & generas verbum, & vos ſoli Pater & Filius, ſpiratis Spiritum ſanctum, & tu Spiritus ſancte nec generas, nec ſpiras aut producis germen tibi proportionatum, cum tamen tua bonitas, & plenitudo ac perfectio, vna eadémque prorſus ſit, quæ eſt in Patre, & Filio.

Credo quod in emanatione diuina ad in-

tra, nõ est nisi processus actus ab actu, & perfecti à perfecto: & cũ hæc emanatio sit intellectualis, æterna & incõmutabilis, in ea nulla est dependentia & imperfectio. In æternis namque non esse nullo modo præcedit esse: sed Filius & Spiritus sanctus ab æterno recipiunt idem esse, eandemque naturam, essentiam & perfectionem quæ est in Patre.

Credo & admirans confiteor, quia quicquid in te est (ô Deus vne & simplicissime) est diuina essentia, & essentialiter verus Deus. Et nihilominùs credo & confiteor, quia alia est in te emanatio intellectus, qua tu Pater Filium generas, & alia voluntatis, qua vos Pater & Fili, simul spiratis Spiritum sanctum, cùm tamen in te, intellectus & voluntas sint vna potentia & ipsamet diuina essentia: sed prædictæ emanationes distinguuntur, propter rationis & relationis ac proprietatis personalis distinctionem, quæ nullam inducit essentialem diuersitatem.

Credo & cõfiteor, quia nulla perfectio tibi Patri inest, quæ non insit Filio & Spiritui sancto, non tamen secundùm rationem & relationem vniformiter: sed tu Pater à teipso habes omnem perfectionem: tu Fili à solo Patre eandem recipis, & tu Spiritus sancte à Patre & Filio simul illam eandem accipis. Ita quod in singulis vestrûm, est perfectio infinita, nec vnius personæ perfectio alteri potest deesse, cùm in tribus sit vna & eadem numero essentialis perfectio, & essentia diuina infinita, & indiuisibilis ac immultiplicabilis.

Et licèt relatiua notialisque perfectio tua (ô Pater) quæ est paternitas & generatio

actiua, ſecundùm propriam rationem & relationem tibi ſoli Patri conueniat, tamen eſſentialiter dicitur ineſſe Filio & Spiritui ſancto, quia ſecundùm eſſentiam paternitas & generatio actiua nihil aliud ſunt niſi diuina eſſentia, quæ in ſingulis perſonis ineſt tota & perfecta. Vnde conſtat quod nulla eſſentialis perfectio alicui diuinæ perſonæ deeſt, quia ipſa diuinitatis plenitudo & infinita perfectio, quæ eſt in ſingulis, omnem imperfectionem ab eis excludit. Et per eandem potentiam pater eſt generans, & Filius eſt genitus. Et ſicut Patri eſt immenſa perfectio habere Filium ſibi æqualem & verum Deum, ita Filio eſt infinita nobilitas & perfectio eſſe veri Dei verum & naturalem Filium.

Veruntamen in ipſa Trinitate (in qua nihil prius aut poſterius tempore, nihil maius aut minus perfectione & eſſentia eſſe credimus) piè & catholicè confitemur eſſe veram originem & proceſſionem, qua vna perſona ex alia procedit, veramque authoritatem, & ſubauthoritatem, quæ tamen nullum introducunt eſſentialem gradum, ordinem vel diſtinctionem.

De diuersitate nominum Deo conuenientium.

CAP. XIII.

Credo & cōfiteor, quòd licet Deus substantialiter prædicetur de Patre & Filio & Spiritu sancto, tamen Pater, Filius & Spiritus sanctus non prædicantur de Deo, nisi relatiuè. Verè enim & catholicè dicimus & confitemur Patrem esse substantialiter Deum, & similiter Filium esse essentialiter Deum, & pariter Spiritum sanctum esse Deum. Sed Deus non dicitur Pater nisi relatiuè tantùm, & eo respectu quo Filium generat. Et Deus non dicitur Filius, nisi quatenus à Patre generatur. Et Deus non dicitur Spiritus sanctus, nisi eo respectu & relatione qua à Patre & Filio procedit.

Credo quòd in diuinis tres sunt proprietates personales, quarum vnaquæque vni tantùm personæ conuenit: scilicet Paternitas, Patri: filiatio, Filio: & spiratio passiua, Spiritui sancto. Relationes autem quibus personæ ad se inuicem referuntur, sunt quatuor, videlicet paternitas, filiatio, processio seu spiratio passiua, & actiua spiratio, quâ Pater & Filius communiter & simul referuntur ad Spiritum sanctum. Denique in diuinis sunt quinque notiones quæ personas notificant, scilicet innascibilitas, & paternitas soli patri conuenientes, Filiatio soli Filio

comple

complectens,actiua ſpiratio,communis Patri & Filio.Et ſpiratio paſsiua ſeu proceſsio, propria Spiritui ſancto.

Credo quod inter nomina quæ Deo tribuuntur & conueniunt quædam ſunt prædicata eſſentialia, quæ tribus perſonis æqualiter conueniunt, quia in ſingulis eſt vna & eadem eſſentia, & perfectio eſſentialis quæ per huiuſmodi nomina notatur. Talia ſunt hæc nomina: Deus,bonus, ſanctus, vita,ſanctitas,& ſimilia. Quædam verò nomina ſunt notionalia & perſonalia quæ ſingula ſingulis perſonis ſic ſunt propria vt alijs duabus non conueniant.Qualia ſunt hæc, Pater, Filius,& Spiritus ſanctus.Item mens concipiens, verbum genitum,amor procedens,& ſimilia.

Quædam denique nomina appropriata dicuntur: ea videlicet quæ licet ſingulis perſonis & omnibus ſimul, æqualiter conueniant, tamen propter quandam conuenientiam & appropriationem ſingula eorum ſingulis tribus perſonis, ſpecialiùs approprientur & aſſignantur. Verbi gratia. Quia Pater à nullo eſt & Filiũ generat, approprientur,ei nomina illa quæ potentiam & authoritatem denotant, vt æternitas,principium,potentia, maieſtas,& ſimilia.

Quia verò Filius per conceptionem intellectus à Patre generatur: ideò ea quæ ad intellectum pertinent magis illi appropriantur, vt ſunt hæc, veritas, ſapientia, prouidentia, ars,ratio,exemplar,& ſimilia.

Denique Spiritui ſancto (qui per modum voluntatis & complacentiæ à Patre & Filio producitur) magis aſsignantur ea quæ ad

voluntatem ſpectant:qualia ſunt,amor,bonitas,benignitas,oſculum,ſuauitas, dulcedo & ſimilia.

Veruntamen omnia hæc abſolutè ſumpta, & ſecundùm quod eſſentialem perfectionē denotant,ſingulis perſonis æqualiter conueniunt.

Sunt etiam quædam nomina, quæ conueniunt Deo reſpectu creaturarum, videlicet quod ſit creator omnium, Dominus, gubernator & ſimilia,quæ ſingulis & omnibus perſonis ſimiliter conueniunt.

Alia poſtremò nomina ſoli Filio, ratione humanitatis aſſumptæ conueniunt,videlicet, quod ſit incarnatus, natus,paſſus, mortuus, quod ſit homo,quod reſurrexerit, aſcenderit, & ſimilia. Quod ſit frater noſter, mediator, Emmanuel, fideiuſſor,& ſimilia.

De mentis humanæ & virium ſeu potentiarum eius quibuſdam nominibus & proprietatibus.

CAP. XIIII.

Mens ſeu anima rationalis, in quantum eſt forma immaterialis,intellectiua, ſimplex, volitiua & libera: appellatur primæ mentis imago,diuinæ lucis ſignaculum,veritatis radius immortalis: ſicque velut ſuprà tempus omne,& continuum eleuata, habet quendam reſpectum ſeu vultum directè ac immediatè tendentem ad diuina & cœleſtia, imò & ad ipſum Deum creatorem:ac per hoc

censetur capax veræ beatitudinis, quia cogoscendo ac diligendo est conuersiua ad Deum, eidemque immediatè vnibilis, per eius beatificam visionem & fruitionem, in qua fruitione consistit omnium intellectuũ creatorum fœlicitas summa.

Vires superiores animæ incorruptibiles & organicæ, quibus ipsa immediatè coniungitur Deo, sicut obiecto, sunt intellectus & voluntas, quibus contemplando & diligendo infigitur Deo.

Porro vis intellectiua, in quantùm est discursiua, dicitur ratio, in quantùm est simplici apprehensione intuitiua, dicitur intellectus, in quantùm verò est diuinitatis & diuinorum contemplatiua per simplicem apprehensionem, dicitur simplex intelligentia.

Voluntas etiam, seu vis appetendi & volendi, in quantùm est appetitiua seu volitiua boni intellecti, dicitur voluntas, in quantùm verò habet respectum ad summum diuinumque bonum, dicitur apex principalis affectiuæ potentiæ.

Prætereà, secundùm Diuum Thomam, in ratione speculatiua est quidam habitus animæ concreatus, quo principia prima in speculabilibus naturaliter, terminis intellectis, sine discursu mox ei innotescunt: ex quibus principijs procedit ratio ad notitiam conclusionum, talia principia sunt hæc. Quod totum maius est sua parte, quod de quolibet est affirmatio vel negatio. Et hic habitus, propriè vocatur intellectus.


In ratione verò practica, alius est habi-

tus concreatus animæ, quo prima principia in operabilibus, naturaliter cognoſcit. Vt, quod Deo eſt obediendum, bonum malo præferendum,& ſimilia. Et hic habitus,(ſecundùm Diuum Thomam)vocatur ſynderesis, quæ naturaliter mouet ſtimulatque ad bonum, & malo remurmurat. Eſtque illud naturale iudicatorium, in quo (ſecundùm D.Auguſtinum)vniuerſa iuris naturalis principia ſcripta ſunt,& ſemina virtutum vera & incommutabilia. Et hæc ſynderesis interdum nominat habitum tantùm, interdum potentiam ſimul cum habitu, & ſpectat ad intellectum practicum, ſecundùm Diuum Thomam.

Alij tamen dicunt, ſynderesin eſſe vim animæ motiuam ſeu affectiuam, quæ ſemper natā eſt in ſuperioribus figi, & ad diuina eleuari,ad bona mouens & ſtimulans,& mala abhorrens. In idem redit, quod alij dicunt,ſynderesim eſſe vim appetitiuam naturaliter inclinatam ad ſequendum motionem boni, ſibi ex apprehenſione ſimplicis intelligentiæ præſentati. Poteſt etiam per ſynderesim intelligi, actus ex præfata vi manans.

Ergo ſecundùm D. Thomam, ſynderesis eſt idem realiter quod ſuperior ſcintilla rationis ſeu intelligentiæ.Quæ dicitur ſcintilla propter ſplendorem cognitionis,& ardorem inclinationis ad bonum. Per eam enim anima conſpicit verum,& inclinatur ad bonum. Hæc in principijs practicis nō errat:ſed ſemper ei repugnat quod illis eſt contrarium, & in nullo homine vnquam ex toto extingui-

tur,



PRAEFATIO SPECIALIS IN TERTIVM TRACTATVM exercitiorum ſpiritualium, ſcilicet viæ vnitiuæ.

TERTIVS iſte tractatus continet decem meditationes, quarum ſingulis aſſignata ſunt, quatuor Ternaria nominum, tribus perſonis ſuperbeatiſſimę Trinitatis propriorum vel ſaltem appropriatorum ſeu accommodatorum. Ad quorum intellectum, contemplationem & guſtum, plurimùm conferent & iuuabunt ea quæ ex patris noſtri Dionyſij Cartuſiani hîc præmiſſa ſunt.

Porrò in ſingulis Ternarijs exercentur & prægustãtur actus beatorum iam in cœlo regnantiũ. Horum enim exercitium omne & occupatio tota eſt trinum & vnum Deum tota mente & memoria iugiter recolere, præſentem ſentire & poſſi-

dere, adorare & reuereri: toto intellectu eundem clarè intueri, contemplari, laudare & admirari: tota voluntate ipsum amare, amplecti, eius beatitudini intimè gaudere, eadémque perfrui: denique toto affectu ipsi gratias agere, & se totos in eius gratissimum obsequium ex purissimo amore offerre & impendere: sicque ipsi beatificè vniri & vnus cum eo spiritus effici, per voluntatis conformitatem & transformationem. Quæ omnia in sequentium Ternariorum contemplatione, quodammodo exercentur & prægustantur. Siquidem sub cuiuslibet Ternarij meditatione, ad primum eius nomen (quod personæ Patris, cuius imaginem memoria magis repræsentat, attribuitur) tota mente & memoria ipsum Patrem recolimus & adoramus. Ad secundum verò Ternarij nomen, Dei filium (cuius imago in intellectu resplendet) toto intellectu contemplamur & glorificamus. Denique ad tertium Ternarij nomẽ, tota voluntate (quæ Spiritũ sanctum magis

repræſentat) ipſum Spiritũ ſanctum amamus, amplectimur, & eius bonitati congratulamur. Deinde tres ſimul personas in vnitate diuinæ eſſentiæ vnum Deũ agnoſcentes, ipſi vnitrino Deo, toto corde gratias agimus pro nominibus Ternarij me ditati, & pro alijs omnibus, eidémq; nos totos offerimus in omne gratum obſequium.

Poſtmodùm repetentes ordinatè ſingula Ternarij nomina, adiungimus aliquam obſecrationem cuilibet conuenientem. Et quia contemplationes iſtæ referuntur potiſſimùm ad ipſam ſinceram & amoroſam conſiderationem ſummæ diuinitatis: ideò fere omnes petitiones Ternarijs adiunctæ ad hoc tendunt: & vt plurimum, ad primũ nomen rogatur pater, vt noſtram memoriam in ſe ſtabiliat & fœcundet, vt ipſum præſentem ſentiamus & adoremus, eidémque adhæreamus. Ad ſecundum nomen rogatur Dei Filius, vt intellectum noſtrũm illuminet, quatenùs in ipſo Filio & per ipſum & cum ipſo

Patrem agnoſcamus, contemplemur, glorificemus, & in eius claritatem transformemur. Ad tertium nomen rogatur Spiritusſanctus, vt voluntatem noſtram ſuo amore & ſuauitate accendat, afficiat & repleat: denique à tribus ſimul, ab vnitrino Deo ſimpliciſſimo, petimus vt igne ſui amoris nos in ſe abſorbeat, transformet, vniat & clementer exaudiat. Ad quod citiùs obtinendum, poſt contemplationem quatuor Ternariorum ſingulis decem meditationibus aſſignatorum, ſubiunguntur plures amoroſæ aſpirationes, quibus ſuſpiramus ad illam ſupernaturalem & myſticam contemplationẽ & vnionem cum Deo, quæ nulla humana induſtria aut exercitatione poteſt acquiri: ſed ad eam ſola ſupernaturali irradiatione & tractu diuino pertingitur: quando ſcilicet dignatur Deus ſua liberaliſſima voluntate ſpiritum contemplantis & ad ſe ſuſpirantis ſibi intrahere, & abſque intermedia ſpecie intelligibili, ſecum vnire: quod nemo ſcit, niſi

qui

qui accipit & guſtat, quia hoc nec verbis explicari poteſt, nec rationis diſcurſu comprehendi. Vnde non præſumimus in hoc tractatu, quicquam de huius myſticæ vnionis modo & proprietatibus explicare: ſed duntaxat proponimus contemplationis rationalis exercitia, quibus ad eam præparemur & ſuſpiremus, & in his vel ſimilibus immoremur, donec dignetur Dominus nos ſupernaturaliter intrahere, cuius tractum ſi ſenſerimus, debemus ſtatim, relictis noſtris conſuetis exercitijs, illum ſequi, quandiu durauerit, quo ceſſante, repetenda ſunt rationalia exercitia, ne in conſpectu Domini otioſi inueniamur, aut etiam ad alia extranea & inutilia mens noſtra pereffluat.

Cæterùm in exercitatione decem meditationum quæ in hoc libello proponuntur, hoc ordine & modo proceditur.

Primò oratio præparatoria initio cuiuſlibet meditationis præmittitur, quæ habetur. pag. 644

Secundò, præfatio generalis ſubiungitur quæ habetur. pag. 648. 649.

Tertiò quatuor peculiares Contemplationes circa quatuor Ternaria, cuilibet meditationi aſſignata, ponuntur. 650

Quartò, poſt Contemplationem quatuor Ternariorum, ſubiungitur obſecratio generalis quæ habetur, p. g. 660

Cui additur vna ſpecialis obſecratio & adoratio, ſuper vno ex decem Ternarijs perfectionum ſuperſanctiſſimæ Trinitatis, quæ conſequenter ſcribuntur poſt generalem obſecrationem.

Quintò, ponitur concluſio totius meditationis, continens plures aſpirationes ad diuinam vnionem. pag. 688

Igitur in qualibet meditatione hæc ſola variantur, ſcilicet quatuor diuerſa Ternaria ſingulis decem meditationibus ſequẽtibus ad contemplandum aſſignata; & ſpecialis obſecratio per vnum Ternarium perfectionum SS. Trinitatis.

Cætera omnia (videlicet oratio

prępara toria, pręfatio generalis, obſecratio communis, & concluſio meditationis, in ſingulis meditationibus repetuntur & ſimiliter exercentur.

Cæterùm ne deuotus exercitator obruatur & tædio afficiatur, nimia prolixitate & multitudine eorum quæ in qualibet meditatione hîc ponuntur, obſeruet modum & ordinem ſequentem. Aſſignet ſibi certum tempus, quod ſingulis diebus (niſi impedimentum occurrat) ſtabiliter impendat huic exercitio ſpirituali. Deinde vnam, putà primam harum decẽ meditationũ aſſumens exercendam, nõ curet eam abſoluere vna hora, vel duobus, aut tribus diebus: ſed contentus ſit tantũ de ea moroſè & affectuoſè meditari, quãtum ſufficiet ad occupandũ totum tẽpus ſibi ad meditandũ aſſignatũ: & ſequentis horæ, ad meditandũ aſſignatæ, meditationẽ, pręmiſſa breui præparatione, incipiat ab eo articulo, in quo præcedẽti hora ſuũ exercitium finiuit & terminauit: & ſic proſequatur vnã meditationem tot

horis & diebus, quot habuerit necesse ad eam deuotè & morosè ruminandam. Et cum vnam ex his decem meditationibus sic absoluerit, tunc ad sequentem simili modo & ordine procedat. Sic non inueniet has meditationes esse prolixiores: quin potiùs nouam semper deuotionem & gustum in illis experietur ex varietate diuersorum Ternariorũ & aliorum quæ in singulis meditationibus continentur.

Porrò aduertendũ est hæc exercitia magis conuenire his qui sunt subtilioris & acutioris ingenij, & egent pluribus obiectis & articulis, vt eorum mens absque tædio & distractione occupetur in amorosa Dei consideratione, quales sunt hi qui in suis meditationibus ducuntur magis rationali deuotione & affectione, quàm naturali quadam suauitate & molli affectione. Hi enim qui naturaliter quieti ac modesti ac amorosi spiritus sunt, non indigent tot obiectis & tàm varia nominum cõsideratione, quoniam vnica vel duabus, aut certè

paucis affectiuis aspirationibus facilè afficiuntur erga Deum, & ei dulciter ac stabiliter adhęrent. Nihilominùs tales inuenient in his exercitijs multa sibi propria & accommoda, in quibus morosè considerandis sentient se in Dei notitia & amore magis proficere. Debebũt autem non omnia quæ hîc ponuntur sibi assumere, sed ex eis illa seligere quibus senserint se magis ad Deum affici,

Denique ista exercitia circà superSanctissimæ Trinitatis contemplationem frequentãda proponuntur, his qui in vitiorum mortificatione, & solidarum virtutum exercitatione sunt iam probè fundati & longo vsu confirmati. Nihilominùs incipientes, & proficientes possunt aliquãdo ista exercitia legere & percurrere, vt videant ad quem finem & perfectionem debeant aspirare, & maximè vt ex eorum Ternariorum cõsideratione proficiant in notitia & amore superbeatissimæ Trinitatis, eámque per ista ternaria deuotiùs adorent & glorificent, quo-

tres cantant hunc versum (Gloria Patri & Filio & Spiritui sancto) aut similes, in quibus tres personæ Trinitatis exprimuntur.

INDEX BREVITER explicans ea quæ in singulis Capitulis huius tractatus habentur.

IN CAPITVLO PRIMO hæc habentur.

IN CAPITVLO II.
hæc habentur.

IN CAPITVLO III.
hæc habentur.

IN CAPITVLO IIII.
habetur

IN CAPITVLO X.

continétur quatuor contemplationes ſuper his quatuor Ternarijs quintæ meditationi conuenientibus.

IN CAPITVLO XI.

habentur quatuor cõtemplationes ſuper his quatuor Ternarijs ad ſextam meditationem ſpectantibus.

4 *Abyſſus*

&vn

Finis Indicis.



INCIPIT TRACTATVS TERTIVS Spiritualium Exercitiorum, nempè viæ vnitiuæ.

CAPITVLVM I.

Oratio præparatoria, mente exercenda potiùs quàm voce, quando volueris inchoare & prosequi morosiùs, meditationes sequentes.



O Præsentissime & reuerendissime, O intentissime & sapientissime, O promptissime & potentissime,

O superamantissime, & superbeneficentissime,

O superamandissime & supercolendissime,

Domine Deus, Pater, Fili, & Spiritus sancte, trinus in personis & vnus in essentia, quem adorant dominationes & tremunt potestates: ante cuius conspectum beatissima virgo Maria, Throni, Cherubin & Seraphin, omnesque Angeli & sancti cum summa humilitate, tremore & reuerentia procidunt, teque iugiter adorant, reuerentur: te contemplantur, laudant & glorificant: te amant

& amplectuntur, tibique congratulantes & gratias agentes se totos in perpetuum obsequium liberalissimè offerunt. Et si ego vilissimus terræ vermiculus, & planè nihil, ego ingratissimus & infidelissimus peccator & immundus, verè indignus sum coram te assistere, aut nomen tuum cogitare, vel laudare, nedum ad tuæ diuinitatis contemplationem, fruitionem & vnionem aspirare: quia tamen tanta est tua dignatio & benignitas, vt velis & gratum habeas à me adorari, laudari, amari & coli: ideò non ex aliqua præsumptione, neque ex aliqua propria quæsitione: sed ex hac sola tua dignatione, & ex humili obedientia, quam debeo & volo exhibere huic tuæ voluntati, dominæ & reginæ meæ: denique quia vis, & sicut vis, vt in hoc, ex amore gratissimum tibi obsequium præstem, ad tuam gloriam & omnium salutem, multùm desidero nunc actus & exercitia beatorum prægustare, & cum omnibus sanctis tuis te adorare & reuereri, te contemplari & glorificare, te amare & amplecti, tibique congratulando & gratias agendo me totum in obsequium tuum sempiternum offerre. Sed quia ad hoc non solùm ex me insufficiens sum, verum etiam indignus, tu quæso, per omnes tuas miserationes.

1 Me SANCTIFICA, & purifica ab omni peccato & immunditia.

2 EXCITA, ab omni torpore & negligentia.

3 CONFORTA vires mentis & corporis.

4 CO HI

4 COHIBE,& reprime omnia impedimenta,& mentis ac ſenſuum euagationes.

5 COMPONE modum,ordinem & progreſſum.

6 STABILI, dans in ſuſcepta meditatione perſeuerantiam.

7 ET ADIVVA, vt purè propter te, & amorem tuum ac beneplacitum.

8 ET SECVNDVM te,& tuæ ſapientiæ directionem,

9 ET PER TE, tuæque gratiæ motionem & operationem.

10 AC TECVM, in præſentia tua manendo.

11 Et gratiæ tuæ cooperando.

12 Tuum'que tractum ſolicitè audiendo, ac perfectiſſimè ſequendo.

Aggrediar, proſequar, & perficiam ſequentem meditationem, & contemplationem, in vnione omnium laudum & gratiarum actionum, quæ tibi in cœlis & in terris vnquam oblatæ ſunt, & nunc offeruntur, & in perpetuum offerentur, ad tuam ſupremam gloriam,& omnium ſalutem.

Eya igitur ô Pater ſuperpotentiſſime,

Mentem & memoriam meam, tua præſentia & potentia,

1 PVRGA ab omni extranea & vana imaginatione & recordatione.

2 REPLE teipſo, vt nihil præter te

recolat & cogitet.

3 STABILI in te, vt inauertabiliter tibi intendat.

O Fili superſapientiſſime, intellectum meum,

1 PVRIFICA ab omni vitioſa ignorantia, errore, & curioſa vel vana creaturarum conſideratione.

2 ELEVA, & conforta tuo glorioſo lumine, ad te ſolum ſyncerè contemplandum.

3 ILLVMINA, & reple teipſo, vt te abſque media ſpecie, per teipſum clarè videat, laudet, & glorificet.

O Spiritus ſuperſuauiſsime, voluntatem meam,

7 MVNDA ab omni vitioſa affectione, propria quæſitione, & tepore.

8 AFFICE, & ſuccende tui amore & deſiderio.

9 REPLE, & ſatia tuo gaudio & fruitione.

10 Pota, & inebria tua voluptate, & vbertate.

O vnitrine Deus, qui es verus fundus, & intima eſſentia eſſentiæ animæ meæ,

1 Ipſam nudam eſſentiam & fundum animæ meæ plenè tibi gratifica, & placentem redde.

2 SIMPLICEM intelligentiam, siue apicem mentis perfectè irradia & illumina.

3 Synteresim & supremam affectionem, extatico amore inflamma & eleua.

4 Omnesque vires & potentias animæ meæ intrahe, & ab omni creatura abstrahe.

5 Absorbe in te, vt ab omni propria operatione deficientes, tuam solam inactionem patiantur.

6 Transforma in te, sicuti ferrum ignitum in qualitatem ignis transformatur, & vrendi vim recipit.

7 Vni & applica tibi absque medio & differentia.

8 Quieta in te, tuaque interna pace.

9 Et plenè ac liberè posside, & moue iuxta tuum supremum beneplacitum. Amen.

PRÆFATIO

SINGVLIS MEDITATIONIBUS Ternariorum cuiuslibet classis immediatè præmittenda post suprà scriptam præparationem.

CAP. II.

ET nunc (ô vnitrine Deus, & misericors) de tuo adiutorio piè præsumens & confidens, ecce in vnione illius perfectissimæ intuitionis & laudis, amoris & congratulationis, quibus tu (ô altissima Trinitas, Pater, Filius & Spiritus sanctus vnus Deus) teipsum intueris, laudas, amas, & in te summè complaces, & quæ à te, in deuotissimum cor Domini nostri IESV CHRISTI, tuum organum prædulcissimum, fluit, atque inde in omnes Angelos & sanctos procedens, rursus per idem cor, in te superbeatissimam Trinitatem refluit: non ex affectu meo tepido & indignô, sed ex affectu, gratitudine & deuotione gloriosissimæ virginis Mariæ, BB. Angelorum & sanctorum omnium, præsertímque patronorum meorum specialium, & quorum hodiè festum vel memoria, in Ecclesia recolitur: ex parte mea, tuorúmque & meorum specialium, & omnium creaturarum, ad tuam & tuorum sanctorum gloriam, nostrámque & omnium viuorum & defunctorum salutem, eorúmque potissimum pro quibus tu nos vis, aut tenemur, vel intendimus specialiùs orare: ad Ecclesiæ, regni huius, & diœcesis, nostríque monasterij & totius ordinis reformationem & pacem, per suauissimum cor & Spiritũ Domini nostri IESV CHRISTI, te trinum in personis & vnum in essentia Deum & dominum vniuersorum, creatorem & conseruatorem, Patrem, Filium &

Spiritum ſanctum, tota mente & memoria recolo, præſentem ſentio, teneo, adoro & reuereor: toto intellectu, conſidero, intueor, contemplor, laudo, & glorifico: tota voluntate amo, deſidero, amplector, & fruitiuè poſſidere deſidero: totóque corde & affectione atque ex omnibus viribus & ſenſibus anima & corporis, tibi congratulans & gratia agens, me totum in perpetuum obſequium ex puriſſimo amore tibi offero, ad omnia tam aduerſa quàm proſpera, in tempore & æternitate, pro omni bono quod es, quod habes, & operaris, & pro òmnibus nominibus ac perfectionibus tuis.

HIC INCIPIT CONtemplatio ternariorum primæ claſſis ſeu meditationis.

CAP. III.

Specialiter amans adoro & reuereor te, ô pater ingenite,

1 Qui à nullo genitus nec procedens, ab æterno teipſum & omnia; vnico intelligendi actu pefectiſſimè intelligendo, vnicum verbum intus protuliſti, & tanquam mentis tuæ verum filium genuiſti.

2 Cui totam tuam ſubſtantiam ipſum generando, communicaſti, eúmque tibi coæternum, coæqualem & conſubſtantialem genuiſti.

3 Quem ſicut teipſum perfectè amaſti, & in ipſo ſummè tibi complacuiſti: atque nos in eodem per ideam exiſtentes, agnouiſti, amaſti,& gratificaſti ab æterno.

Amans contemplor & glorifico te, ô fili vnigenite,

4 Qui à patre ab æterno genitus, ipſum perfectiſſimè repræſentas, eidem per omnia ſimilis & coæqualis.

5 Qui eundem clariſſimè intueris & ardentiſſimè diligis,laudas,& glorificas.

6 Qui eius notitiam claram, ſanctis infundis, eóſque ád ipſius laudem & contemplationem eleuas.

Amans congratulor tibi & amplector te,ô ſpiritus ab vtroque procedens,

7 Qui ab æterno ex mutua patris & filij dilectione,vnico volendi actu, ab vtroq; tanquam ab vnico principio, ſpiraris & procedis,vtriuſque amor condilectus,coæternus,& conſubſtantialis.

8 Qui patrem & filium clariſſimè intueris & ardentiſſimè diligis.

9 Qui vtriuſque & tui amorem, charitatem, & fruitionem cordibus ſanctorum infundis.

Amans & gratias agens me totum tibi offero (ô vnitrine Deus) pro his, cæteríſque nominibus, & perfectionibus tuis. Atque vtinam, ſicut ſcis expedire ad tuum honorem meámque ſalutem horum nominum intelligentiam & virtutem mihi manifeſtes & efficaciter communices,

Eya ergo, ô pater ingenite,

1 Memoriam meam reple teipſo & ſtabili, vt te mihi præſentiſſimum iugiter recolam, ſentiam, adorem & reuerear.

2 Eam fœcunda, vt eructet & generet verbum de te bonum, conceptum de te pium & verum, imo tu ipſe, verbum tuum in ea genera.

3 In verbo & Filio tuo nos agnoſce, ama & gratifica.

O Fili vnigenite, intellectum meum teipſo irradia & illumina, vt

4 Te verum & vnicum Patris Filium, ipſi coæternum & coæqualem clara fide & intelligentia credam & contempler.

5 In te, per te, & tecum patrem agnoſcam, laudem & glorificem.

6 Et quid ei ſit acceptum, quídque à me requirat omni tempore verè intelligam.

O Spiritus ab vtroque procedens, voluntatem meam teipso reple & affice,

7 Vt per te Patrem & Filium purè & ardenter amem & desiderem.

8 Te vtriusque spiritum & amorem condilectum, simul eodem amore prosequar & diligam.

9 Huiúsque amoris gaudio, fruitione & voluptate replear, satier, poter & inebrier.

O vnitrine Deus, omnipotens & misericors igne tui amoris,

Me totum in te absorbe, transforma, vni & clementer exaudi, ad tuam & tuorum sanctorum gloriam, meámque & omnium salutem & omnium salutarium petitionū exauditionem, Amen. Ita quæso fiat, sicut amanter & confidenter peto (ô benignissime Pater) per Iesum dilectum filium tuum, in quo tibi semper complacuisti, & in cuius nomine nos petentes exaudiendos promisisti, in Spiritu sancto, hoc est in amore illo, in quo nobis eundem filium tuum in fratrem & redemptorem dedisti, intercedente beata Dei genitrice Maria & omnibus Angelis, & sanctis.

O Maria mater Dei, ô Angeli, ô sancti omnes orate pro nobis, & magnificate Dominum nobiscum.

¶ *Contemplatio secundi ternarij primæ meditationis.*

Eya iterum atque iterum millies & centies millies ex affectu quo suprà,

Amans adoro & reuereor te, ô essentia prima,

1 Quæ ab æterno existens, nullum habes principium.
2 Quæ sola à te & per te subsistis.
3 Quæ omnibus das esse & conseruas.

Amans laudo & glorifico te, ô natura naturans,

4 Quæ omnium naturarum es creatrix & conseruatrix.
5 Quæ omnibus das principium motus & operationis naturalis.
6 Quæ omnia inclinas ad quiescendum in loco tibi proprio.

Amans tibi congratulor, ô vita beata,

7 Cui idem est beatè viuere, quod esse.
8 Quæ omnibus viuentibus das vitam & operationem ab intrinseco.
9 Quæ electis tuis vitam beatam donas.

Amans & gratias agens, me totum tibi offero, ô vnitrine Deus, pro his cæteriſque tuis nominibus & perfectionibus: atque vtinam ſicut ſcis, vis & potes, horum tuorum nominum puram intelligentiam & virtutem nobis dones & communices.

Eya ergo, ô eſſentia prima,

1 Fac vt te vbique & in omnibus præſentem ſentiam & reuerear.

2 Conforta & conſerua meam eſſentiam.

3 Eámque tibi gratifica & agglutina.

O natura naturans,

4 Fac vt te in omnibus creaturis agnoſcam, & glorificem.

5 Eſto mihi principium & directio omnis mei motus & operationis, vt in omnibus per te, & ſecundùm te mouear & operer.

6 Inclina cor meum & voluntatem ad quieſcendum in te ſolo, & propter te, in his quæ tibi placent.

O vita beata.

7 Fac vt te vitam beatam, fide viua credam, amem & deſiderem.

8 Vitam naturæ & gratiæ in nobis conſerua & ſecundùm te dirige & moue.

9 Fac nos ad vitam beatam ardenter aſpirare,congruè tendere & tandem peruenire.
O vnitrine Deus,omnipotens &c.vt ſuprà.

¶ Contemplatio ternarij tertij primæ meditationis.

Iterum atque iterum millies & centies millies ex affectu quo ſuprà,

Amans adoro & reuereor te, ó pietas,

1 Quæ ſemper nobis aſſiſtis, & vbique es præſentiſſima, intentiſſima & promptiſſima.
2 Quæ paterna affectione es noſtri ſolicita.
3 Quæ facis Angelos ſanctos vnicuique noſtrûm ſemper aſſiſtere, & noſtri curam & cuſtodiam habere.

Amans laudo & glorifico te, ô prouidentia,

4 Sine cuius præuidentia nihil poteſt fieri, aut nobis accidere.
5 Quæ in tui diſpoſitione nunquam falleris,nec impediri potes.
6 Quæ omnia,etiam mala, in bonum aliquod ordinas, & facis cooperari in bonum electis tuis.

Amans congratulor tibi,ô benignitas,

7 Quæ benigno fauore & efficaci amo-

re, electos tuos semper prosequens.

8 Eosdémque ab omni malo protegis, aut oportunè liberas.

9 Et ad omne bonum illos per angelicum ministerium excitas, dirigis & confortas.

Amans & gratias agens me totum tibi offero,

(O vnitrine Deus) pro his, cæterisq; nominibus, & perfectionibus tuis. Atque vtinam horum tuorum nominum intelligentiam & virtutem nobis manifestes & applices, atque ex his ad amorem tuum nos inflammes.

Eya ergo, ô pietas,

1 Fac vt te nobis semper præsentissimam & intentissimam sentiamus & revereamur.

2 Ad tuam plusquàm paternam pietatem fiducialiter in omni necessitate recurramus, & speremus in ea.

3 Angelos custodes nostros semper & vbique revereamur, eorúmque ministerijs in omnibus adiuuemur.

O Prouidentia,

4 Fac vt in omnibus tuam prouidentiam viua fide credamus, attendamus, & laudemus.

5 De eius dispositione & ordinatione omnia cum gratiarum actione suscipiamus, & profutura nobis speremus.

6 Bonum ad quod singula ordinantur so-

licitè inquiramus, & quolibet euentu percipiamus.

O Benignitas,

7 Fac nos de te ſemper ſentire in bonitate, & benignæ voluntatis tuæ effectus percipere.

8 Per angelicum miniſterium, ab omnibus malis nos aut protege, aut libera.

9 Ad omnia bona tibi placita nos dirige & conforta.

O vnitrine Deus omnipotens,&c.

¶ *Contemplatio quarti ternarij primæ claſsis.*

Iterum atque iterum millies & cẽties millies ex affectu quo ſuprà, pag. 654. 656.

Amans adoro & reuereor te, ô Pater perennis gloriæ,

1 Cuius gloria nec principium habet nec finem eſt habitura.

2 Nec minui poteſt nec augeri.

3 Quem ſecurè poſſident & adorant omnes beati.

Amãs laudo & glorifico te, ô ſplendor paternæ gloriæ fili Deus,

4 Qui gloriam patris perfectiſſimè exprimis & repræſentas.

5 Qui eandem clariſſimè intueris & glorificas.

6 Atque ad eius contemplationẽ & laudem electos tuos illuminas & eleuas.

Amans congratulor tibi, ô deliciæ Patris & Filij Spiritus ſancte Deus,

7 Qui es amor & complacentia, qua Pater & Filius in ſe inuicem, & in te ſibi optimè complacent.

8 Qui in Patre & Filio ſimiliter deliciaris, & tibi complaces.

9 Qui delicijs ſuperſuauiſſimæ Trinitatis ſanctos afficis, reples, & inebrias.

Amans & gratias agens me totum tibi offero,

O vnitrine Deus, pro his, cæteriſq; nominibus tuis. Atque vtinam horum virtutem, & efficaciam nobis manifeſtes & applices, ſicq; ad amorem tuum nos reſtaures & inflammes.

Eya ergo, ô Pater perennis gloriæ,

1 Fac vt te æternum & glorioſiſsimum Patrem viua fide credamus, & præſentem nobis ſentiamus.

2 Te ſuprema latria veneremur, & adoremus.

3 Téque ſecurè poſſideamus, & à te poſſideamur.

O ſplendor paternæ gloriæ,

4 Fac vt in te & per te ac tecum gloriam Patris clarè contemplemur.

5 Te ſimul cum patre laudemus, & glorificemus.

6 Præ admiratione gloriæ tuæ à nobis deficientes in tuam claritatem transformemur.

O deliciæ Patris & Filij,

7 Fac vt per te, in Patris & Filij gloria delectemur.

8 In te quoque ſimili modo deliciemur.

9 Tuiſq; delicijs ſic afficiamur & inebriemur, vt in alijs delectari renuamus & contemnamus.

O vnitrine Deus omnipotens & miſericors, quia vis, & ſicut ſcis expedire ad tuum honorem & meam ſalutem, me totum tui amore, purga, illumina, inflamma, abſorbe, transforma, & vni nunc & in perpetuum.

¶ *Obſecratio generalis facienda & repetenda, in fine quatuor ternariorũ cuilibet meditationi aſsignatorum.*

CAP. IIII.

Sed quando iſta in me perficientur?

Quando, ô Pater ſuperpotentiſſime,

1 Ab omnibus medijs & impedimentis me expedies?

2 Quando memoriam meam ab omnibus imaginibus denudabis?

3 Quando eam teipſo plenè replebis?

4 Quando ipſam in te ſtabilies?

5 Quando pura ſimplici & ſtabili recogitatione teipſum per teipſum recolam & recogitabo?

6 Quando te mihi verè præſentiſſimum ſentiam?

7 Quando cæterorum oblitus, inauertibiliter tibi adhærebo?

8 Quando ſecurè & perfectè te tenebo, & poſſidebo?

9 Quando te ſummè reuerebor?

10 Quando tibi pleniſſimè ſubiiciar?

11 Quando ſupra cogitationem omnem, mentem meam eleuabis & intrahes ad te?

12 Quando cogitando, ſine cogitatione efficiar, & in te abſorbebor?

O Fili ſuperſapientiſſime,

1 Quando intellectum meum plenè purgabis?

2 Quando ipſum eleuabis, & intrahes ad te?

3 Quando illum illuminabis clara tui notitia?

4 Quando abſque intermedia ſpecie, teipſum per lumen gloriæ mihi præſentatum videbo?

5 Quando purá, ſimplici, & libera intelligentia, teipſum per teipſum cognoſcam, & contemplabor?

6 Quando reuelata facie gloriam tuam ſpeculabor?

7 Quando iugiter cum ſanctis tuis te laudabo & glorificabo?

8 Quando facie ad faciem te cognoſcam ſicut à te cognitus ſum?

9 Quando præ admiratione gloriæ tuæ, totus in te ſuſpenſus, à meipſo fœliciter deficiam?

10 Quando caliginem tuam ingrediens, intelligẽdo ſine intellectu efficiar, & in tuam claritatem transformabor?

O Spiritus ſuperſuauiſſime,

1 Quando voluntatem meam perfectè mundabis & purgabis ab omni quod me à te impedit?

2 Quando, me afficies tui amore puriſſimo?

3 Quando me ſuccendes tui deſiderio æſtuantiſsimo?

4 Quando me replebis tuo gaudio pleno?

5 Quando me ſatiabis tua fruitione beatifica?

6 Quando me potabis, torrente voluptatis tuæ?

7 Quando me inebriabis ab vbertate domus tuæ?

8 Quando me totum abſorbebis & transformabis in te?

9 Quando me vnies tibi abſque medio?

10 Quando in tua pace obdormiam & requieſcam?

O vnitrine Deus superſimpliciſſime (qui in fundo & nuda eſſentia animæ meæ ſemper inhabitas, eiúſque es origo & eſſentia prima)

1 Quando ipſum animæ meæ fundum, & eſſentiam perfectè gratificabis, & placentem tibi facies?

2 Quando intelligentiam ſimplicem, ſeu apicem mentis meæ, plenè irradiabis & illuminabis?

3 Quando ſintereſim & ſupremam affectionem animæ meæ, extatico amore ſuccendes & inflammabis?

4 Quando totum ſpiritum meum ſupra omnes vires & operationes ſuas naturales per amorem extaticum in ipſa ſintereſi vehementer accenſum ad hunc fundum in quo inhabitas, intrahes?

5 Quando ſpiritum meum totum ad te introduces, & ſine medio applicabis?

6 Quando omnes vires, & potentias animæ meæ ſic in te abſorbebis, vt ab omni propria & naturali operatione ceſſantes & deficientes, tuam ſolā internā actionem patiātur?

7 Quando ſpiritum meum ſic in te trāſformabis, ſicut ferrum ignitum in ignē transformatur, eiúſque actionem & vim vrendi accipit?

8 Quando ſublatis omnibus medijs, ſpiritum meum ſic tibi vnies, & applicabis: vt vnus amor, vnus tecum ſit ſpiritus: non per eſſentiam, ſed per voluntatis & actionis conformitatem?

9 Quando intellectus meus in docta quadam caligine, & rerum omnium obliuione sic per te constituetur, vt nihil prorsus præter te attendat & intelligat?

10 Imò nec de te aliquid curiosè inuestiget, nec te sub aliqua determinata perfectione, quæ ratione comprehendi possit, consideret?

1 Sed teipsum per teipsum, sine intermedia specie creata, per lumen gloriæ sibi præsentatum attendet?

2 Quando in tuam gloriam & claritatem plenè transformabitur?

3 Quando præ admiratione gloriæ tuæ intelligendo, siue intellectiuo discursu efficietur?

4 Quando intellectu sic foris in hac docta caligine remanente, amor meus cellam vinariam ingredietur?

5 Quando te per lumen gloriæ sibi præsentatum, amorosè complectetur?

6 Quando tibi sine medio & absque differentia vuiar?

7 Quãdo in hac mystica & beatifica vnione suauiter obdormiam?

8 Quando in tua pace, in idipsum vnicum, stabile, & æternum bonum (quod tu ipse es) fœliciter requiescam.

9 Quando gaudium tuum in me implebitur, & gaudium tuum nemo tollet à me?

10 Quando præclarissimum opus tuum in me operaberis, & ego modo perfectissimo, & tibi gratisimo, maiestati tuæ inseruiam?

Eya,

Eya, ô vnitrine Deus omnipotens & misericors, digneris ista in me citiùs perficere: quoniam per gratiam tuam hæc desidero, ad hæc suspiro & anhelo,& hæc,quia vis, & sicut vis, tandem aliquando à te obtinere supplico,confido & expecto. Ne quæso confundas me ab hac expectatione mea.Sed clementer & velociter exaudi me propter omnes perfectiones tuas.

Decem obsecrationes & adorationes super decem ternarijs perfectionum superbeatissimæ Trinitatis, singulis decem meditationibus applicandæ.

CAP. V.

Primum ternarium primæ meditationi conueniens.

EXaudi inquam me (ô vnitrine Deus) per tuam perfectissimam fœcunditatem, liberalissimam communicationem, & intimam familiaritatem, pro quibus ex amore & puro affectu tibi congratulor, & per hæc efficaciùs exaudiri obsecro & confido.

1 Amans inquam congratulor tuæ perfectissimæ fœcunditati, qua tu Pater ab æterno genuisti vnicum mentis tuæ verbum, Filium tuum tibi coæternum, consubstantialem & per omnia coæqualem.

2 Et qua, cum Filio tuo, ex mutua dilectione & complacentia infinita, ſpiraſti ab æterno Spiritum ſanctum, ab vtroque veſtrûm tanquam ab vno principio, procedentem & vtrique veſtrûm per omnia coæqualem & condilectum.

Et qua, tu Pater, Filius & Spiritus ſanctus, vnus Deus, vnicum creaturarum omnium principium, omnia creata produxiſti.

Amans congratulor tuæ liberaliſſimæ communicationi,

4 Qua, tu Pater, tuam ſubſtantiam & perfectionem omnem Filio tuo per æternam generationem liberaliſſimè communicaſti.

5 Qua, etiam tu Pater & Filius, Spiritui ſancto per æternam eius ſpirationem, omnem veſtram eſſentiam & virtutem donaſtis.

6 Et qua, tu Pater, Filius, & Spiritus ſanctus vnus Deus, ſingulis creaturis pro ſingulorum capacitate & conditione tuam bonitatem communicas, eamque tecum in cœlo regnantibus copioſiſſimè effundis.

Amans congratulor tuæ intimæ familiaritati.

7 Qua, tu Pater, Filium & Spiritum ſanctum familiariſſimè diligis, omniaque tua eis communicas.

8 Tu Fili Patrem & Spiritum ſanctum, eadem familiarita te proſequeris.

9 Tu Spiritus ſancte, in Patre & Filio, ſimili prorſus familiaritate complaces & delectaris.

10 Tu denique Pater, Filius & Spiritus ſanctus vnus Deus, dignaris ad intimam familiaritatem tuam admittere, beatiſſimam Mariam, & cæteros beatos Angelos & ſanctos ac electos tuos.

Amans & gratias agens, &c. vt infrà pag. 680. poſt hæc decem ternaria perfectionum.

¶ *Secundum Ternarium ſecundæ Meditationi applicandum.*

Exaudi me, ô vnitrine Deus.

Per tuam { Eſſentialem vnitatem. / Perſonalem proprietatem, & / Dulciſſimam ſocietatem.

Pro quibus ex amore tibi congratulor, & per has exaudiri obſecro & expecto.

Eya igitur amans congratulor, tuæ eſſentiali vnitati.

Ɉ Quæ talis eſt, vt in tribus ſuperbeatiſſimæ Trinitatis perſonis vna prorſus & eadem ſit eſſentia, diuinitas, virtus & perfectio.

1 Quam tu Deus Pater à temetipſo habes.

2 Tu Fili à ſolo Patre per æternam generationem accipis.

3 Tu Spiritus ſanctus, à Patre & Filio per æternam ſpirationem recipis & poſſides.

Amans congratulor veſtræ perſonali proprietati.

4 Qua tibi ſoli (ô Pater) competit, vt ſis ingenitus, & à nullo procedens, filiumque generes.

5 Tibi ſoli (ô Fili Deus) conuenit vt à Patre ſis genitus, & cum Patre Spiritum ſanctum ſpires.

6 Tibi ſoli (ô Spiritus ſancte) congruit, vt à Patre, filioque ab æterno ſpireris & procedas.

Amans congratulor veſtræ dulciſſimæ ſocietati.

Quæ ſolitudinis triſtitiam neſciens, mutuæ ſocietatis, ineffabilem habet iucunditatem.

7 Qua tu Pater, in Filij & Spiritus ſancti.

8 Tu Filius, in Patris & Spiritus ſancti.

9 Tu Spiritus ſancte, in Patris & Filij,

Societate amabiliſſima & iucundiſſima ſummè complacies, & delectaris in æternũ.

Amans & gratias &c. vt infrà.

¶ Tertium Ternarium tertiæ meditatationi aſſignandum.

Exaudi me ô vnitrine Deus.

Pertuam { 1 Dignitatem & ſublimitatem incomprehenſibilem.
2 Glorioſam fœlicitatem.
3 Incontaminabilem puritatem, fontalemque ſanctitatem. }

Pro quibus ex amore tibi congratulor, teque adoro, laudo, & glorifico, meque totum tibi offero & reſigno.

Eya igitur amans congratulor tuæ dignitati & ſublimitati incomprehenſibili,

1 Qua nihil cogitari aut eſſe poteſt dignius aut ſublimius.

2 A qua eſt omnis dignitas, & ſublimitas excellentium creaturarum.

3 Et quæ omnem dignitatem, & ſublimitatem creatam, infinita virtute & perfectione excedit.

Amans cõgratulor tuæ glorioſiſſimæ fœlicitati.

4 Cui nihil gloriæ aut fœlicitatis deeſt.

5 Cui nihil addi, aut detrahi vnquam poteſt.

6 Et à qua eſt & conſeruatur omnis gloria & fœlicitas beatorum.

Amans congratulor tuæ incontaminabili puritati & ſanctitati fontali,

Quæ omnis materiæ, paſſiuæ potentiæ, & cuiuſlibet accidentis & extraneæ qualitatis

prorſus expers, ſolam puriſſimam & ſimpliciſſimam habet eſſentiam.

8 In quam nihil inquinatum & impurum incurrit aut appropinquat.

9 A qua procedit & conſeruatur omnis puritas & ſanctitas omnium ſanctorum.

Amans & gratias agens &c. vt infr. pag. 672.

¶ *Quartum Ternarium quartæ meditationi aſsignatum.*

Exaudi me ô vnitrine Deus.

Per tuam
1 Immortalitatem perfectiſſimam.
2 Incommutabilitatem omnimodam.
3 Et neceſſitatem fœliciſſimam.

Pro quibus ex amore tibi congratulor, teque adoro, laudo, & glorifico, meque totum tibi offero & reſigno.

Eya igitur amans congratulor tuæ immortalitati perfectiſſimæ,

1 Quæ ſicut nullum habuit principium, ſic & nullum finem eſt vnquam habitura.

2 Quæ nullum eſſe, nullamque formam aut perfectionem poteſt amittere, ſicut nec de nouo recipere.

3 A qua datur & conſeruatur beatorum ſpirituum & animarum immortalitas.

Amans congratulor tuæ omnimodæ incommutabilitati,

4 Per quam tu nullam prorſus transformationem, aut viciſſitudinis obumbrationem admittis,

5 Sed varias rerum mutationes & effectus, abſque vlla tui mutatione & varietate perficis.

6 Et licèt infallibiliter ab æterno noueris futura contingentia, eadem tamen contingenter & abſque neceſſitate fieri & euenire permittis.

Amans congratulor tuæ fœliciſſimæ neceſſitati,

7 Qua fit vt tu Deus vnitrinus nullatenus poſſis vel non eſſe, vt alius, aut aliter eſſe quàm ſis, ſed neceſſe prorſus eſt te & eſſe, & talem eſſe, qualis es.

8 Qua etiam omnis tua actio & communicatio ad intra, prorſus eſt neceſſaria, & incommutabilis, voluntaria tamen & deliciosiſſima.

9 Qua denique tua operatio ad extra in creatione & gubernatione creaturarum, in ſua radice & fonte (quæ eſt diuina tua potentia, ſapientia, & voluntas) prorſus eſt incommutabilis & neceſſaria: licèt in effectibus varietur, quos abſque vlla coactione, liberè & voluntariè producis, tempore & modo ab æterno à te præuiſis & conſtitutis.

Amans & gratias agens me totum tibi offero &c. vt infrà.

¶ *Quintum ternarium quintæ meditationi aſsignandum.*

Exaudi me ô vnitrine Deus.

Per tuam { 1 Primitatem abſolutiſſimam. 2 Nobilitatem illuſtriſſimam. 3 Et libertatem pleniſſimam.

Pro quibus ex amore te adoro & glorifico, congratulanſque me totum tibi offero & integrè reſigno, in omne beneplacitum tuũ.

Eya igitur amans adoro & reuereor tuam primitatem abſolutiſſimam.

1 Per quam ab æterno, ſine principio exiſtis.

2 Tibiq́ue nihil eſt coæternum.

3 Sed omnibus creatis priores, æternitate prorſus infinita.

Amans laudo & glorifico tuam illuſtriſſimam nobilitatem.

4 Qua nihil eſt origine, diuitijs, dignitate & famæ charitate, antiquius & illuſtrius, nec ei aliquid coæternum.

5 A qua eſt, & conſeruatur omnis nobilitas, ingenitas, generoſitas & illuſtris claritas omnium nobilium & illuſtrium perſonarum.

6 Et per quam amici & electi tui, vera & æterna nobilitate illuſtrantur & nobilitantur.

Amans congratulor tuæ plenissimæ & suauissimæ libertati;

7 Quæ talis est, vt nullatenus possis cogi aliquid contra tuam voluntatem agere, aut permittere.

8 Nec à quocunque impediri, quin omne quod volueris in cœlo & in terra, liberè perficias.

9 Sed voluntariè & cum plenissima ac suauissima libertate omnia operaris, & electos tuos, tibi per amorem adhærentes, verè liberos facis.

Amans & gratias agens me totum tibi offero (ô vnitrine Deus) pro his cæterísque perfectionibus tuis. Atque vtinam per has me sicut scis, vis & potes, eleues & admittas, &c. vt infrà pag. 680.

¶ *Sextum Ternarium, sextæ meditationi assignandum.*

Exaudi me, ô vnitrine Deus per mutuam trium personarum

1 Coæternitatem, & consubstantialitatem.

2 Coæqualitatem, & conformitatem.

3 Amicitiam, ac propinquitatem.

Pro quibus te adoro & reuereor, laudo & glorifico, amánsque tibi congratulor & gratias agens me totum tibi offero & resigno.

Eya igitur amans adoro & reuereor mutuam vestram coæternitatem.

1 Quæ talis est, vt nec tu Pater, prior

ſis filio tuo, quem ante luciferum ab æterno teipſum intelligendo, genuiſti tibi conſubſtantialem.

2 Nec tu Spiritus ſancte, poſterior ſis Patre & Filio, ex quorum mutua dilectione æterna, procedis ab æterno, vtriuſque amor condilectus & conſubſtantialis.

3 Sed totæ tres perſonæ, ſibi coæternæ prorsùs ſunt & conſubſtantiales, nihilque priùs aut poſteriùs, aut in ſubſtantia diuerſum, in illis inuenitur.

Amans laudo & glorifico mutuam veſtram coæqualitatem & conformitatem, ô Pater, Fili & Spiritus ſancte,

Per quam inter vos nihil prorsùs inuenitur maius aut minus vel diſsimile, ſed inuicem eſtis penitùs coæquales & conſimiles,

4 In eſſentia, potentia & virtute.

5 In ſapientia, æquitate & gloria.

6 In bonitate, charitate, beneficentia & beatitudine.

Amans congratulor veſtræ mutuæ amicitiæ ſuauiſſimæ & indiſſolubili propinquitati,

Per quam, propter æternã emanationẽ filij à Patre, & Spiritus ſancti à Patre & Filio.

7 Tres perſonæ ſibi inuicem ſunt proximæ & affines.

8 Séque mutua & indiſſolubili amicitia & charitate complectuntur.

9 Et cum infinita ac continua delectatione ſibi inuicem complacent.

Amans & gratias agens me totum &c. vt infrà,pag.680.

¶ *Septimum ternarium septimæ meditationi assignandum.*

Exaudi me,ô vnitrine Deus,

Per tuam { Incommutabilem æternitatem.
Infallibilem veritatem.
Et inæstimabilem charitatem.

Pro quibus te adoro & reuereor, laudo & glorifico, amánsque congratulor, & gratias agens,me totum tibi offero & resigno.

Eya igitur amans adoro & reuereor tuam incommutabilem æternitatem,

1 Quæ nec principium habet, nec finem est habitura.

2 Quæ nullam admittit transmutationis vicissitudinem.

3 Cuique nec præterita transeunt, nec succedunt futura, sed ab æterno omnia tibi sunt præsentia.

Amans laudo & glorifico tuam infallibilem veritatem,

4 Quæ nec falli potest vnquam nec fallere.

5 Quæ omnia vnico & æterno intelligendi actu,veracissimè & infallibiliter ab æterno nouit & intuetur.

6 Quæ veraciter & fideliter implet quicquid promittit.

Amans congratulor tuæ ineſtimabili charitati,

7 Per quam quælibet trium perſonarum reliquas duas immenſa charitate complectitur.

8 Per quam omnia quæ feciſti, amas & diligis.

9 Per quam denique electos tuos, æterna & incomprehenſa charitate proſequeris, eiſque tua bona omnia communicas.

Amans & gratias agens me totum tibi &c. vt infrà pag.680.

¶ Octauum ternarium pro octaua meditatione.

Exaudi me, ô vnitrine Deus

Per tuam
1 Æternam ſecuritatem.
2 Admirabilem claritatem.
3 Et plenam ſuauitatem.

Pro quibus ex amore te adoro & reuereor, te laudo & glorifico, tibíque congratulans & gratias agens, me totum tibi offero & reſigno.

Eya igitur amans adoro & reuereor tuam æternam ſecuritatem, & ſecuram æternitatem,

1 Per quam ſecurus abſque vllo timore in æternum es & permanes.

2 Certiſſimus quòd tua beatitudo nunquam vel deficere poterit, vel minui.

3 Nec vlla creatura tibi vel in minimo nocere, ſed nec voluntati tuæ reſiſtere vnquam poterit.

Amans laudo & glorifico tuam miram ſerenitatem & claritatem,

4 In qua nullæ ſunt tenebræ vel caligo, nec paſſionum nubila, nec vllus error aut falſitas.

5 Sed clariſſima & ſereniſsima veritate omnia intueris.

6 Liberriméque & ſuauiſsimè diſponis & ordinas omnia ad tuam gloriam & tuorum ſalutem.

Amans congratulor tuæ pleniſſimæ ſuauitati,

7 Quæ omnis doloris, & triſtitiæ prorsùs eſt expers.

8 Perpetuámque & perfectiſsimam habet delectationem.

9 Quam tu electis tuis hîc per prægustationem, & in regno tuo per plenitudinem & ſatietatem benignè communicas.

Amans & gratias agens me totum tibi offero &c. vt infrà pag. 680.

¶ *Nonum ternarium pro nona meditatione.*

Exaudi nos, ô vnitrine Deus per mutuam trium perſonarum

1 Vnionem & inexiſtentiam inſeparabilem.

2 Intuitionem & laudem continuam.

3 Fruitionem & complacentiam infinitam.

Pro quibus ex amore te adoro & reuereor, te laudo & glórifico, tibíque congratulans

& gratias agens, me totum tibi offero & resigno.

Eya igitur amans adoro & reuereor vestram mutuam vnionem & inexistentiam inseparabilem, ô Pater, Fili & Spiritus sancte trinus & vnus Deus,

1 Per quam in te, ô Pater, totus Filius, & totus Spiritus sanctus semper & vbique est.

2 Et in te Filio, totus Pater & totus Spiritus sanctus.

3 Et in te Spiritu sancto, totus Pater, & totus Filius inseparabili vnione inest. Sic vt vbicumque vna persona inuenitur, reliquæ duæ inueniantur, & quicquid vna persona, ad extra operatur, aliæ simul operentur.

Amans laudo & glorifico vestram mutuam intuitionem & laudem,

4 Per quam tu Pater Filium & Spiritum sanctum.

5 Tu Filius, Patrem & Spiritum sanctum.

6 Et tu Spiritus sanctus, Patrem & Filium, clarissimè & perfectissimè intueris, agnoscis, contemplaris, & continua laude glorificas.

Amans congratulor vestræ mutuæ fruitioni & complacentiæ beatissimæ.

7 Per quam tu Pater in Filio & Spiritu sancto.

8 Tu Filius, in Patre, & Spiritu sancto.

9 Et tu Spiritus sanctus, in Patre & Filio,

Infinita prorſus complacentia & voluptate delectaris, & fœlicisſima fruitione ſatiaris & repleris.

Amans & gratias agens me totum tibi offero,vt infrà,pag.680.

¶ *Decimum Ternarium pro decima meditatione.*

Exaudi nos,ô Deus vnitrine,

Per tuam { Opulentiam infinitam. / Gloriam immarceſsibilem. / Et beatitudinem omnimodam.

Pro quibus ex amore te adoro & reuereor, te laudo & glorifico,tibíque congratulans & gratias agens, me totum tibi offero & reſigno.

Eya igitur amans adoro & reuereor tuam opulentiam infinitam,

1 Per quam tu tibi ipſi pleniſsimè ſufficis, & omnibus bonis ſuperabundas.

2 Nec quidquam poteſt tibi addi,vel ſubſtrahi.

3 Sed abſque vlla diminutione, bona tua creaturis communicas,& electis tuis ſupereffluenter largiris.

Amans laudo & glorifico tuam gloriam immarceſſibilem,

4 Quam à teipſo, & in teipſo habes & poſſides ab æterno, infinitam, in eo quòd quælibet trium perſonarũ, reliquas duas clariſsimè contemplatur,laudat & glorificat.

5 Quam electis tuis notam facis & communicas.

6 Et facis vt ipſi in omnibus & pro omnibus te ſine fine glorificent & laudent atque ſuperexaltent.

Amans congratulor tuæ omnimodæ beatitudini,

7 Quæ omnis miſeriæ & mali prorsùs eſt expers:

8 Omníque bonorum & deſiderabilium cumulo in ſe & ex ſe ſuperabundat.

9 Et ex mutua trium perſonarum intuitione, laude & fruitione ſecuriſsima & iucundiſsima reſultans, in ſanctos omnes liberaliſsimè refunditur & communicatur.

OBSECRATIO GENERALIS & reſignatio in fine ſingularum decem meditationum facienda.

CAPIT. VI.

AMANS & gratias agens me totum tibi offero (ô vnitrine Deus) pro his cæteríſque perfectionibus tuis: obſecrans te, vt per has omnes, & per miſerationes tuas infinitas, me ſicut ſcis, vis & potes, eleues & admittas ad tuæ ſimpliciſsimæ vnitatis, & indiuiduæ Trinitatis continuam recordationem, ſupremam adorationem, claram intuitionem & laudem, & beatificam fruitionem ac vnionem, vt ſic, tu in me recreari &

pacem

pacem ac gaudium habere queas, præclarissimúmque opus tuum in me perficias, & ego te colam & prosequar nobilissimo, perfectissimo, & gratissimo tibi obsequio & modo.

Eya qui das vt petam, da vt accipiam, qui das vt quæram, dona vt inueniam, qui excitas me ad pulsandum, digneris tandem aperire mihi pulsanti, méque introducere in cellam tuam vinariam, & mysticam tecum vnionem.

Noli quæso attendere meam indignitatem, tepiditatem, negligẽtiam, infidelitatem, extrouersionem, cæteráque vitia mea & impedimenta, quibus me agnosco & cõfiteor esse indignum, quem ad hanc contemplationis & mysticæ vnionis gratiam admittas. Sed attende infinitam tuam dignationem, misericordiam & benignitatem, quibus ad imaginem tuam me creasti, vt sic te contempler, & fruitiuè amplectar.

Attende tuam nimiam charitatem, qua tu, fili Dei, ex voluntate Patris, cooperante Spiritu sancto, voluisti humanam nostrã naturam assumere, pati, mori & resurgere, tuóque corpore & sanguine nos cibare & potare: vt hãc gratiam contemplationis nobis promereris, & ad eam nos tuo exemplo & merito excitares ac promoueres.

Sequens clausula conuenit illis qui ad religionem præsertim Cartusiensium sunt vocati.

Attende specialem gratiam & dignationem, qua me de mundanorum consortio, & terrenorum negotiorum tumultu, & solicitu-

dine, tam misericorditer eduxisti,& ad hanc religionem & ordinem Cartusiensium, præ cæteris contemplationi magis accommodum, vocasti & introduxisti. Atque in eo ad spiritualem vitam me semper excitasti, & media opportuna contulisti, propter quæ teneor ad hanc contemplationis gratiã feruenti studio aspirare.

Sequentem clausulam omitte, si non fueris religiosorum prælatus.

Et etiam propter iniunctum mihi pastorale officium, quod exigit à me, vt non solùm contemplationi vacem, sed etiam vt ad hanc exemplo & verbo subditos traham & adducam. Attende denique fructum honoris tui, & salutis animarum, qui ex hoc proueniet, si me aliorum pastorem, hac contemplationis gratia copiosè præueneris.

Eya ergò propter temetipsum, Deus inclina aurem misericordiæ tuæ, & audi gemitum & clamorem desiderij mei, aperi oculos tuæ pietatis, & vide indigentiam, necessitatem, & obligationem meam. Neque enim in iustificationibus meis prosterno preces meas ante faciem tuam, sed in miserationibus tuis multis & magnis.

Eya igitur exaudi me, DOMINE BENIGNISSIME: placare offensis meis, DEVS CLEMENTISSIME: Attende desiderium quod mihi infudisti, & fac atque adimple illud. Ne moreris propter nomen & amorẽ tuum mihi impertiri optatam contemplationis & vnionis tuæ gratiam. Igne tui amoris vre & consume, quicquid tibi in me displicet, & opera-

tionem tuam impedire poteſt. Præueni me ſeruum tuum, licèt indignum, in benedictionibus dulcedinis tuæ.

Denique exaudi me, non pro mea voluntate, ſed pro tuo beneplacito, exaudi me, non quia hoc mihi vtile, & iucundum eſt, ſed quia tu vis hoc à me deſiderari, peti, & à te obtineri, & quia inde tu gratum ſuſcipis obſequium: atque inde creſcet, honor tuus, & animarum ſalus, quam tantopere concupiſcis.

Exaudi me quando vis, & quantùm vis, & ſicut ſcis, vis, & potes, vt pro ſtatus mei & religionis, ad quam me vocaſti, debito & exigentia, gratum tibi obſequium præſtem, & alios ad ſimilem contemplationis exercitationem inſtruam & accendam. Ad quod ſic quæſo, me purga, vt alios efficaciter purgem: ſic me illumina, vt alios prudenter illuminem, ſic me inflamma, vt alios ſalubriter accendere poſſim.

Denique fac me per imitationem & preces B. Ioannis Baptiſtæ præcurſoris tui, puerum tuum, verè humilem, ſimplicem & caſtum: fac me prophetam tuum, veracem, prudentem & eloquentem: fac me præire ante faciem tuam, bono exemplo & piæ exhortationis verbo: fac me parare vias tuas, docendo alios miſericordiam & veritatem, geminaſq; charitatis & conſiliorum tuorum rectas ſemitas: fac me dare plebi tuæ ſcientiam ſalutis, tuæ videlicet voluntatis, & ſpiritualis exercitij notitiam, in remiſſionem peccatorum eorum: per viſcera miſericordiæ Dei noſtri patris æterni, in quibus tu Fili Dei IESV, verus ſol iuſtitiæ & ſapientiæ, ex

alto ſinu patris oriens, viſitaſti nos per tuam incarnationem, & adhùc quotidie viſitas per gratiæ & ſpiritus tui infuſionem, tuiq; ſacratiſſimi corporis ſuſceptionem. Illumina omnes qui in tenebris ignorantiæ, & in vmbra mortis culpæ ſedent: & dirige pedes noſtros, hoc eſt, cogitationes, locutiones, ſtudia, & exercitia noſtra in viam pacis & gratiam ſpiritualis tecũ vnionis. Quæ omnia à te amanter, fideliter, humiliter, & confidenter obſecrantes, & tandem aliquando obtinere expectantes. Supplicamus vt interim in nobis.

1 FIDEM conſerues & augeas, quâ credamus nos à te ad contemplationis gratiam vocari.

2 SPEM confirmes, quâ ſperemus ad eam aliquando te trahente peruenire.

3 DESIDERIVM accendas, quô feruenter & iugiter eam deſideremus.

4 STVDIVM & conatum dirigas & adiuues, quô diſcretè, ordinatè, & viriliter ad eam aſſequendam exercitia aſſumamus & proſequamur.

5 HVMILITATEM infundas, quâ hac gratia nos prorsùs indignos agnoſcamus, & peccatis noſtris ac negligẽtijs imputemus, quod differas eam nobis donare.

6 PATIENTIAM dones & fortitudinem, quâ abſque inordinata triſtitia, fortiter toleremus labores ad eam aſſequendam neceſſarios.

7 LONGANIMITATEM adijcias, quâ in huius gratiæ deſiderio, ſpe & ſtudio ſemper perſeueremus, quantumuis differas illam dare.

8 ABNEGATIONEM dones, quâ in hoc non proprium commodum vel bonum quæramus, ſed tuum ſolum beneplacitum.

9 RESIGNATIONEM quoque apponas, quâ ad omnem gratiæ tuæ optatæ ſubtractionem, & ariditatem, quandiu volueris, tolerandam nos offeramus & reſignemus.

10 CHARITATEM denique in corde noſtro per ſpiritum tuum diffundas, per quam in omni euentu, tuæ voluntati noſtram prorsùs conformemus & vniamus, Amen.

Ita quæſo fiat, ſicut amanter & confidenter petimus, ô benigniſſime Pater per IESVM dilectiſſimum filium tuum, in quo tibi ſemper complacuiſti, & in cuius nomine nos petentes exaudiendos promiſiſti: in Spiritu ſancto, & amore illo quo tu illum nobis donaſti, & ipſe tibi ſeipſum pro nobis in ara crucis obtulit, intercedente glorioſiſſima ſemper virgine Dei genitrice Maria, atque omnibus Angelis & Sanctis: ad tuum & ſanctorum tuorum laudem & gloriam, noſtrámque & omnium ſalutem, & omnium ſalutarium petitionum exauditionem.

SECVNDA MEDITATIO.

CAP. VII.

Oratio præparatoria, vt suprà, pag. 644.
Præfatio specialis, vt suprà, pag. 648. 649.

¶ *Ternarium primum secundæ meditationis.*

Specialiter amans adoro & reuereor te,

O Artifex & opifex omnium Deus pater,

1 Qui ab æterno in arte mentis tuæ, omnia per te creanda prædisposuisti.

2 Qui eadem in Idea æterna, contemplatus es.

3 Et tempore tibi placito in bonitate tua illa produxisti.

Amans laudo & glorifico te,

O ars, idea, & exemplar summi artificis, fili Deus,

4 Qui es ars & ratio, secundùm quam Deus pater omnia in mensura, numero & pondere facere ab æterno disposuit.

5 Qui es Idea, in qua idem Pater omnia creanda semper & perfectissimè contemplatus est.

6 Qui es exemplar, iuxta quod Pater omnia in tempore creauit.

Amans congratulor tibi,

O amor, complacentia & bonitas summi artificis, Spiritus sancte Deus,

7 Qui es amor, quo opifex summus omnia à se creanda tanquam bona amauit, & dilexit.

8 Qui es complacentia, qua in eorum contemplatione iugiter delectatus est.

9 Qui es bonitas, propter quam illa in tempore creauit, & se illis communicauit.

Amans & gratias agens me totum tibi offero & resigno, ô vnitrine Deus, pro his, cæterisq; nominibus & perfectionibus tuis. Atque vtinam horum nominum virtutē & fructuosam intelligentiam mihi manifestes & communices, & ad amorem tuum nos inflammes.

Eya igitur, ô artifex omnium,

1 Da vt omnium authorem & artificem vera fide semper credam & confitear.

2 Te in omnibus & ex omnibus agnoscam & glorificem.

3 Te super omnia amem & desiderem, & ex omnibus ad amorem tuum inflammer.

O ars, Idea & exemplar Dei patris,

4 Fac vt in te modum, speciem, & ordinem vniuersi contempler, admirer & tecum glorificem.

5 In te & per te veraciter & prudenter omnia videam & intelligam.

6 Iuxta tuum exemplar & sapientiæ tuæ dictamen omnia perficiam.

O amor & complacentia & bonitas,

7 Fac vt te in omnibus creaturis amem, & omnia in te & propter te.

8 In omnibus tecum & secundùm te delecter, & in te super omnia.

9 Bonitate tua replear & satier atque propter eam omnia perficiam: atque vtinam me aspicias, & acceptes in eo amore, complacentia & bonitate, in quibus ab æterno me præuidisti.

O vnitrine Deus omnipotens & misericors,

Quia vis, & sicut scis, vis, & potes me totum igne tui amoris purga, illumina, inflamma, absorbe, transforma vni & clementer exaudi, ad tuam & sanctorum tuorum gloriam, meámque & omnium salutem, omniúmque petitionum salutarium exauditionem, Amen. Ita quæso fiat, sicut amanter & confidenter peto, ô benignissime Pater, per IESVM dilectum filium tuum, in Spiritu sancto, intercedente beatissima virgine Maria, beatis Angelis & omnibus sanctis. O mater Dei, ô Angeli & Sancti omnes orate pro nobis, & magnificate Dominum nobiscum.

¶ Secundum Ternarium secundæ meditationis.

Eya iterum atque iterum millies & centies millies ex affectu quo suprà,
Amans adoro & reuereor te

O mens inuariabilis,

1 Quæ vnico & inuariabili intelligendi actu omnia ab æterno cognouisti & intueris.
2 Apud quam nulla est mutatio nec vicissitudinis successio.
3 Cui nihil vnquam deperit, nec quicquam accedit.
Amans laudo & glorifico te,

O lux inextinguibilis,

4 Quæ per continuam tui & omniũ contemplationem in te semper luces, & nunquam offuscaris.
5 Quæ illuminas omnem hominem venientem in hunc mundum.
6 Quæ ad tui contemplationem & laudem electos tuos allicis, eleuas & illuminas.
Amans tibi congratulor,

O pax imperturbabilis,

7 Quæ omnis perturbationis & passionis prorsus expers, tranquilla semper in te permanes.
8 Quæ electis tuis pacem, etiam inter huius mundi pressuras donas & conseruas.
9 Quæ beatos pace æterna reples & satias.

Amans & gratias agens me totum tibi offero, ô vnitrine Deus, pro his cæterisque nominibus & perfectionibus tuis. Atque vtinam horum tuorum nominum amorosam intelligentiam & virtutem nobis manifestes & communices, & ad amorem tuum nos inflammes.

Eya igitur ô mens inuariabilis,

1 Memoriam & mentem meam in te stabili, vt te semper & vbique præsentem recolam & sentiam.

2 Te adorem & reuerear.

3 Te vel in modico offendere iugiter timeam, & solicitè præcaueam.

O lux inextinguibilis,

4 Intellectus mei tenebras omnes expelle.

5 Illumina me vera notitia tui, tuæque voluntatis.

6 Allice, eleua & admitte me ad te clarè contemplandum & glorificandum cum sanctis tuis.

O pax imperturbabilis.

7 Ab omni perturbatione & inordinata passione libera & præserua me.

8 Pacem internam etiam inter aduersa mihi dona.

9 Æterna tandem pace cum beatis me reple & satia.

O vnitrine Deus, &c.

❡ *Tertium Ternarium meditationis secundæ.*

Eya iterum atque iterum millies & centies millies ex affectu quo suprà,
Amans adoro te & reuereor te,

O lux æterna Deus Pater,

1 Qui à teipso habes, vt sis essentiáliter lux indeficiens, nullas habens tenebras.
2 Qui de te lucem profers tibi coæternam, Filium tuum.
3 Qui tenebras culpæ & ignorantiæ à cordibus electorum tuorum fugas.
Amans laudo & glorifico te,

O candor lucis æternæ Fili Deus,

4 Qui ab æterna luce Deo Patre seipsum intelligente, per æternam generationem procedis.
5 Qui paternam lucem perfectissimè exprimis & intueris atque glorificas.
6 Qui per Archangelos electis tuis secretiora tua consilia reuelas, eosque ad te contemplandum & laudandum excitas.
Amans tibi congratulor,

O ardor lucis Spiritu sancte Deu ,

7 Qui ex mutua lucis æternæ & sui can-

doris dilectione ab æterno procedis, ardens vtriusque amor.

8 Qui vtrique coæqualis, ab vtroque ardenter diligeris, & vtrumque diligis ardentissimè.

9 Qui ardenti amore lucis æternæ sanctos succendis & reples.

Amans & gratias agens me totum tibi offero, ô vnitrine Deus, pro his cæterisque nominibus & perfectionibus tuis. Atque vtinam horum nominum tuorum saporem & virtutem mihi communices, & infundas, & ad amorem tuum me inflammes.

Eya ergo lux æterna,

1 Fac vt te fide viua credamus & vbique præsentem sentiamus & reuereamur.

2 Genera in nobis tuum candorem & veram tui notitiam.

3 A tenebris culpæ & ignorantiæ ac erroris purga & præserua nos semper.

O candor lucis æternæ,

4 Intellectum meum illumina vt in te & tecum lucem paternam videam.

5 Te lumen de lumine cum Patre simul contempler & glorificem.

6 Per Archangelos, perfectiores semitas tuas & consilia edocear, ac ad tui contemplationem & laudem exciter & eleuer.

O ardor lucis æternæ,

7 Succende me ardenti amore & desiderio lucis æternæ.

8 Omnemque teporem & torporem procul pelle.

9 Et fac vt ardore tuo inflammatus proximos ſuccendam.

O vnitrine Deus &c. vt ſuprà pag. 688.

¶ *Quartum Ternarium ſecundæ Meditationis.*

Eya iterum atque iterum millies & centies millies ex affectu quo ſuprà, Amans adoro & reuereor te /

O ſubſtantia prima Deus Pater,

1 Qui ſolus à te ſubſiſtens, te ab æterno intelligendo, filium tibi coæternum genuiſti.
2 Qui per te inuariabiliter ſubſiſtis, totum tuum eſſe ſimul habens ab æterno, & vſque in æternum, ſine vlla ſucceſſione vel augmento.
3 Qui das & conſeruas eſſe omnibus creaturis & ſanctos in te ſtabiles facis & perficis.
Amans laudo & glorifico te

O figura ſubſtantiæ Patris Fili Deus,

4 Qui de ſubſtantia patris ab æterno genitus, eam perfectè repræſentas & exprimis.
5 Qui ſimul cum Patre ſubſiſtens, ipſum perfectè intueris, laudas & glorificas.
6 Qui claram ſubſtantiæ Patris notitiam & laudem electis tuis infundis.
Amans congratulor tibi

O nexus & vinculum vtriuſque, Spiritus ſancte Deus,

7 Qui es amor ex Patris & Filij mutua dilectione procedens, quo inuicem indissolubili vinculo connectuntur & vniuntur Pater & Filius.

8 Qui electos tuos omnes per glutinum charitatis Patri filioque coniungis & coünis.

9 Qui beatos æterna & inseparabili charitate cum Deo & in inuicem connectis, & vnum facis.

Amans & gratias agens me totum tibi offero, ô vnitrine Deus, pro his cæterisque nominibus & perfectionibus tuis. Atque vtinam horum tuorum nominum saporem & virtutem mihi communices & infundas & ad amorem tuum me excites.

Eya ergo ô Substantia prima,

1 Stabili & reple memoriam meam, vt te semper & vbique mihi præsentem recolam & sentiam.

2 Inuariabiliter tibi adhæream, & ab omni tua offensa solicitè præcaueam.

3 In omnibus creaturis te contempler & laudem, illisque tantum propter te & secundùm te vtar.

O figura substantiæ Patris,

4 Purga, eleua & illumina intellectum meum, vt tibi intendat & vacet.

5 In te, per te & tecum substantiam patris contempler.

6 Eandemque collaudē, & admirans glo-

rificem, atque in eius claritatem transformer.

O nexus ſuauiſſime,

7 Tui amoris glutino nos Patri Filioq́ue coniunge,& coüni in perpetuum.

8 Fac nos cum fratribus ſolicitè ſeruare vnitatem ſpiritus in vinculo pacis.

9 Æterna & inſeparabili charitate cum beatis nos tandem tibi coniunge.

O vnitrine Deus, omnipotẽs & miſericors, quia vis & ſicut ſcis, vis & potes, me totum tui amoris igne purga, illumina, ſuccende, abſorbe, transforma, & vni nunc & in perpetuum. Sed quando iſta in me perficientur?&c. vt ſuprà pag.660.661.vſque ad 665.

TERTIA MEDITATIO.

CAP. VIII.

Oratio præparatoria, vt ſuprà, pag.644.
Præfatio ſpecialis, vt ſuprà, pag.648. 649.

¶ *Primum Ternarium tertiæ meditationis.*

Specialiter autem amans adoro & reuereor te

O Pater ex quo omnia,

1 Ex quo ab æterno Filius genitus eſt, & à quo ſimul & à Filio, Spiritus ſanctus proceſſit.

2 Ex cuius potentia, tanquam ex fontali principio, omnia creata facta sunt, & conseruantur.

3 Ex cuius virtute, electi potenter bona operantur.

Amans laudo & glorifico te

O Fili per quem omnia,

4 Qui es Patris verbum, per quod omnia facta sunt, iuxta exemplar æternum quod tu ipse es.

5 Qui es sapientia Patris, per quam omnia prudenter & pulchrè reguntur & disponuntur.

6 Per quam etiam electi tui sapienter omnia operantur.

Amans tibi congratulor

O Spiritus sancte Deus propter quem omnia,

7 Qui es bonitas, & amor propter quem Deus Pater omnia fecit & faciet.

8 In quo omnia conseruantur, & ad quem omnia referri debent.

9 Propter quem electi omnia suauiter & delectabiliter operantur & in quo quiescunt.

Amans & gratias agens me totum tibi offero, ô vnitrine Deus, pro his, cæterisque nominibus & perfectionibus tuis. Atque vtinam horum tuorum nominum amorosum saporem & virtutem mihi infundas & communices, sicque ad amorem tui me excites & restaures.

Eya ergo, ô pater ex quo omnia,

1 Fac vt te, Filij & Spiritusſancti principium & originē, certa fide credamus & adoremus.

2 Tuam potentiam in omnium rerum creatione, & conſeruatione reuereamur, & ei plenè ac perfectè ſubiiciamur.

3 Ex te, tuáque virtute confortemur ad omnia tibi placita potenter perficienda.

O fili per quem omnia,

4 Fac vt in omnibus & ex omnibus creaturis tanquam veſtigijs tuis, te primum omnium exemplar contemplemur.

5 Tuam ſapientiam in omnium regimine & diſpoſitione laudemus, & ex eius ordinatione omnia ſuſcipiamus.

6 Per te & ſecundum tuæ ſapientiæ dictamen, in omnibus prudenter & ſobriè dirigamur.

O Spiritus ſancte propter quem omnia,

7 Propter tuam bonitatem noſtri miſerere, & fac vt propter te, tuúmque amorem omnia inchoemus.

8 In tuo amore & bonitate omnia ſuauiter proſequamur & perficiamus.

9 Ad tuum amorem & bonitatem nos & omnia creata, noſtráque bona omnia integrè referamus, & cum gratiarum actione deuotiſſima ea tibi offeramus.

O vnitrine Deus omnipotens & miſericors quia vis, & ſicut ſcis, vis & potes, nos totos igne tui amoris purga, illumina, ſuccen-

de, abſorbe, transforma, vni & clementer exaudi, ad tuam & ſanctorum tuorum gloriam, noſtrámq; & omnium ſalutem, Amen. Ita quæſo fiat, ſicut amanter & confidenter petimus. O benigniſſime Pater, per IESVM dilectiſſimum Filium tuum, in Spiritu ſancto, intercedente beata Maria, & omnibus Angelis & ſanctis. O mater Dei, ô omnes Angeli & Sancti, orate pro nobis & magnificate Dominum nobiſcum.

¶ *Secundum ternarium tertiæ meditationis.*

Eya iterum atque iterum millies & centies millies ex affectu quo ſuprà,

Amans adoro & reuereor te,

O ſtabilitas omnia mouens Deus,

1 Qui immotus in te ſemper permanes & quietiſſimus.

2 Qui omnia creata iuxta propriam ſingulorum moues naturam.

3 Qui ſanctos tuos in te ſtabilis & quietos reddis.

Amans laudo & glorifico te,

O Æternitas ſemper præſens Deus,

4 Qui totus ſimul, ſemper & vbique es præſens, totum tuum eſſe ſimul habens ab æterno, abſque vlla ſucceſſione.

5 In cuius præſentia, & ſapientia, omnia ab æterno fuerunt, & vſque in æternum erunt præſentia, nuda & aperta.

6 Quia tibi nec præterita tranſeunt, nec

futura succedunt, sed omnia manent præsentia.

Amans tibi congratulor,

O simplicitas omnia replens Deus,

7 Qui es simplicissimus, omnis materiæ & accidentis prorsus expers, nullámque admittens compositionem, vel diuisionem.

8 Qui omnia reples & conseruas sine tui extensione, nec tamen vllo loco concluderis.

9 Qui omnia circumplecteris & superexcedis,& tamen nullo loco excluderis.

Amans & gratias agens me totum tibi offero (ô vnitrine Deus) pro his cæterísque nominibus & perfectionibus tuis. Atque vtinam horum tuorum nominum amorosam notitiam & virtutem,nobis infundas & communices,sicque ad tui amorem nos excites.

Eya igitur, ô stabilitas omnia mouens,

1 Stabili nimiam nostram instabilitatem, vt tibi iugiter adhæreamus,téque præsentem vbique sentiamus.

2 A te in omnibus iuxta tuum beneplacitum & propriam conditionem moueamur.

3 Stabiles in bonis propositis, & operibus per te efficiamur, & ad æternam tecum stabilitatem tandem perducamur.

O Æternitas præsens,

4 Fac vt in tua præsentia & conspectu iugiter stemus, & cum reuerentia & timore ambulemus.

5 Te omnia intuentē & sapiēter disponentē

credamus,& in omni euentu glorificemus.

6 Ex te intelligamus quid tibi sit acceptum omni tempore.

O simplicitas omnia replens,

7 Ab omni multiplicitate & duplicitate nos libera, vt simplici & integra mente tibi adhæreamus.

8 Reple nos tuo simplici & puro amore & gratia.

9 Circumplectère nos vndique & ab omni malo tuere & protege.

O vnitrine Deus,&c.vt suprà;pag. 688.

¶ *Ternarium tertium tertiæ meditationis.*

Eya iterum atque iterum millies & centies millies ex affectu quo suprà,

Amans adoro & reuereor te,

O principium omnia regens Deus,

1 A quo omnia cœlestia & terrestria potenter reguntur.

2 Qui per principatus cœlestes,regna pro tuo arbitrio disponis,& regum ac principum terrenorum statum ordinas & regis.

3 Qui electos tuos speciali prouidentia & cura gubernas & ad te dirigis.

Amans laudo & glorifico te,

O exemplar primi principij fili Deus,

4 Qui ipsum primum principium patrem tuum perfectissimè repræsentas & intueris.

5 Qui es exemplar, ad quod intuens pater omnia sapienter gubernat.

6 In quo omnes sancti primum principium contemplantur & collaudant.

Amans congratulor tibi,

O finis omnium Deus,

7 Qui es amor, propter quem primum principium omnia operatur & gubernat.

8 Qui es finis, ad quem omnes sancti, se & omnia sua referunt & ordinant.

9 Qui sanctos consummas, perficis & beatificas.

Amans & gratias agens me totum tibi offero, ô vnitrine Deus, pro his cæterísque nominibus & perfectionibus tuis. Atque vtinam horum tuorum nominum intimum saporem & virtutem nobis infundas & communices, sicque ad amorem tui nos excites.

Eya igitur, ô principium omnia regens,

1 Fac vt te cœlum terrámque regentem credentes, tibi plenè subiiciamur, téque solum timeamus.

2 Per cœlestes principatus omnia regna, præsertim Christiana, secundùm te, & ad te dirige & guberna, bonósque reges & principes nobis dona & conserua.

3 Tua speciali cura nos & omnia nostra iuxta tuum beneplacitum rege & dispone.

O exemplar primi principij,

4 Fac vt in te, per te, & tecum, primum principium clarè videamus, & amorosè contemplemur.

5 Secundùm tuæ ſapientiæ dictamen, & exemplar virtutum tuarum omnia operemur.

6 Cum omnibus ſanctis in te Patrem,& te in patre veneremur & collaudemus in æternum.

O finis & perfectio omnium,

7 Fac vt propter te,ex puro amore omnia aggredimur & operemur.

8 Ad tuam amoroſam vnionem & fruitionem tanquam ad vltimum finem & beatitudinem noſtram, iugiter & ardenter aſpiremus & tendamus.

9 In te nos conſumma & perfice, ac tandem beatifica.

O vnitrine Deus omnipotens &c.vt ſuprà, pag.688.

¶ *Quartum ternarium tertiæ meditationis.*

Eya iterum atque iterum millies & centies millies ex affectu quo ſuprà,

Amans adoro & reuereor te,

O fons bonitatis Deus Pater,

1 In quo omnis bonitas eſſentialiter,& ſupereminenter inuenitur.

2 Ex quo in omnia creata abſque tui diminutione omnis bonitas deriuatur & conſeruatur.

3 Cui per charitatem inhærendo, boni & beati fiunt omnes ſancti.

Amans contemplor & glorifico te,

O imago diuinæ bonitatis fili Deus,

4 Qui Patris bonitatem tibi per æternam

generationem plenè communicatam, perfectissimè exprimis & intueris.

5 Eandémque sanctis tuis reuelas & clarè ostendis.

6 Atque ad eius laudem & admirationem eosdem excitas & eleuas.

Amans te complector, tibique congratulor,

O communicatio diuinæ bonitatis Spiritus sancte Deus,

7 Qui es amor in quo & propter quem diuina bonitas seipsum creaturis communicat.

8 Qui communione & participatione diuinæ bonitatis sanctos reples & satias.

9 Eiusdémque voluptate & vbertate potas illos & inebrias.

Amans & gratias agens me totum tibi offero, ô vnitrine Deus, pro his, cæterísque nominibus & perfectionibus tuis. Atque vtinam horum tuorum nominum intimum saporem & virtutem nobis infundas & communices, sicque ad amorem tui nos excites,

Eya igitur,

O fons bonitatis,

1 Fac vt omnia in te solo. & te super omnia amemus & appetamus.

2 Te solum in omnibus appretiemus, amemus & desideremus.

3 Et per ardentem & continuam charitatem tibi adhærentes, boni & beati tandem efficiamur.

O imago diuinæ bonitatis,

4 Fac vt per studiũ & deuotam cõtempla-

tionem tibi intendamus & vacemus.

5 In te, per te & tecum diuinam bonitatem contemplemur, laudemus & superexaltemus.

6 Et in eius admiratione suspensi, ab omnibus creatis abstrahamur, terrenáque omnia fastidiamus.

O communicatio diuinæ bonitatis.

7 Per te diuina bonitas ex puro & gratuito amore sese nobis communicet.

8 Eiusdem bonitatis amore, desiderio, & gaudio, nos affice, succende & reple.

9 Ipsiúsque fruitione, voluptate, & vbertate, nos satia, pota & inebria.

O vnitrine Deus omnipotens & misericors, quia vis & sicut scis, vis & potes, nos totos tui amoris igne purga, illumina, succende, perfice, absorbe, transforma & vni nunc & in perpetuum.

Sed quando ista in me perficientur?

Cætera vt suprà, pag. 660. 661. vsque ad 665.

QVARTA MEDITATIO.

CAP. IX.

Oratio præparatoria, vt suprà, pag. 644.

Præfatio specialis, vt suprà, pag. 648. 649.

¶ *Primum ternarium 4. meditationis.*

Speciáliter autem amans adoro & reuereor te,

O Sol iustitiæ,

1 Cuius iustitia clara & perfecta in se semper lucet, & permanet vt sol.

2 Qui

2 Qui cordibus electorum tibi pulsanti aperientium illaberis, & inde tenebras omnes iniustitiæ expellis.

3 Qui es author & dator omnis iustitiæ.

Amans contemplor & glorifico te,

O splendor Solis iustitiæ Fili Deus,

4 Qui solem iustitiæ tuum patrem (à quo seipsum intelligente àb æterno es genitus) perfectè repræsentas.

5 Qui eundem clarissimè intueris & glorificas.

6 Qui ad eius contemplationem & laudem sanctos eleuas & illuminas.

Amans amplector te & congratulor tibi,

O calor Solis iustitiæ Spiritus sancte Deus,

7 Qui ex solis æterni,& sui splẽdoris mutua dilectione ab æterno procedis,vtriusque amor feruentissimus.

8 Qui electorũ corda diuini amoris igne calefacis & viuificas.

9 Atque bonis & meritorijs operibus eos fœcundas.

Amans & gratias agens me totum tibi offero (ô vnitrine Deus) pro his cæterisq; nominibus & perfectionibus tuis. Atque vtinam horum tuorum nominum intimum saporem & virtutem nobis infundas & communices, sicq; ad amorem tui nos excites & restaures.

Eya ergò, ô Sol iuſtitiæ,

1 Fac vt te verum ſolem iuſtitiæ ſemper & vbique lucentem credamus & reuereamur.

2 Tibi pulſanti aperientes, ab iniuſtitiæ & culpæ tenebris per te purgemur.

Tuáque iuſtitia exornemur & iuſti efficiamur.

O ſplendor Solis iuſtitiæ,

4 Fac vt in te & per te ſolē iuſtitiæ agnoſcamus & contemplemur.

5 Ipſumq; glorificantes & admirantes, in eius claritatem transformemur.

6 Et quæ ſit eius voluntas beneplacens & perfecta ſemper clarè videamus.

O calor Solis iuſtitiæ,

7 Tui amoris calore noſtram tepiditatem & cordis noſtri duritiam expelle.

8 Nos ſuccende, excita & viuifica.

9 Atque bonis operibus vitæ æternæ meritorijs nos fœcunda.

O vnitrine Deus, omnipotens & miſericors, quia vis, & ſicut ſcis, vis, & potes, igne illo quem veniſti in terram mittere, vehementer nos purga, illumina, inflamma, abſorbe, transforma, vni & clementer exaudi, ad tuam & ſanctorum tuorum gloriam, noſtramque & omnium fidelium viuorū & defunctorum ſalutem, Amen. Ita quæſo fiat, ſicut amanter & confidenter petimus, ô benigniſſime Pater, per IESVM dilectiſſimum filium tuum, in Spiritu ſancto, intercedente beata Maria, & omnibus Angelis & Sanctis. O mater Dei, ô omnes Angeli & Sācti orate

pro nobis, & magnificate Dominum mecum, nunc & in æternum.

¶ *Secundum ternarium quartæ meditationis.*

Eya iterum atque iterum millies & cẽties millies ex affectu quo ſuprà,

Amans adoro & reuereor te,

O potentia immenſa,

1 Cui nihil eſt impoſſibile, ſed ſubeſt cum volueris poſſe.

2 Cui nihil poteſt reſiſtere.

3 A qua eſt omnis creaturarum potentia.

Amans contemplor & glorifico te,

O ſapientia infinita,

4 Quæ omnia clariſſimè intueris, & ipſa etiam occulta cordium penetras & agnoſcis.

5 Quam nullus poteſt fallere, decipere, aut ſe à te abſcondere.

6 A qua eſt omnis ſapientia creata.

Amans amplector te & congratulor tibi,

O bonitas incomprehenſa,

7 Quæ ſola ex te & eſſentialiter es bona, ſine modo & menſura.

8 Quæ ſummè tui diffuſiua exiſtens, omnibus creaturis iuxta ſingularum capacitatem abſque tui diminutione te communicas.

9 Quæ ſuper omnia es appetenda, omnium bonitates in te ſupereminenter continens, & ſuperinfinitè excedens.

Amans & gratias agens me totum tibi offero (ô vnitrine Deus) pro his cæteriſq; tuis nominibus & perfectionibus. Atque vtinam horum tuorum nominum intimum ſaporem & virtutem nobis infundas & communices, ſicq; ad amorem tuum nos excites & reſtaures.

Eya ergo ô potentia immenſa,

1 Fac vt ſub omnipotenti manu tua ſemper humiliemur, téque ſummè reuereamur.

2 Nunquam voluntati tuæ reſiſtamus: ſed liberè & ex corde conſentiamus, eiq; conformemur.

3 Fac nos potentes ad reſiſtendum malis, & operandum quæcunque bona tibi placita.

O Sapientia infinita,

4 Fac vt coram te omnia, etiam cordis noſtri ſecreta, cernente, ſolicitè & timoratè ambulemus, ab omni tua offenſa precauentes.

5 Ab omni errore & deceptione, ac indiſcretione nos purga & præſerua.

6 Et ſapientiam nobis ad tuum honorem, & noſtram proximorumq; ſalutem neceſſariam infunde.

O bonitas incomprehenſa,

7 Fac vt te ſuper omnia & in omnibus

appretiemus, appetamus & quæramus.

8 Effunde super nos copiosè tuæ bonitatis effectus.

9 Tuáque vbertate & voluptate nos reple satia & inebria.

O vnitrine Deus, &c.

❡ Ternarium tertium quartæ meditationis.

Eya iterum atque iterum millies & centies millies ex affectu quo suprà,

Amans adoro & reuereor te,

O potestas insuperabilis,

1 Quæ per te, & per angelicas tuas potestates, pro tuæ voluntatis arbitrio aduersæ dominationis vires reprimis, ne saluti electorum tuorum noceant.

2 Quæ inimici rugientis sæuitiam superas, & hostiles nequitias potenter expugnas.

3 Quæ electos tuos confortas ad resistendum cunctis impugnationibus mundi, carnis & diaboli.

Amans contemplor & glorifico te,

O illuminatio vera,

4 Quæ omnes fraudes, versutias, & laqueos hostis antiqui clarissimè intueris, & tuis electis reuelas.

5 Occultas quoque naturæ quæsitiones, & mundi dolos, ac discretionem spirituum illis ostendis.

6 Et qualiter per fidem & humilitatem omnes hostium insidias vincere possunt, eos doces.

Amans te amplector, tibiq; congratulor,

O ſalus ſecura & æterna,

7 Quæ electos tuos de hoſtium viſibilium & inuiſibilium poteſtate,quando & ſicut expedit, ſaluas & liberas.

8 Eóſque à periculis & tentationibus, ne illis ſuccumbant, tueris & protegis.

9 Atque in te tanquam tutiſſimo refugio, illos ſecurè facis requieſcere, & tandem in æterna pace obdormire.

Amans & gratias agens me totum tibi offero, ô vnitrine Deus, pro his,cæteriſq; nominibus & perfectionib. tuis. Atque vtinam horum tuorum nominum intimum ſaporem & virtutem nobis infundas, & communices, ſicq; ad tui amorem nos excites & reſtaures.

Eya ergò, ô poteſtas inſuperabilis,

1 Sicut ſcis expedire ad tuum honorem & noſtram ſalutem, per te & angelicas poteſtates,hoſtium noſtrorum viſibilium & inuiſibilium vires reprime & diſſipa.

2 De illis magnificè ſemper triumpha.

3 Et fac nos cunctis tentationibus mundi, carnis, & diaboli fortiter reſiſtere,& tecum de illis triumphare.

O illuminatio vera,

4 Fac nos clarè agnoſcere & diſcernere omnes verſutias & laqueos hoſtis antiqui.

5 Erroréſque & proprias quæſitiones noſtræ naturæ ſcire & vitare.

6 Atque

6 Atque per illuminatam fidem, cordisq; humilitatem, omnes hostium insidias euadere & superare.

O salus secura,

7 Salua nos de manibus omnium inimicorum nostrorum, vt sine timore seruiamus tibi vsque in finem.

8 In omni tentatione & periculo nos tuere & protege ab omni peccato.

Fac nos semper ad te confugere & in te, tanquam in asylo tutissimo, requiescere: atque tandem ad æternam & securam salutem peruenire.

O vnitrine Deus, omnipotens, &c. vt sup. pag. 688.

¶ Quartum ternarium quartæ meditationis.

Eya iterum atque iterum millies & cēties millies ex affectu quo suprà,

Amans adoro & reuereor te,

O Ens primum Deus,

1 Qui sine principio, ab æterno à teipso & per teipsum, & in teipso inuariabiliter subsistis.

2 Qui totum tuum esse simul semper habes præsentissimum & actualissimum absque vlla successione.

3 Qui omnibus creatis das & conseruas suum esse.

Amans contemplor & glorifico te,

O verum primum, Fili Deus,

4 Qui es verus conceptus & verum patris verbum, ipſum verè repræſentans & perfectè agnoſcens, qualis eſt in ſua eſſentia & rei veritate.

5 Qui etiam omnia creata per Ideam repræſentas & agnoſcis verè & perfectè, qualia ſunt in ſe realiter & ſubſtantialiter.

6 A quo omnia habent vt verè ſint, & verè ſubſiſtant, & per quem omnia verè agnoſcuntur.

Amans amplector te & tibi congratulor,

O bonum primum & ſupremum Deus,

7 Qui ſolus es eſſentialiter & ex teipſo bonum ſupremum.

8 A quo omnia bona tanquam à fontali principio procedunt & conſeruantur.

9 Qui omnia bona ſupereminenter contines, & infinita bonitate ſuperexcedis.

Amans & gratias agens me totum tibi offero (ô vnitrine Deus) pro his, cæteriſq; nominibus & perfectionibus tuis. Atque vtinam horum tuorum nominum intimum ſaporem & virtutem nobis infundas & communices, ſicq; ad amorem tui nos excites & reſtaures.

Eya igitur, ô Ens primum Deus,

1 Fac vt te ens primũ ſemper & vbique cogitemus, præſentẽ ſentiamus & uereamur.

2 Te perſeueranter quæramus, & inuentum ſtabiliter teneamus.

3 A te conſeruemur in eſſe naturæ & gratiæ, téque in omnibus creaturis contemplemur & diligamus.

O verùm

O verum primum,

4 Fac vt in te patrem,& te in Patre cum ſpiritu ſancto verè & clarè agnoſcamus & contemplemur.

5 In te & per te nos & creata omnia verè abſque falſitate & errore agnoſcamus.

6 Et quid tibi ſit acceptum omni tempore,ex te intelligamus & ſequamur.

O bonum primum,

7 Te ſolum propter te amemus, deſideremus & amplectamur.

9 Te ſolum in omnibus, & omnia propter te ſolum diligamus & quæramus.

9 Te ſuper omnia amemus, toto corde, tota mente,tota anima, & ex omnibus viribus noſtris.

O vnitrine Deus, omnipotens & miſericors,quia vis,& ſicut ſcis,vis & potes, nos totos igne tui amoris purga & illumina, inflāma, abſorbe, transforma,& vni, nunc & in perpetuum. Sed quando iſta perficientur in me?&c. pag. 660. 661. & ſequentibus vſque ad 665.

QVINTA MEDITATIO.

CAP. X.

Oratio præparatoria; vt ſuprà, pag. 644.
Præfatio ſpecialis, vt ſuprà, pag. 648. 649.

¶ *Primum Ternarium quintæ meditationis.*

Specialiter autem amans adoro & reuereor te

O maieſtas diuina omnia intuens Deus Pater.

1 Qui teipſum perfectiſſimè intelligendo,verbum tibi coæternum & prorſùs ſimile & coæquale ab æterno genuiſti.

2 Qui vides & gaudes omnia tibi eſſe ſubiecta,tuæque voluntati ad nutum ſeruire.

3 Qui ſolus es cordium ſcrutator, & facis electos tuos in tua præſentia iugiter ambulare cum omni reuerentia.

Amans contemplor & glorifico te,

O ſpeculum diuinæ maieſtatis Fili Deus,

4 Qui à Patre ſeipſum intuente ab æterno genitus,ipſius maieſtatem perfectiſsimè repræſentas & agnoſcis.

5 Qui es ſpeculum ſine macula, in quo lucidiſsimè omnes ſancti diuinam maieſtatem contemplantur & glorificant.

6 Et in quo diſcunt,quæ ſit eius voluntas bona,beneplacens & perfecta.

Amans amplector te & tibi congratulor,

O gaudium plenum Spiritus ſancte Deus,

7 Qui es amor & gaudium, quo diuina maieſtas cum ſuo ſpeculo ſeu Filio ſeſe mutuo diligens, infinito iubilo gaudet & lætatur.

8 Quo etiam delectantur in contemplatione diuinæ maieſtatis omnes Sancti.

9 Quo denique replentur & inebriantur beati.

Amans & gratias agens me totum tibi offero, ô vnitrine Deus, pro his, cæterisque nominibus & perfectionibus tuis. Atque vtinam horum tuorum nominum intimum saporem & virtutem nobis infundas & communices, sicque ad amorem tui nos excites & restaures.

Eya igitur ô maiestas diuina, omnia tibi subiecta intuens,

1 Fac vt te semper & vbique præsentem, cordiumque nostrorum inspectorem viua fide credamus & sentiamus.

2 Te summè reuereamur & voluntariè tibi subiiciamur.

3 Timeamus & solicitè præcaueamus omnem tui offensam tuæque voluntatis transgressionem.

O speculum sine macula diuinæ maiestatis,

4 In te & per te diuinam maiestatem videamus & contemplemur.

5 Quid à nobis exigat, & quid in omni re sit ei gratius ex te agnoscamus.

6 Semper & vbique eam glorificemus, admiremur, & in eius claritatem transformemur.

O gaudium plenum,

7 Ab omni inordinata tristitia libera nos.

8 Et fac vt à vanis gaudijs abstinentes, in diuinæ maiestatis contemplatione delectemur.

9 Eius fruitione repleamur & inebriemur.

O vnitrine Deus omnipotēs & misericors quia vis, & sicut scis, vis, & potes nos totos igne diuini tui amoris purga, illumina, inflamma, perfice, absorbe, transforma, vni & clementer exaudi, ad tuam & sanctorum tuorum gloriam, nostramque & omnium salutem, ac omnium salutarium petitionū exauditionem, amen. Ita quæso fiat, ô benignissime Pater, per IESVM dilectissimum Filium tuum, in Spiritu sancto. Intercedente beatissima Maria & omnibus Angelis & Sanctis. O Mater Dei, ô Angeli, & Sancti orate pro nobis & magnificate Dominum nobiscum.

¶ *Secundum Ternarium quintæ meditationis.*

Eya iterum atque iterum millies & centies millies ex affectu quo suprà,

Amans adoro & reuereor te,

O vnitas indiuisibilis.

1 Quæ es vna, indiuisa, & eadem prorsùs essentia, virtus & diuinitas, in singulis tribus personis, tota subsistens.

2 Quæ tota es in omnibus creaturis, & tota in singulis, omnia replens & omnia cōtinens.

3 Quæ sanctos à vitiosa multiplicitate abstrahens, in te sola vnis & stabilis, vt te vnum necessarium & optimum eligant & quærant.

Amans contemplor & glorifico te,

O veritas infallibilis,

4 Quæ in te ipsa, eadem & incommutabilis semper permanes, nec aliter quàm es, te habere potes.

5 Quæ nec falli nec fallere quenquam potes, sed in verbis & promissis tuis es certissima & infallibilis.

6 Quæ sanctos doces omnem veritatem, atque ad eius contemplationem & laudem eos eleuas.

Amans amplector te, & congratulor tibi,

O benignitas ineffabilis.

7 Quæ igne charitatis in teipsa semper ardes, omnibus benefacere paratissima.

8 Quæ ingratis etiam & impijs tua beneficia præstas.

9 Quæ sanctos tuos ignito tuo amore, tuisque beneficijs afficis, reples & inebrias.

Amans & gratias agens me totum tibi offero, ô vnitrine Deus, pro his cæterisque nominibus & beneficijs tuis. Atque vtinam horum tuorum nominum intimum saporem & virtutem nobis infundas & communices, sicque ad tui amorem nos restaures.

Eya igitur ô vnitas indiuisibilis,

1 Fac vt in Trinitate personarum vnam & indiuiduam essentiam & diuinitatē semper credamus & confiteamur.

2 Te solum in omnibus creaturis amemus, & teipso toti repleamur.

3 Te vnum toto corde quæramus, & securè tandem possideamus.

O veritas infallibilis,

4 Fac vt te stabiliter & veraciter agnoscamus.

5 Tuis verbis ac promiſſis certiſſimè credamus, & ab omni errore ac deceptione liberemur.

6 Doce nos omnem veritatem nobis vtilem, & ad tui contemplationem & laudem nos excita & eleua.

O benignitas ineffabilis.

7 Nobis licèt ingratis & indignis beneficia tua propter temetipſum largire & conſerua.

8 Ignitoque amore nos inflamma, ad te ardenter amandum & colendum omni tempore, & in quacumque tribulatione.

9 Et ad benefaciendum omnibus etiam ingratis & indignis tui amore & imitatione.

O vnitrinę Deus omnipotens &c. vt ſupr.

Terharium tertium quintæ meditationis.

Eya iterum atque iterum millies & centies millies ex affectu quo ſuprà,

Amans adoro & reuereor te,

O virtus operans Deus,

1 Qui ſolus ex teipſo eſſentialiter habes, vt poſſis liberè operari quicquid volueris.

2 Qui es fons, ac creator & conſeruator omnium virtutum cœleſtium & terreſtrium.

3 Qui per virtutes cœleſtes, miracula ſicut vis operaris, & ad opera virtutum electos tuos excitas & confortas.

Amans contemplor & glorifico te,

O actus purus, & forma ſimplex Deus,

4 Cuius esse, idem prorsus existens cum tua essentia, est totum simul semper in actu, expers omnis passiuæ potentiæ, mutationis & vicissitudinis.

5 Qui es forma simplicissima, expers omnis materiæ, accidentis, & compositionis, habens ex te esse simplicissimũ, actualissimum & perfectissimum.

6 Qui das omnibus creaturis actum & formam, quâ existũt & per quam operantur, tuosque electos in bonis operibus actuas, informas & dirigis.

Amans te amplector, tibique congratulor,

O fructus suauissime Spiritus sancte Deus,

7 Qui es amor & dulcor, quo tres personæ in sui mutua contemplatione & operatione delectantur.

8 Quo electi in bonis operibus recreantur, confortantur & conseruantur.

9 Quo beati replentur, satiantur & inebriantur.

Amans & gratias agens me totum tibi offero, ô vnitrine Deus, pro his cæterisque nominibus & perfectionibus tuis. Atque vtinam horum tuorum nominum intimum saporem & virtutem nobis infundas & communices, sicque ad tui amorem nos restaures.

Eya ergò ô virtus operans,

1 Liberè in nobis operare quicquid tibi gratius fuerit, & fac nos promptissimè tibi obtemperare in omnibus.

2 Omnem cœleſtium & terreſtrium virtutẽ tibi aſcribamus, & pro omnibus te adoremus & glorificemus.

3 Per virtutes Angelicas miracula innoua, ſicut ſcis expedire ad gloriam tuã & animarum ſalutem, nosq́ue ad opera virtutum omnium excita & conforta.

O actus purus & forma ſimplex,

4 Fac vt te actũ per intelligentiam puram contemplemur.

5 Tuam formam ſimpliciſſimam & pulcherrimam cum gaudio admiremur & glorificemus.

6 Actua, informa & dirige nos in omnibus operibus tibi placitis.

O fructus ſuauiſſime,

7 Tui amoris & dulcoris guſtu & fructu, ad te amandum & ex amore tibi ſeruiendum nos excita.

8 Inter operandum, eodem guſtu nos recrea & conſerua.

9 Tandemq́ue cum beatis nos reple, ſatia, & inebria.

O vnitrine Deus omnipotens, &c.

¶ *Quartum Ternarium quintæ meditationis.*

Eya iterum atque iterũ millies & centies millies ex affectu quo ſuprà,

Amans adoro & reuereor te,

O vita omnium viuentium Deus,

1 Qui ſolus eſſentialiter & à te ipſo es vita, ab æterno incommutabiliter & ſine fine viuens.

2 Qui omnibus viuentibus vitam sibi conuenientem donas & conseruas.

3 Qui electis tuis vitam beatam & æternam communicas.

Amans contemplor & glorifico te,

O sensus omnium sentientiũ Deus,

4 Qui per teipsum spirituali & supereminenti modo omnia audis, vides, adoraris, gustas & tangis.

5 Qui omnibus sentientibus, sensitiuas vires donas & conseruas.

6 Qui spirituales sensus electis tuis infundis, quibus te, & quę tibi sunt placita audiant, videant, odorentur, gustent, & tangant.

Amans amplector te & congratulor tibi,

O operatio omnium operantium Deus,

7 Qui vnica, continua, indiuisibili, & incommutabili operatione interna, teipsum & omnia ab æterno intelligis & amas.

8 Qui ad operandum, omnium operantium vires excitas, moues & actuas.

9 Qui in electis tuis omnia bona operaris, tuamq; deificam operationẽ liberè perficis.

Amans & gratias agens me totum tibi offero, ô vnitrine Deus, pro his cæterísque tuis nominibus & perfectionibus. Atque vtinam horum tuorum nominum intimum saporem & virtutem nobis infundas & communices, & ad amorem tuum nos restaures.

Eya ergo. ô vita viuentium,

1 Fac vt te vitam essentialem & æter[illegible] credamus, & vbique præsentem reue[illegible]

2 Conserua in nobis,& ordina ad te & secundùm te, vitam nostram corporalem & spiritualem.

3 Et ad vitam æternam & beatam nos cum tuis sanctis tandem admittere digneris.

O sensus omnium sentientium,

4 Fac vt coram te, nos audiente & vidente, reuerenter & timoratè semper & vbique conuersemur.

5 Conserua & ordina ad te & secundùm te vires nostras sensitiuas.

6 Spirituales sensus nobis infunde, quibus te audiamus, videamus, olfaciamus, gustemus,& tangamus.

O operatio omnium operantium,

7 Fac vt tibi actui purissimo & indeficienti,per amorem semper adhæreamus.

8 A te moneamur & confortemur ad operandum quæcunque tibi placita fuerint.

9 Tuámque internam operationem in nobis liberè sicut volueris, & quando volueris perfice.

O vnitrine Deus ,omnipotens & misericors:quia vis & sicut scis,vis & potes, nos totos igne tui amoris purga, illumina, inflamma, absorbe, transforma, & vni nunc & in perpetuum.

Sed quando ista perficientur in me? &c. vt suprà,pag.660.661.vsque ad 665.

SEXTA MEDITATIO.

CAP. XI.

Oratio præparatoria,vt suprà,pag.644.
Præfatio generalis, vt suprà, pag.648.649.

O menſura omnia menſurãs Deus,

1 Qui es in te immenſus & immenſurabilis,& omnem mẽſuram excedis in infinitum.

2 Qui omnia menſuras, dans omnibus & ſingulis conuenientem ſibi menſuram & quantitatem.

3 Qui electis tuis menſuram bonam, & confertam & coagitatam & ſupereffluentem retribuis.

Amans contemplor & glorifico te,

O numerus omnia numerans Deus,

4 Qui in te infinitus es & innumerabilis, nec ſapientiæ tuæ vllus eſt numerus.

5 Omnia tamen certo numero diſtinguis, & numeras per tuam ſapientiam.

6 Et electos tuos vocas nominatim, eorúmque opera certo ordine & numero prudenter ordinas & dirigis.

Amans amplector te & tibi congratulor,

O pondus omnia ponderans Deus,

7 Qui pondus omne excedens, in te ſolo ſubſiſtis & quieſcis.

8 Qui das omnibus creaturis pondus, & inclinationem naturalem ad ſuum finem & perfectionem.

9 Qui electorum mentes ad te inclinas, & in te ſolo requieſcere facis.

Amans & gratias agens me totum tibi offero, ô vnitrine Deus, pro his cæteríſque nominibus & perfectionibus tuis. Atque vtinam horum tuorum nominum intimum ſaporem & virtutem nobis infundas & communices,ſicque ad amorem tuum nos excites & reſtaures.

Eya ergo,ô menſura menſurans,

1 Fac vt te ſuper omnia ſine menſura reuereamur & amemus.

2 Da nobis gratiarum & virtutum menſuram, quantã tu ſcis expedire, & fac vt opera noſtra cum debita menſura faciamus.

3 Miſericordiæ opera abundanter exerceamus, vt à te menſuram bonam & ſupereffluentem recipiamus.

O numerus omnia numerans,

4 Fac vt tuam ſapientiam omnia numerantem & prudenter diſtinguentem contemplemur in omnibus & glorificemus.

5 De eius diſpoſitione & ordinatione omnia cum gratiarum actione ſuſcipiamus & ex omnibus fructum capiamus.

9 Eius directione in omnibus operibus noſtris prudenter & ordinatè regamur,& nominatim a te agnoſcamur & vocemur.

O pondus omnia ponderans,

7 Fac vt ad te ſolum per amorem tendamus & inclinemur.

8 Creaturis omnibus propter te ſolum & ſecundùm te vtamur.

9 In te ſolo,propter te quieſcamus, téque fruamur.

O vnitrine Deus omnipotens & miſericors,quia vis & ſicut ſcis,vis & potes, nos totos igne tui amoris purga, illumina,inflamma, abſorbe, transforma, vni, & clementer exaudi: ad tuam & tuorum ſanctorum gloriam,noſtrámq; & omnium ſalutem, Amen. Ita quæſo fiat, ſicut amanter & confidenter petimus, ô benigniſſime Pater,per IESVM

dilectiſſimum filium tuum, in Spiritu ſancto, intercedente beata Maria,& omnibus Angelis & ſanctis.O mater Dei, ô Angeli & ſancti omnes, orate pro nobis & magnificate Dominum nobiſcum.

¶ *Secundum ternarium ſextæ meditationis.*

Eya iterum atque iterum millies & centies millies ex affectu quo ſuprà,

Amans adoro & reuereor te,

O modus omnia moderans Deus,

1 Qui es ſine modo & ſine magnus & immenſus.

2 Qui omnia prudenter moderaris, & in certo modo diſponis.

3 Qui virtutem in modo & medio conſtituis.

Amans contemplor & glorifico te,

O ſpecies & decor vniuerſi Deus,

4 Qui in teipſo es ſpecioſiſſimus & pulcherrimus, omnem ſuperans pulchritudinem.

5 Qui per ſapientiam tuam,pulchra varietate & ſpecie,omnia creata diſponis.

6 A quo eſt omnis pulchritudo creaturarum, & qui ineffabili pulchritudine & deifica ſpecie animas electorum tuorum exornas.

Amans amplector te,tibíque congratulor,

O ordo vtiliter omnia ordinans Deus,

7 Qui omnia ordinas ad tuam gloriam.

8 Et ad electorum tuorum salutem, & multiplicem vtilitatem.

9 Et facis vt electi tui omnia sua ad eundem finem referant & ordinent.

Amans & gratias agens me totum tibi offero, ô vnitrine Deus, pro his, cæterísque tuis nominibus & perfectionibus. Atque vtinam horum tuorum nominum intimum saporem & virtutem nobis infundas & communices, sicque ad tui amorem nos excites & restaures.

Eya igitur, ô modus omnia moderans,

1 Fac vt te immensum, omnia moderantem, viua fide credamus, vbique reuereamur, & super omnia amemus.

2 Modum & medium virtutis agnoscamus & sequamur.

3 In omnibus nostris studijs & operibus à te sobriè & moderatè dirigamur.

O species & decor vniuersi,

4 Allice & eleua nos ad clarè videndum & glorificandum tuam speciem & pulchritudinem infinitam.

5 Fac vt in omnium creaturarum specie & pulchritudine, te contemplemur & glorificemus.

6 Orna animas nostras pulchritudine gratiæ tuæ & virtutum, & tandem gloriæ & claritatis tuæ æternæ.

O ordo omnia ordinans,

7 Fac vt in omnibus & ex omnibus gloriam tuam intendamus & quæramus.

8 Omnium

8 Omniúmque ſalutem deſideremus & procuremus.

9 Omnia ordinatè & honeſtè propter tui amorem & ſolum beneplacitum inchoemus, proſequamur, & perficiamus.

O vnitrine Deus, omnipotens & miſericors quia vis & ſicut potes, ſcis & vis &c.

¶ *Tertium ternarium ſextæ meditationis.*

Eya iterum atque iterum millies & centies millies ex affectu quo ſuprà,

Amans adoro & reuereor te,

O Maieſtas omnibus dominans Deus,

1 Qui omnia tibi ad nutum ſubiecta poſſidens, liberè, plenè & quietè omnibus dominaris & imperas.

2 Quem adorant Dominationes cœleſtes, tuóque pleno dominio congratulantur.

3 Et per te alijs inferioribus ſpiritibus liberè & tranquillè agenda imperant.

Amans contemplor & glorifico te,

O gloria diuinæ maieſtatis fili Deus,

4 Qui es ſapientia patris, eius maieſtatem perfectè exprimens, clariſſimè intuens, & glorificans.

5 Qui eandem electis tuis manifeſtas, & quid ſit ei acceptum oſtendis.

6 Atque ad eiuſdem maieſtatis laudem & glorificationem eoſdem excitas eleuas & ſuſpendis.

Amans amplector te & congratulor tibi,

O diuinitas omnia regens Deus,

7 Qui totus vbique existens, omnia & singula reples & circumplecteris.

8 Qui speciali modo electos tuos, diuinitatis tuæ amore, desiderio, & gaudio afficis, [illegible]ccendis & reples.

9 Eiusdem fruitione & voluptate ac vber[illegible] [illegible]los satias, potas, & inebrias.

[illegible] & gratias ágens me totum tibi of[illegible] [illegible] trine Deus, pro his cæteríſque tuis [illegible] & perfectionibus. Atque vtinam [illegible] nominum intimum saporem [illegible] nobis infundas & communices, [illegible]que ad tui amorẽ nos excites & restaures.

Eya igitur, ô maiestas imperans,

1 Fac vt te omnibus dominantem, & cum potestate imperantem, semper credamus & reuereamur.

2 Tibíque voluntariè subiiciamur, & promptissimè in omnibus obediamus.

3 Per cœlestium dominationum auxilium, liberè & plenè animo nostro & vitijs dominemur, & subditis quæ agenda fuerint quietè & sine elatione imperemus.

O gloría diuinæ maiestatis,

4 Fac vt in te, & per te, ac tecum, diuinam maiestatem intueamur, contemplemur & glorificemus.

5 Quid sit ei gratum, quid-uè à nobis requirat, omni tempore clarè agnoscamus & sequamur.

6 Atque in æternam eius claritatem & gloriam cum beatís tandem transformemur.

O Diuinitas omnia replens,

7 Reple nos diuino tuo amore & charitate.

8 Et fac vt te ſuper omnia appretiemus, deſideremus & quæramus.

9 Tuáque fruitione, voluptate & vbertate tandem ſatiemur, potemur & inebriemur.

O vnitrine Deus omnipotens & miſericors, &c.

Quartum ternarium ſextæ meditationis.

Eya iterum atque iterum millies & centies millies ex affectu quo ſuprà,

Amans adoro te & reuereor te,

O abyſſus ſupereffluens diuinitatis Deus,

1 Cuius terminum aut profundum nulla creatura poteſt penetrare, & perfectè comprehendere.

2 Qui tuæ diuinitatis ſuperbos & curioſos ſcrutatores opprimis, excæcas & punis.

3 Humiles autem & deuotos tui contemplatores, in tuam abyſſum ſublimiter introducis, & ſupereffluenter teipſum illis communicas.

Amans contemplor & glorifico te,

O lucerna diuinæ claritatis Fili Deus,

4 Qui paternam charitatem perfectè ex-

primis, eiúſque diuinitatis abyſſum penetras & comprehendis.

5 Atque electos tuos ad eandem contemplandam & admirandam eleuas & illuminas.

6 Et in eiuſdem claritatis admiratione & glorificatione illos ſuſpendis & transformas fœliciter.

Amans amplector te & tibi congratulor,

O ſaporoſa vnio intimæ ſuauitatis Spiritus ſancte Deus,

7 Qui es vinculum, & ſacra communio, qua Pater & Filius inter ſe ſapidiſſima vnione copulantur.

8 Qui electos tuos intima tuæ bonitatis & charitatis ſuauitate afficis.

9 Et dulciſſimo ſapore tibi inſeparabiliter eoſdem agglutinas & vnis.

Amans & gratias agens me totum tibi offero, ô vnitrine Deus, pro his cæteriſq; tuis nominibus. Atque vtinam horum tuorũ nominum intimum ſaporem & virtutem nobis infundas & communices, ſicq; ad tui amorem nos excites & reſtaures.

Eya igitur, ô abyſſus diuinitatis,

1 Fac vt te profundè ſemper & vbique reuereamur.

2 Ab omni curioſa & ſuperba ſcrutatione tuæ diuinitatis abſtineamus.

3 Humili & deuota meditatione & contemplatione ſic tibi vacemus, vt in abyſſum tuæ diuinitatis nos abſorbeas, & fœliciter introducas.

O lucerna diuinæ claritatis,

4 Fac vt in te, & per te, ac tecum paternam

claritatem

claritatem videamus & contemplemur.

5 Eandémque admiremur, laudemus & glorificemus continuè.

6 Atque à nobis deficientes, in eam transformemur.

O ſaporoſa vnio intimæ ſuauitatis,

7 Illo glutino & vinculo, quo Patrem & Filium coniungis, nos vni & inſeparabiliter tecum alliga.

8 Intimo ſapore tuæ diuinæ bonitatis nos affice & ſuccende.

9 Nóſque in te transforma, abſorbe & fœliciter vni.

O vnitrine Deus, omnipotens & miſericors, quia vis, & ſicut ſcis, vis & potes, nos totos igne tui amoris purga, illumina, inflã-ma, abſorbe, transforma, & vni, nunc & in perpetuum. Sed quando fiet iſtud? &c. pag. 660. 661. vſque ad 665.

SEPTIMA MEDITATIO.

CAP. XII.

Oratio præparatoria, vt ſuprà, pag. 644.
Præfatio generalis, vt ſuprà, pag. 648. 649.

Specialiter amans adoro & reuereor te,

O Pater operans,

1 Qui omnia in omnibus, ſed ſpeciali modo in electis tuis, operaris liberè, & abſque contradictione.

2 Mirabiliter, ſupra curſum & vires naturæ.

3 Vtiliter & ſalubriter, ad eorum & omnium fidelium ſalutem.

Amans te contemplor & glorifico,

O dextera Dei patris Fili Deus,

4 Qui electos tuos benedicis, & in omni gratia multiplicas.

5 Eóſque in omni bono ſapienter dirigis & confortas.

6 Atque illos iuſtificas, & in dextera tua collocas in æternum benedicendos.

Amans amplector te & congratulor tibi,

O dextræ Dei digitus,

7 Qui eiicis de cordibus electorum omnia vitia, & dæmonis prauas ſuggeſtiones.

8 Qui ſcribis in cordibus eorum legem tui amoris, inclinans eorum cor in teſtimonia tua.

9 Qui mira virtutum exercitia, & heroica opera in eis operaris.

Amans & gratias agens me totum tibi offero, ô vnitrine Deus, pro his cæteriſq; tuis nominibus & perfectionibus tuis. Atque vtinam horum tuorum nominum intimum ſaporem & virtutem nobis infundas & communices, ſicq; ad tui amorem nos excites & reſtaures.

Eya igitur, ô Pater operans,

1 Fac vt ſimus ſemper tibi perfectè obedientes, vt tu in nobis liberè & abſque contradictione opereris quæcunque volueris.

2 Deduc nos in via mirabili,noſtram adiuuans & ſuperans infirmitatem.

3 Fac vt quæcunque fecerimus, proſperentur,& cedant ad tuum honorem & omnium ſalutem.

O dextera Dei patris,

4 Benedic nos & in omni gratia multiplica.

5 Dirige nos prudenter & conforta in omni bono opere.

6 Iuſtifica nos,vt cum iuſtis ad tuam dexteram poſiti audiamus, venite benedicti patris mei.

O dextræ Dei digitus,

7 Eiice de cordibus noſtris omnia vitia, & dæmonis prauas ſuggeſtiones.

8 Scribe in cordibus noſtris legẽ tui amoris,& inclina cor noſtrum in teſtimonia tua.

9 Mira virtutum exercitia & heroica opera in nobis operare & perfice.

O vnitrine Deus, omnipotens & miſericors:quia vis,& ſicut ſcis, vis,& potes,nos totos igne tui amoris purga, illumina, inflamma, abſorbe, transforma, vni, & clementer exaudi:ad tuam tuorúmque ſanctorum gloriam,noſtrámque & omnium ſalutem, Amẽ. Ita quęſo fiat,ô benigniſſime Pater,per IESVM dilectiſſimum filium tuum,in Spiritu ſancto: intercedente Beata Maria,& omnibus Angelis & Sanctis. O mater Dei & virgo,ô Angeli & Sancti omnes, orate pro nobis & magnificate Dominum nobiſcum.

¶ Secundum ternarium septimæ meditationis.

Eya iterum atque iterum millies & centies millies ex affectu quo suprà,

Amans adoro & reuereor te,

O primum principium Deus pater,

1 A quo ab æterno Filius est genitus; cum quo Spiritum sanctum spirasti.

2 A quo cnm Filio & Spiritu sancto omnes creaturæ ortum habent.

3 A quo omne bonum & datum optimum procedit.

Amans te' contemplor & glorifico,

O imago primi principij Fili Deus,

4 Qui es Dei Patris imago & similitudo verissima & perfectissima, verè & integrè ipsum repræsentans.

3 Imago viua & intelligẽs, Deum Patrem in te, & te in Patre clarissimè intelligens & contemplans.

6 Imago lucidissima & fulgẽtissima, eundem patrem tuum electis tuis clarè manifestans.

Amans contemplor te & congratulor tibi,

O donum altissimi Spiritus sancte Deus,

7 Qui es Dei opulentissimi & liberalissimi amor & donum primum & perfectissimum: quia in amore & propter amorẽ suum Deus omnia nobis donat.

8 Qui es donum ſufficientiſſimum, in quo cætera habētur, & quo ſancti plenè ſatiātur.

9 Qui es datum optimum, & ſuper omnia appetendum, quod cætera omnia in bonitate infinita excedit, & ſanctos omnes bonos & beatos facit.

Amans & gratias agens me totum tibi offero, ô vnitrine Deus, pro his cæteriſq; tuis nominibus & perfectionibus. Atque vtinā horum tuorum nominum intimum ſaporem & virtutem nobis infundas & cōmunices, ſicq; ad amorem tui nos excites & reſtaures.

Eya igitur, ô primum principium,

1 Fac vt te Patrem ſimul cum Filio & Spiritu ſancto vnum Deum, & omnium rerum principium credamus, & vbique præſentem ſentiamus & revereamur.

2 In omnibus creaturis te contemplemur, & ſolum amemus & quæramus.

3 Omnia bona à te nos habere, grati recognoſcamus, & quæ deſunt nobis, fiducialiter à te petamus.

O imago primi principij,

4 Fac vt in te & per te Patrem agnoſcamus.

5 Tecum illū glorificemus & admiremur.

6 Quid ſit ei acceptum omni tempore ex te intelligamus.

O donum primum,

7 Fac vt te Patris & Filij amorē, primum

quæramus,ac in te,& propter te, cętera dona nobis ſalutaria obtineamus.

8. Tu ſolus nobis ſufficias,nihilq́; extra te, aut niſi propter te requiramus.

9 Tuo dato optimo,perfecta ſcilicet charitate, boni & beati efficiamur.

O vnitrine Deus, omnipotens & miſericors, quia vis & ſicut ſcis, vis,&c.

❡ *Tertium ternarium ſeptimæ meditationis.*

Eya iterum atque iterum millies & centies millies ex affectu quo ſuprà,

Amans adoro & reuereor te,

O æquitas inflexibilis Deus ,

1 Cuius voluntas , eſt fons & regula omnis æquitatis,iuſtitiæ & rectitudinis.

2 Qui in thronis angelicis ſedes,& omnia iudicas iuſtè & ſine perſonarum acceptione.

3 Qui nullum bonum irremuneratum, nullúmque peccatum impunitum relinquis.

Amans te contemplor & glorifico,

O ſapientia indeceptibilis Deus,

4 Cuius oculis omnia nuda ſunt & aperta,& qui omnia opera noſtra intelligis.

5 Qui occultiſſimas etiam cordium noſtrorum intentiones , & affectiones ſcrutaris & diſcutis.

6 Qui ſingulorum merita omnia & demerita, clariſſimè agnoſcis & ponderas.

Amans amplector te,& tibi congratulor,

O pax imperturbabilis,

7 Qui abſque vlla perturbatione aut paſſione omnia iudicas, cum ſumma tranquillitate.

8 Qui immotus & æqualis in te permanens, bonis præmia, & malis ſupplicia rependis.

9 Qui bonos amas nec æſtuas, & contra malos iraſceris manens tranquillus.

Amans & gratias agens me totum tibi offero, ô vnitrine Deus, pro his cæteriſque tuis nominibus & perfectionibus. Atque vtinam horum tuorum nominum intimum ſaporem & virtutem nobis infundas & communices, ſicque ad tui amorem nos excites & reſtaures.

Eya igitur, ô Aequitas inflexibilis,

1 Fac vt in omni iudicio tuam voluntatem attendamus & ſequamur, omniaque iudicia tua vera & iuſta eſſe credamus & confiteamur.

2 Per thronorum miniſteria & merita, iuſtè de omnibus iudicemus, & ſine perſonarum acceptione, quæ bona ſunt approbemus, mala autem reprobemus, & puniri deſideremus.

3 Atque vtinam hîc peccata noſtra caſtiges, bona verò in æterna vita remuneranda conſerues.

O Sapientia indeceptibilis,

4 Fac vt in te & per te noſmetipſos imprimis diligenter examinemus, & noſtra etiã

occulta vitia clarè videamus.

5 Deinde alios, præſertim nobis commiſſos prudenter & ſobriè diiudicemus ſecundùm te.

6 Ex te clarè intelligamus quid, quantùm, quo tempore & modo ſit ſingulis reddendum iuxta tuam æquitatem.

O pax imperturbabilis.

7 Fac vt abſque inordinata paſſione & perturbatione, abſque puſillanimitate & tempeſtate, nos & ea quæ ad nos pertinent iudicemus.

8 Noſtram voluntatem tuæ voluntati & diuinæ æquitati ſtabiliter conformemus & vniamus.

9 Ex amore, cum vera pace & tranquilla tecum vnione & adhæſione, peccata noſtra & nobis commiſſorum iudicemus, arguamus & puniamus.

O vnitrine Deus omnipotens, &c.

¶ *Quartum Ternarium ſeptimæ meditationis.*

Eya iterum atque iterum millies & centies millies ex affectu quo ſuprà,

Amans adoro & reuereor te,

O Pater ex quo ſuperaffluentia copioſa,

1 Qui das omnibus affluenter, & non improperas.

2 Qui miſericordibus & te diligentibus das menſuram bonam & confertam.

3 Qui perseuerantibus in te, das in cœlo mensuram supereffluentem & omnē sensum exuperantem.

Amans contemplor & glorifico te,

O Fili Deus, ad quem allicientia amœnosa,

4 Qui tua amœna & desiderabili pulchritudine suauiter allicis & inuitas sanctos ad te contemplandum.

5 Eosdemque illuminas & eleuas ad te glorificandum & admirandum.

6 Et in tuam pulchritudinem & claritatem illos transformas.

Amans amplector te & tibi congratulor,

O Spiritus sancte, per quem influentia affectuosa,

7 Qui suauem tui amoris affectum cordibus sanctorum influis.

8 Tuoque influxu & infusa charitate illos succendis & reples.

9 Atque à terrenorum amore & affectu abstrahis.

Amans & gratias agens me totum tibi offero, ô vnitrine Deus, pro his cæterisque tuis nominibus & perfectionibus tuis. Atq; vtinā horum tuorum nominum intimum saporem & virtutem nobis infundas & communices, sicque ad tui amorem nos excites & restaures.

Eya igitur ô Deus, ex quo supereffluentia copiosa,

1 Dona nobis affluenter omnia ad tibi seruiendum necessaria.

2 Fac nos verè miſericordes,vt copioſam miſericordiam à te conſequamur.

3 Da vt in tuo ſeruitio vſque in finem perſeuerantes,menſuram ſupereffluentem in cœlo recipiamus.

O Fili, ad quem allicientia amœnoſa,

4 Specie tua humana, & diuina pulchritudine, allice & attrahe nos ad te contemplandum.

5 Illumina & eleua ad te humiliter & deuotè glorificandum & admirandum.

6 Noſque in tuam pulchritudinem & claritatem tandem transforma.

O Spiritus ſancte,per quem influentia affectuoſa,

7 Influe cordibus noſtris ſuauẽ tui amoris affectum.

8 Infuſa charitate nos ſuccende & reple.

9 Atque à terrenorum amore & affectu abſtrahe.

O vnitrine Deus,omnipotẽs & miſericors, quia vis & ſicut ſcis, vis & potes,nos totos igne tui amoris,purga, illumina, inflamma, abſorbe, transforma, & fœliciter vni nunc & in perpetuum.Sed quando iſta perficientur in nobis? &c.vt ſuprà pag. 660.661. vſque ad 665.

OCTAVA MEDITATIO.

CAP. XIII.

Oratio præparatoria, vt suprà, pag. 644.
Præfatio generalis, vt suprà, pag. 648. 649.

Specialiter autem amans adoro & reuereor te,

O Pater Filium osculans, diligens, & vngens,

1 Qui ab æterno Filium tuum generando, ei omnem substantiam tuam communicas, sicque ipsum ore tuo oscularis.

2 Qui eundem Filium tuum tibi per omnia coæqualem, sicut teipsum perfectè & vnicè ab æterno diligis.

3 Qui eundem propter nos incarnatum, oleo lætitiæ & omnisformis gratiæ præ cōsortibus suis vnxisti & replesti.

Amans contemplor & glorifico te,

O Fili osculate, dilecte & vncte,

4 Qui ore ad os patrem oscularis, ei per omnia coæqualis existens.

5 Qui es Dei Patris dilectissimus Filius, in quo sibi semper benè Pater complacuit.

6 Qui es Christus & vnctus Dei Patris, à quo recepisti spiritum non ad mensuram.

Amans te amplector, tibique congratulor,

O osculum, amor, & vnctio Patris & Filij Spiritus sancte Deus,

7 Qui es osculum amoris & suauitatis, proueniens ex mutua complacentia qua

Deus Pater Filio ſuo totam ſuam ſubſtantiam communicans,in illo ſibi optimè complacet,& Filius in Patre.

8 Qui es amor ex mutua Patris & Filij dilectione procedens, condilectus & condiligens.

9 Qui es vnctio,fons illius vnctionis,qua Pater Filium hominem factum vnxit oleo gratiæ ſuæ.

Amans & gratias agens, me totum tibi offero, ô vnitrine Deus,pro his cæteriſque nominibus & perfectionibus tuis. Atque vtinam hotum tuorum nominum intimum ſaporem & virtutem nobis infundas & communices, ſicque ad tui amorem nos excites & reſtaures.

Eya igitur ô Pater oſculans, diligens & vngens,

1 Per Filium tuum oſculo oris tui nos oſculare, gratiam & amicitiam tuam nobis infundens.

2 In filio tuo nos dilige, accepta & gratifica.

3 Et cum ipſo nos vnge,& reple oleo lætitiæ & gratiæ ſpiritualis.

O Fili oſculate, dilecte & vncte,

4 Illumina nos,vt viua fide ſemper credamus, & deuotè confiteamur te conſubſtantialem,coæternum & per omnia coæqualem veneremur & collaudemus.

5 Te dilectiſſimũ Dei Filium amemus ſuper omnia,& per te à patre diligamur.

6 Te Chriſtum, & omni ſpirituali vn-

ctione præ cæteris vnctum in regem, sacerdotem,& prophetam adoremus & uereamur.

O Spiritus sancte osculum,amor, & vnctio,

7 Te cum Patre & Filio super omnia amemus & diligamus.

8 Per te in Patre & Filio intimò complaceamus.

9 Tuaque spirituali vnctione, gratia, & lætitia repleamur,& reges ac sacerdotes & Prophetæ efficiamur, per Christi meritum & vnctionem.

O vnitrine Deus,omnipotés & misericors: quia vis, & sicut scis, vis, & potes,nos totos igne tui amoris purga, illumina, inflamma, absorbe, transforma, vni & clementer exaudi,ad tuam,tuorumque sanctorum gloriam, nostramque & omnium salutem,Amen. Ita quæso fiat, ô benignissime Pater, per IESVM dilectissimum Filium tuum, in Spiritu sancto, intercedente beata virgine Maria, & omnibus Angelis & Sanctis. O Mater Dei, ô omnes Angeli, & Sancti orate pro nobis,& magnificate Dominum nobiscum nunc & in perpetuum.

¶ *Secundum Ternarium octaua meditationis.*

Eya iterum atque iterum millies & centies millies ex affectu quo suprà,

Amans adoro & reuereor te,

O Altitudo eleuans Deus,

1 Qui omnibus ſuperemines, & omnia tibi ſubiecta & inferiora poſſides.

2 Qui omnia ad te trahis & tibi ſeruire facis.

3 Qui electos tuos à terrenis & creaturis omnibus abſtractos, ad te ſuper omnia eleuas,& in te ſtabilis.

Amans contemplor & glorifico te,

O pulchritudo alliciens Deus,

4 Qui omnem pulchritudinem creatam in infinitum ſuperas & excedis.

5 Qui à terrenorum contemplatione electos tuos, per tuæ pulchritudinis concupiſcentiam abſtrahis.

6 Et ad tuæ ſpeciei & pulchritudinis cõtemplationem, laudẽ & admirationem ſuauiter allicis & eleuas,atque in eandem illos transformas.

Amans te amplector tibique congratulor,

O dulcedo agglutinans Deus,

7 Qui omnem in te contines dulcedinem & ſaporem ſupereminenter.

8 Qui tuæ dulcedinis guſtu electos tuos afficis & ſuccendis.

9 Eiusque fruitione & voluptate illos ſatias, potas & tibi agglutinas.

Amans & gratias agens me totum tibi offero, ô vnitrine Deus, pro his cæteriſque tuis nominibus & perfectionibus. Atque vtinam horum tuorum nominum intimum ſaporem nobis infundas & communices,ſicque ad tui amorem nos excites & reſtaures.

Eya igitur, ô altitudo eleuans,

1 Fac vt te altissimum super omnia reuereamur, & profundè sub te humiliemur ac prosternamur.

2 Trahe nos ad te, & fac nos tibi voluntariè & ex puro amore seruire.

3 Abstrahe nos à creaturis, & ad te super omnia contemplandum & venerandum nos eleua & conforta.

O pulchritudo alliciens,

4 Allice nos & excita, vt pulchritudinem tuam præ omnibus pulchris creaturis videre desideremus.

5 Purga & illumina nos, vt eam purificatæ mentis intelligentia contemplemur.

6 Eius laude & admiratione nos reple, suspende, & in eam transforma.

O dulcedo agglutinans,

7 Fac vt tu solus nobis dulcescas, & cætera desipere nobis facias extra te.

8 Renuat in alijs consolari anima nostra, vt in te delectetur, tuámque dulcedinem gustet.

9 Tuæ dulcedinis fruitione & voluptate, nos satia, pota, & tibi inseparabiliter agglutina.

O vnitrine Deus omnipotens & misericors, quia vis & sicut vis, nos totos igne tui amoris purga, &c.

¶ *Tertium ternarium octauæ meditationis.*

Eya iterum atque iterum millies & centies millies ex affectu quo suprà,

Amans adoro & reuereor te,

O fons veritatis Deus pater,

1 Qui ab æterno teipſum vere & perfectè intelligens, verum & perfectum verbum intus protuliſti, & tibi conſubſtantialem filium genuiſti.

2 Qui es origo, regula & menſura omnis creatæ veritatis.

3 Cui verè & ſtabiliter adhærendo, ſancti omnes verè beati fiunt.

Amans contemplor & glorifico te,

O veritas Patris fili Deus,

4 Qui de Patris ſubſtantia ab æterno genitus, ipſum verè & perfectè repræſentas & contemplaris.

5 Qui in beatis Cherubin clariſſimè luces, & plenitudinem ſcientiæ & veritatis illis infundis.

6 Qui doces electos tuos omnem veritatem & ſalutarem ſcientiam.

Amans te amplector tibíque congratulor,

O ſpiritus veritatis,

7 Qui ex veracis patris, eiúſque veri verbi & filij mutua dilectione procedis, vtriuſque verus & perfectus amor.

8 Qui veritatis guſtum & amorem ſanctis infundis.

9 Eiuſdémque veritatis fruitione & voluptate illos ſatias & potas.

Amans & gratias agens me totum tibi offero, ô vnitrine Deus, pro his, cæteríſque tuis nominibus & perfectionibus. Atque vtinam horum tuorum nominum intimum ſaporem

&

& virtutem nobis infundas & communices, ſicq́ue ad tui amorem nos excites & reſtaures.

Eya igitur, ô fons veritatis,

1 Fac vt tibi per fidem adhærentes ab omni falſitate & errore præſeruemur.

2 A te veritatem omnem ſperemus & hauriamus, téque ex omnibus verè agnoſcamus.

3 Vero & ſtabili amore tibi adhæreamus.

O veritas patris,

4 Illumina nos, vt te verum Dei Patris filium credamus & confiteamur.

5 In te & per te verè Patrem agnoſcamus, contemplemur & glorificemus.

6 Et per beatorum Cherubin miniſterium, veritatem omnem & ſcientiam ſalutarem intelligamus, & alijs communicemus.

O ſpiritus veritatis,

7 Fac vt per te & tecum Patrem & Filium veraciter amemus, deſideremus & toto corde quæramus.

8 Veritatis amôre & zelo afficiamur & repleamur.

9 Eiuſdémque fruitione & voluptate ſatiemur & potemur.

O vnitrine Deus omnipotens & miſericors, &c.

¶ *Quartum ternarium octauæ meditationis.*

Eya iterum atque iterum millies & cẽties millies ex affectu quo ſuprà,

Amans adoro & reuereor te,

O Pater clarissime,

1 Qui in teipso semper es clarissimus, in filio tuo te clarissimè contemplans.

2 Qui clarificas sanctos, vultum tuum super illos illuminans.

3 Et facis vt stabiliter tibi intendentes, beati sint.

Amans contemplor & glorifico te,

O clara facies & vultus Dei Patris Fili Deus,

4 Qui claram & perfectam notitiam Dei patris exprimis & repræsentas.

5 In quem sancti intendentes, facie ad faciem patrem intuentur & clarè vident.

6 Eúmque in te, per te, & tecum cum iubilo laudant & glorificant sine fine.

Amans amplector te & tibi congratulor,

O flatus dulcis Patris & filij Spiritus sancte Deus,

1 Qui ex mutua, æterna & perfecta Patris & filij dilectione, ab æterno spiraris & procedis ineffabiliter.

2 Qui per insufflationem à Christo datus es Apostolis, & cum spiritu vehementi in linguis igneis eisdem missus.

3 Qui sibilus auræ tenuis (in quo Deus sentitur) existis, & spiritu tuo septiformi corda electorum perflas & fœcundas, facísque ex eis virtutum aromata profluere.

Amans & gratias agens me totum tibi offero, ô vnitrine Deus, pro his cæterísque tuis nominibus & perfectionibus. Atque vti-

nam

nam horum tuorum nominum intimum ſaporem & virtutem, nobis infundas & communices, ſicque ad tui amorem nos excites & reſtaures.

Eya igitur, ô Pater clariſſime,

1 Expelle tenebras mentis noſtræ, vt te clariſſimum videre & præſentem vbique ſentire poſſimus.

2 Illumina vultum tuum ſuper nos, & faciem tuam nobis oſtende.

3 Et fac vt tibi ſtabiliter vacemus & adhæreamus.

O clara facies Patris,

4 Illuſce nobis, vt in te & per te Deum patrem, & te in patre, clarè, & facie ad faciem videamus.

5 Te cum Patre iugiter laudemus, glorificemus & admiremur.

6 Et quid tibi acceptum ſit omni tempore in te videamus & ſequamur.

O flatus & ſpiritus dulcis,

7 Fac vt per te patrem filiúmque, & te cum vtroque, ſimul perfectè amemus, deſideremus, & amplectamur.

8 Per Chriſti inſufflationem, & internam infuſionem te abundè capiamus, & ſpiritu tuo vehementi repleamur.

9 Perfla hortum mentis noſtræ ſpiritu tuo ſeptiformi & fœcunda, vt ex eo aromata virtutum fluant.

O vnitrine Deus omnipotens & miſeri-

cors,quia vis & ſicut vis,ſcis & potes, nos totos igne tui amoris purga, illumina,inflamma, abſorbe, transforma, & vni nunc & in perpetuum.

Sed quando iſta perficientur in me? &c. vt ſuprà,pag.660.661.vſque ad 665.

NONA MEDITATIO.

CAP. XIIII.

Oratio præparatoria,vt ſuprà,pag.644.
Præfatio generalis,vt ſuprà, pag.648. 649.

¶ *Primum ternarium nonæ meditationis.*

Specialiter autem amans adoro & reuereor te,

O Pater protegens,

1 Qui aduerſæ dominationis vires reptimis ne plus noceat quã electis tuis expedit.

2 Qui inimici rugientis ſæuitiam ſuperas & impedis, ne in electos vltra ſæuiat quàm eſt illis ſalutare.

3 Qui hoſtiles nequitias,& violentas tentationes ac impugnationes mundi, carnis & Diaboli, in tuis electis potenter expugnas, & triumphare eos facis.

Amans contemplor & glorifico te,

O brachium Patris fili Deus,

4 Qui electos tuos redimis à captiuitate dæmonis & peccati, & à reatu pœnæ æternæ.

5 Eóſque dirigis & confortas in bonis operibus.

6 Atque tandem ſaluas, & ab omni malo ſecuros reddis.

Amans amplector te & tibi congratulor,

O virtus altiſſimi Spiritus ſancte Deus,

7 Qui in virginem Mariam ſuperueniens eam fœcundaſti, & filium Dei concipere feciſti.

8 Qui electis tuis obumbrans, potenter eos refrigeras & defendis ab æſtu tentationum & tribulationum.

9 Qui eoſdem confortas ad inchoandum & perficiendum opera bona.

Amans & gratias agens me totum tibi offero, ô vnitrine Deus, pro his cæteríſque tuis nominibus & perfectionibus. Atque vtinam horum tuorum nominum intimum ſaporem & virtutem nobis infundas & communices, ſicque ad tui amorem nos excites & reſtaures.

Eya igitur ô Pater protegens,

1 Reprime & elide hoſtium noſtrorum vires, ne ſuprà id quod poſſumus nos tentent & lædant.

2 Sæuitiam dæmonis rugientis & nos deuorare quærentis iugiter ſupera & refrena, ne ad peccati conſenſum nos pertrahat.

3 Violentas impugnationes mundi, carnis & Diaboli in nobis potenter expugna, vt de his ſemper per te triumphemus.

O brachium Patris,

4 Redime nos à ſeruitute Diaboli & peccati, atque à pœnis quas iuſtè meremur.

5 Dirige & conforta nos in ſtudijs tibi placitis.

6 Saluos & ſecuros nos fac ab omnibus malis & periculis.

O virtus altiſſimi,

7 Tua obumbratione nos ſpiritaliter fœcunda, vt Dei filium mente concipiamus & amplectamur.

8 Tua virtute nos indue, refrigera, & defende ab æſtu tentationum.

9 Et ad omnia tibi placita, excita, conforta & conſumma.

O vnitrine Deus, omnipotens & miſericors, quia vis & ſicut ſcis, vis, & potes, nos totos igne tui amoris purga, illumina, inflamma, perfice, abſorbe, transforma, vni & clementer exaudi, ad tuam tuorumq; ſanctorum gloriam, noſtrámque & omnium ſalutem, Amen. O benigniſſime Pater, per IESVM, dilectiſſimum Filium tuum, in Spiritu ſancto, intercedente beata Maria, & omnibus Angelis & ſanctis. O mater Dei & virgo, ô omnes Angeli & Sancti, orate pro nobis & magnificate Dominum nobiſcum nunc & in perpetuum.

§ *Secundum ternarium nonæ meditationis.*

Eya iterum atque iterum millies & centies millies ex affectu quo ſuprà,

Amans adoro & reuereor te,

O Pater luminum,

1 Qui ab æterno, teipſum intelligendo, coæternum & conſubſtantiale tibi lumen, filium tuum genuiſti.

2 Qui es omnis lucis creatæ fons, origo & conseruator.

3 Qui vultus tui lumen super electos tuos signasti, & singulariter expressisti.

Amans te contemplor & glorifico,

O lumen de lumine, & lux lucis Fili Deus,

4 Qui à patre ab æterno genitus, ipsum lucidissimè exprimis, repræsentas, & intueris.

5 Qui es lux vera illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum, in tenebris etiam lucens.

6 In quo omnes Sancti paternam lucem, eiúsque voluntatem clarè intuentur, glorificant, & amorosè contemplantur.

Amans te amplector, tibiq; congratulor,

O iubar ardentissimum Spiritus sancte Deus,

7 Qui ex Patris & Filij mutua dilectione lucidissima, ab æterno procedis, vtriusque amor & iubar ardentissimum.

8 Qui à Patre & Filio cōdilectus, vtrumque ardentissimè diligis, & amorosè contemplaris.

9 Qui tuo ardore, tuíque amoris ignito splendore sanctos inflammas, reples & satias.

Amans & gratias agens me totum tibi offero, ô vnitrine Deus, pro his cæterisq; nominibus & perfectionibus. Atque vtinā horum tuorum nominum intimum saporem & virtutem nobis infundas & communices, sicq; ad amorem tui nos excites & restaures.

Eya igitur, ô Pater luminum,

1 Fac vt te nobis ſemper & vbique præſentem ſentientes, à tenebris liberemur, teq; cum filio iugiter adoremus.

2 Creata luce propter te & ſecundum te vtamur.

Signatum ſuper nos lumẽ vultus tui agnoſcamus & ſequamur.

O lumen de lumine,

4 Fac vt per te, Patrem in te, & te in Patre clarè contemplemur & glorificemus.

5 A te iugiter illuminemur, & à tenebris purgemur.

6 Ex te intelligamus quid à nobis iugiter fieri velis & impleamus.

O iubar ardentiſſimum,

7 Accende nos Patris & Filij ardenti amore.

8 Et fac vt te vtriuſque amore ſimul amemus & amplectamur.

9 Tuóque ardore, & voluptate, repleamur & inebriemur.

O vnitrine Deus, omnipotens & miſericors, &c. vt ſup.

Tertium ternarium nonæ meditationis.

Eya iterum atque iterum millies & centies millies ex affectu quo ſuprà,

Amans adoro & reuereor te,

O ignis ſemper vrens, Deus,

1 Qui in teipſo per ardentem tui amorem ſemper vris,& nunquam conſumeris nec extingueris.

2 Qui comburis & conſumis in electis tuis quicquid tibi diſplicet, & eos à te impedit.

3 Qui eos in te transformas, & ignitos, efficis.

Amans contemplor & glorifico te,

O flamma ſemper lucens, Fili Deus,

4 Qui à patre, tanquam ab igne, flamma procedens, ipſum clarè ſemper repræſentas & intueris, nec vnquam offuſcaris.

5 Qui eundem ſanctis tuis clarè manifeſtas.

6 Eoſdémque de omnibus ſalutaribus inſtruis & illuminas.

Amans te amplector tibiq; congratulor,

O ardor ſemper feruens, Spiritus ſancte Deus,

7 Qui es patris, filiíque amor ſemper feruens, & nunquam tepeſcens.

8 Qui beata Seraphin, & electos tuos tui amore facis iugiter ardere.

9 Taliq; ardore eos recreas, potas & inebrias.

Amans & gratias agens me totum tibi offero, ô vnitrine Deus, pro his cæteriſq; tuis nominibus & perfectionibus. Atque vtinam

horum tuorum nominum intimum ſaporem & virtutem nobis infundas, & communices, ſicq; ad tui amorem nos excites & reſtaures.

Eya igitur, ô ignis vrens,

1 Ignem tui amoris ſic in cordibus noſtris accende, vt nunquam extinguatur.

2 Hoc igne conſume & vre quicquid nos à te ſeparat & impedit.

3 Nóſque totos transforma in te, & ignitos redde.

O flamma ſemper lucens,

4 Purga nos ab omni obſcuritate & ignorantia vitioſa.

5 Et fac vt patrem in te, & te in patre clarè contemplemur & glorificemus.

6 A te de omnibus ad ſalutem neceſſarijs inſtruamur.

O ardor ſemper feruens,

7 Purga & præſerua nos ab omni tepiditate & acedia.

8 Per beatorum Seraphin meritum & miniſterium, tui amoris ardore ſic nos ſuccende, vt alios accendamus.

9 In ipſo ardore, fac nos ſuauiter requieſcere & obdormire, à terrenorum affectu abſtractos & liberos.

O vnitrine Deus omnipotens & miſericors, vt ſuprà.

¶ *Quartum ternarium nonæ meditationis.*

Eya iterum atque iterum millies & cẽties millies ex affectu quo ſuprà,

Amans adoro & reuereor te,

O virtus animæ meæ Deus,

1 Qui me ſuſtentas & conſeruas in eſſe.

2 Virtutémque bona operandi tribuis.

3 Et ad bona quæq; me ſemper excitas, ordinas, & perficis.

Amans contemplor & glorifico te,

O lumen oculorum meorum Deus,

4 Sine quo cæcus ſum, & viæ ſalutis ignarus.

5 Per quem in agendis & fugiendis prudenter inſtruor & dirigor.

6 In quo diuinam maieſtatem & bonitatem contemplor & glorifico, meámque vilitatem & malitiam agnoſco & deteſtor.

Amans amplector & tibi congratulor,

O ſolatium meum dulce, Deus,

7 Sine quo triſtis ſum & deſolatus.

8 In quo & per quem in omni tribulatione conſolationem inuenio.

9 Cuius beneficijs & promiſſionibus infinitis, ſemper & vbique reficior & conſolor.

Amans & gratias agens, me totum tibi offero, ô vnitrine Deus, pro his, cæteriſque tuis nominibus & perfectionibus. Atque vti-

nam horum tuorum nominum intimum saporem & virtutem nobis infundas & communices, sicq; ad tui amorem nos excites & restaures.

Eya igitur, ô virtus animæ meæ,

1 Sustenta & conserua animam meam, vt quæ sine te non potest esse, secundùm te viuere valeat.

2 Virtutem omnem ad salutem necessariam nobis infunde, qua possimus placita tibi semper operari.

3 Excita, adiuua, & perfice nos ad inchoandum, prosequendum, & perficiendum omnia bona opera.

O lumen oculorum meorum,

4 Illumina tenebras meas, & lucernam meam.

5 Dirige me prudenter in omnibus agendis & fugiendis.

6 Ostende mihi diuinam tuam maiestatem & bonitatem, meámque vilitatem & malitiam.

O solatium meum dulce,

7 Ab omni tristitia, quæ non est secundùm te, & propter te, nos libera & præserua.

8 In omni tribulatione, fructibus spiritus tui nos consolare, recrea & refice.

9 Tua beneficia iam accepta cum gratitudine & gaudio recogitemus, & promissa fiducialiter speremus, & cum lætitia expectemus.

O vnitrine Deus, omnipotẽs & misericors, quia vis & sicut scis, vis & potes, nos totos igne tui amoris, purga, illumina, inflamma, perfice, & absorbe, transforma, & vni nunc & in perpetuum. Sed quando ista perficientur in me? &c. vt supra, pag. 660.661. vsque ad 665.

DECIMA MEDITATIO.
CAP. XV.

Oratio praparatoria, vt suprà, pag 644.
Prafatio generalis, vt sup. pag. 648.649.

❡ *Ternarium primum decima meditationis.*

Specialiter autẽ amãs adoro & reuereor te,

O mens ab æterno intelligens
Deus pater,

1 Qui teipsum & omnia ab æterno intelligendo, verbum tibi coæternum & coæquale intus protulisti, & de tua substantia genuisti.

2 In quo teipsum, & illud in te, cum gaudio pleno contemplaris.

3 In quo & cum quo nos etiam & omnia perfectè intueris & consideras.

Amans contemplor & glorifico te,

O verbum mentis æternæ
Fili Deus,

4 Qui es Dei patris seipsũ & omnia, vnico, æterno & incõmutabili actu intelligẽdi, con-

templantis

templantis & intuentis, vnicum & incommutabile verbum.

5 Qui paternam mentem perfectè exprimis,& in te eam, téque in ea clarè & delectabiliter intueris.

6 Qui nos etiã, & creata omnia per Ideam repræsentans, verissimè intueris & manifestas nobis.

Amans amplector te & congratulor tibi,

O amor mentis æternæ Patris & Filij, Spiritus sancte Deus,

7 Qui ex mutua mentis & verbi dilectione ab æterno spiraris & procedis, vtriusque amor condilectus, & coæqualis.

8 Qui Patrem & Filium perfectè intueris & amas.

9 Qui diuinitatis amore sanctos afficis, reples & satias.

Amans & gratias agens me totum tibi offero, ô vnitrine Deus, pro his cæterisq; tuis nominibus & perfectionibus. Atque vtinam horum tuorum nominum intimum saporem & virtutem nobis infundas & communices, sicq; ad tui amorem nos excites & restaures.

Eya igitur,

O Mens intelligens,

1 Fac vt te semper & vbique præsentem sentiamus, adoremus & reuereamur.

2 Ex omnibus creatis ad tui notitiam & contemplationem eleuemur & proficiamus.

3 Et omnia in te, propter te, & secundùm te intueamur, amemus & quæramus.

O verbum

O verbum mentis æternæ,

4 Fac vt viua & vera fide, te Dei Patris vnicum verbum verum & viuum credamus ſemper & confiteamur.

5 In te & per te Patrem verè agnoſcamus, contemplemur & ſuperexaltemus.

6 Te quoque in Patre conglorificemus, & in tuam claritatem transformemur.

O amor Patris & Filij,

7 Fac vt per te, diffuſa in cordibus noſtris charitate, Patrem & Filium amemus.

8 Te vtriuſque coæternum amorem, ſimul & æqualiter veneremur & diligamus.

9 Tuoque diuino amore repleamur, ſatiemur, & inebriemur.

O vnitrine Deus omnipotens & miſericors, quia vis, & ſicut ſcis, vis & potes, nos totos igne tui amoris purga, illumina, inflamma, perfice, abſorbe transforma, vni & clemēter exaudi. Amen. Ita quæſo fiat, ô benigniſſime Pater, per IESVM dilectiſſimum Filium tuum, in Spiritu ſancto, intercedente beata Maria ſemper virgine, & omnibus Angelis & Sanctis. O Mater Dei, ô omnes Angeli & Sancti, orate pro nobis & magnificate Dominum nobiſcum nunc & in perpetuum.

¶ *Secundum Ternarium decimæ meditationis.*

Eya iterum atque iterum millies & centies millies ex affectu quo ſuprà,

Amans adoro & reuereor te,

O fons æternitatis Deus Pater,

1 Qui nec initium habes, nec finem es habiturus, ſed ab æterno vſque in æternum idem perſeueras.

2 Qui coæternum & conſubſtantialem tibi Filium genuiſti.

3 Qui miſericordiã tuam ab æterno & vſque in æternum ſuper timentes te extendis, eosque in tua incommutabili æternitate ſtabilis.

Amans contemplor & glorifico te,

O plenitudo lucis Fili Deus,

4 In quo nullæ ſunt tenebræ.

5 Qui clariſſimè lucem paternam, exprimis, intueris, & glorioſè ſuperextollis.

6 Qui eandem electis tuis manifeſtas, & ad eius contemplationem & laudem eos eleuas & illuminas.

Amans te amplector tibique congratulor,

O multitudo pacis Spiritus ſancte Deus,

7 Qui es Patris & Filij ſumma pax, concordia, & continuum ac imperturbatum gaudium.

8 Qui ab omni vitioſa perturbatione & diſcordia electos tuos purgas & præſeruas.

9 Multiplicique pace eos donas & recreas interna ſcilicet fraterna, & perpetua, quæ ſenſum omnem exuperat.

Amans & gratias agens me totum tibi offero, ô vnitrine Deus, pro his cæteriſque nominibus & perfectionibus tuis. Atque

vtinam

vtinam horum tuorum nominum intimum ſaporem & virtutem nobis infundas & communices, ſicque ad tui amorem nos excites & reſtaures.

Eya iterum, ô fons æternitatis.

1 Fac vt tibi ſtabiliter adhæreamus, teque iugiter nobis præſentem ſentiamus.

2 Te cum Filio & Spiritu ſancto vnum æternum, & viuum Deum adoremus & veneremur.

3 Tuamque æternam miſericordiam (timendo & amando te) tandem conſequamur.

O plenitudo pacis,

4 Purga nos & præſerua à tenebris ignorantiæ & malitiæ.

5 Illumina nos notitia tui & noſtri.

6 Doce nos in omnibus tuam noſſe & perficere voluntatem beneplacentem & perfectam.

O multitudo pacis,

7 Tuæ diuinæ pacis & concordiæ contemplatione, amore & deſiderio nos recrea, affice & ſuccende.

8 Ab omni vitioſa perturbatione, paſſione & diſcordia nos libera & præſerua.

9 Paceque interna & perpetua nos dona, reple & beatifica.

O vnitrine Deus omnipotens & miſericors &c.

¶ *Tertium Ternarium decimæ meditationis.*

Eya iterum atque iterum millies & centies millies ex affectu quo suprà,

Amans adoro & reuereor te,

O substantia separata Deus,

1 Qui solus à teipso & per teipsum ab æterno subsistis.

2 Qui es ab omni materia, accidente, & extranea qualitate prorsùs separatus, simplicissimam essentiam habens & incommutabilem.

3 Qui omnibus das & conseruas suum esse, & sanctos tuos in te stabiles & incommutabiles facis.

Amans contemplor & glorifico te,

O intelligentia pura Fili Deus,

4 Qui purè, verè, & absque vllo errore & obscuritate, Deum Patrem repræsentas, intueris & manifestas.

5 Qui electorum intelligentiam ab omni impuritate & tenebris purificas.

6 Eandemque clara tui, tuæque voluntatis notitia illustras.

Amans te amplector tibique congratulor,

O Spiritus simplex & ardens Spiritus sancte Deus,

7 Qui ex simplici & ardenti dilectione mutua Patris & Filij ab æterno procedis, mutuus amor, & simplex & ardens.

8 Qui ab omni vitiosa multiplicitate & tepore sanctos tuos purgas & præseruas.

9 Eosdemque cordis simplicitate & ardēti di

ti dilectione ornas & inflammas.

Amans & gratias agens me totum tibi offero, ô vnitrine Deus, pro his cæterisque tuis nominibus & perfectionibus. Atque vtinam horum tuorum nominum intimum saporem & virtutem nobis infundas & communices, sicque ad tui amorem nos excites & restaures.

Eya igitur, ô substantia separata,

1 Separa & abstrahe nos ab omni creaturarum vitiosa, aut superflua cogitatione & affectione.

2 Et stabili ac contine nos in tua præsentia, sic vt te semper & vbique nobis præsentissimum & intentissimum sentiamus.

3 Atque coram te cum omni reuerentia & tremore ambulemus, operemur & conuersemur.

O intelligentia pura,

4 Purga intellectum nostrum ab omni errore, ignorantia & curiositate.

5 Et fac vt te, tuaque diuina mysteria, purificatæ mentis intelligentia semper consequamur.

6 Tuamque voluntatem beneplacentem, purè in omnibus intendamus, videamus, & sequamur.

O Spiritus simplex & ardens,

7 Expelle à nobis omnem vitiosam multiplicitatem & teporem.

8 Et fac vt cum vera cordis simplicitate & directione te semper quæramus.

9 Tuique amoris ardore succendamur, & ad omnia tibi placita efficaciter moueamur.

O vnitrine Deus omnipotens &c. vt suprà.

¶ Quartum Ternarium decimæ meditationis.

Eya iterum atque iterum millies & centies millies ex affectu quo suprà,

Amans adoro & reuereor te,

O fons vitæ æternæ Deus Pater,

1 Qui à teipso vitam æternam habens, eandem Filio tuo & spiritu sancto plenè cõmunicas.

2 Qui cunctis viuentibus vitam infundis & conseruas.

3 Qui electis tuis vitam gratiæ in præsenti,& gloriæ perpetuæ in futuro donas.

Amans contemplor & glorifico te,

O viuifici fontis profluuium Fili Deus,

4 Qui à fonte viuo Deo Patre, per æternam generationem procedis.

5 Per quem paternus fons, suam bonitatem creaturis communicat.

6 Per quem aqua sapientiæ salientis in vitam æternam electi potantur.

Amans amplector te & tibi congratulor,

O sapor aromatice diuinarum dulcedinum Spiritus sancte Deus,

7 Qui es amor,quo Pater & Filius cum intimo & dulcissimo sapore sese diligunt & complectuntur.

8 Quo sancti cœlestem dulcedinem gustant & sapiunt.

9 Eiusque suauitate & voluptate fœliciter satiantur, potantur & inebriantur.

Amans & gratias agens me totum tibi offero, ô vnitrine Deus, pro his cæterisque tuis nominibus & perfectionibus. Atque vtinam horum tuorum nominum intimum saporem & virtutem nobis infundas & communices, sicque ad tui amorem nos excites & restaures.

Eya igitur, ô fons vitæ æternæ,

1 Fac vt te cum Filio & Spiritu sancto fontem viuum credamus, & iugiter sitiamus.

2 Vitam nostram corporalem à te nos habere scientes, illam propter te & secundùm te instituamus & ordinemus.

3 Vitæ, gratiæ & gloriæ cum tuis sanctis participes efficiamur nunc & in perpetuum.

O viuici fontis profluuium.

4 Fac vt tuam æternam à Deo Patre generationem vera fide credamus & veneremur.

5 Per te paternum fontem in nos largiter fluere sentiamus.

6 Aqua sapientiæ & scientiæ salutaris pota nos, & inebria.

O sapor aromatice diuinarum dulcedinum,

7 Per te sapiamus & delectabiliter contemplemur Patrem & Filium.

8 Te vtriuſque ſpiritum & ſaporem dulciſſimum credamus & amemus omni tẽpore.

9 Tuaq́ue dulcedine repleamur, potemur & inebriemur.

O vnitrine Deus omnipotens & miſericors,quia vis & ſicut ſcis,vis & potes, nos totos igne tui amoris purga,illumina, perfice, abſorbe, transforma, & fœliciter vni nunc & in perpetuum. Sed quando iſta perficientur in me?&c.vt ſuprà pag. 660. 661. vſque ad 665.

LAVS DEO.

FINIS.

INDEX.
ALPHABETICVS
præcipuarum materiarum his tribus exercitiorum ſpiritualium libris, contentarum.

A

omni

N

FINIS.

Errata sic corrigito.

Pag.5.lin 7.sic lege magnificare, pag.35. lin. 18. mi, p.45.l.5.mi, p.46.l.12.augere, p.48.l.8.veram, p. 51.l.10.confiteor, p.52.l.10.perniciosus, p.60.l.6. supremæ, p.63.l.6.*dele* tuo, p.66.l 9.pastore, p.67. l.11.ægros, p.70.l.31.vnquam, p.88.l.29.simpliciter, p.94.l.10.iuuandam p.96.l.vlt.triumphante p.75. l.18 instauratur, p.98.l.24.ego, p.100.l.19.contritionis, p.106.l.31.& 32. consuluerit & iniunxerit, p.116.l.1.eligendo, p.127.l. 26.liberaliter, p.ibid.l. 29.hilariter, pag.128.lin.15. suspicionib. pa.131.l. antepenult.quantum, p 137.l.24.qui, p.ibid. l.30 habes.p.140.l.27.ab, p.162.l.28.elige, p.180.l.18 & 21 militante, & triumphante, p.186.l. 6. inseparabiliter, p.202.l. 12 quia, p.248.l.20.afflictionum, p. 250.l.20.exercitio, p.294.l.28.sunt, p. 329.l. 16.superamandissime, p.337.l.8.multiplices, p.456.l.21. fili, p.500. l 9. delectemur, p.509.l.16.læta, p.533.l. vlt.exasperemus, p.644.l.18.trine, p.647.l.2.inaduertibiliter, p.664.l.23.vniar, p.668.l.25.cōplaces, p.672.l.23 claritate, p ibid.l.26 ingenuitas, p.683. l.vlt.vere, p.703.l.11.seipsam, p.708.l.20.cernentes, p.721.l.8.odoraris, p.729.l.vlt.claritatem, pag. 794.l.14.illuce.

